8805

F. PAVLI MINERVAE BARENSIS

LECTORIS THEOLOGI,

ac Regni Neapolitani Prioris Prouincialis
Ordinis Prædicatorum.

IN CCXXIX. SENTENTIAS PARAENETICAS NILI EPISCOPI, ET MARTYRIS,

è Græco in Latinum conuersas.

Totidem Scholia, seu Commentaria.

NEAPOLI,

Apud Constantinum Vitalem. MDCIIII.

Digitized by Google



Omnia iudicio S. R. E. ſubduntur.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. PETRO ALDOBRANDINO

S. R. E. CARDINALI
ARCHIEPISC. RAVENNATI &c.

FR. PAVLVS MINERVA BARENSIS
Lector Theologus, & Regni Neap. Humilis Prior
Prouincialis Ord. Præd. salutem precatur
in eo, qui est omnium vera salus.

TOT, tantaq; sunt, Amplissime Cardinalis, tua in me beneficia, vt quoties ego illa memoria mecum repeto, animoque, & cogitatione complector, erubesco, sanè, cum nullum hactenus grati animi signum erga amplitudinem tuam demonstrare valuerim. sed quæ humilis, & tenuis Frater tanto Ecclesiæ Principi munera digna mittere posset? nullum certè, sed animum tantum, quem ego semper in tua obsequia promptissimum habui, & dum spiritus hos reget artus, perpetuò habebo: vt in te vno colendo, & obseruando, nemini mortaliũ vnquàm sim concessurus. Sed venit occasio, cùm enim aliquando in ma-

Digitized by Google

nus fortasse meas incidissent sententiæ quædam diuinæ prorsus, sanctissimi Pontificis, & Martyris inclyti Nili Aegyptij, viri summa sapientia ornatissimi, & sanctitate insignis, ducentum nempe vigintinouem è Græco in Latinum conuersæ: Quæ de moribus tractant, & Parœneticæ meritò dicuntur: Has ego scholijs, argumentis, & commentarijs illustrare, & locupletare volui: videbantur enim elegantissimæ, & diuino quodam spiritu dictatæ, ad honestatem omnem, vitamq; beatam in terris degendam maximè accommodatæ. Itaque eas nomini tuo consecrare decreui, quemadmodum Patruo tuo CLEMENTI VIII. Pontifici Optimo Maximo olim per te, qui mihi ad illum aditum benignissimè præbuisti, Neomenias Salomonis nostras dedicaui: quas ille tam hilari fronte accepit, vt semper gloriatus fuerim, amplissimum laborum meorum præmium reportasse. Cui enim opus de re præsertim grauissima atque peregrina confectum melius nuncupare poteram, quàm sanctissimo in terris D. Petri successori, & Christi Vicario, Ecclesiæ vniuersalis Pastori, Orbisque moderatori? à quo meus Ordo, atque Religio quemadmodum immensa omni tempore beneficia accepit, sic deinceps maiora se accepturam sperat. Is enim diuina quadam prouidentia,

Digitized by Google

dentia, & cœlesti qua præditus est sapientia, & ardenti pietate, seculo hoc nostro inter Ecclesiæ Sanctos, & Diuos qui cœlo proximi apud Deum sedent, quique in terris mira sanctitate fulserunt, & miraculis quàmplurimis claruerunt, iam referendos, & per vniuersum orbem venerandos decreuit; Idque solenni ritu, debitisque ceremonijs, in Vaticana Basilica sanctum scilicet Patrem nostrũ Hyacinthum, & D. Raymundum, lumen alterum Aquilonaris regionis, ac Poloniæ; Occidentalis alterum plagæ, atque Hispaniæ: quorum dies festi debito officio celebrari mandauit. Quid modo dicam, de eius mirabili benignitate, & insigni charitate? Ecce Vrbem Neapolim vndique totam exhilarat. vndique ciues illius omnes illustrat, & ad cœlum euehit; cum Doctorem eximium, & Angelicum D. nostrum Thomam non modo Dominicanæ familiæ lumen sempiternum, sed totius Ecclesiæ gloriam, & ornamẽtum singulare, inter septem Patronos Neapolitanos sanctissimos, sacro, ac publico ritu, communi lætitia, pompa præcipua in dicto festo, votis omnium desideratissimis collocandum, atque adorandum constituit: Quæ certè omnia non modo Neapolitanos omnes, sed nostri Ordinis Patres sic vinculis quibusdam adamantinis, sic meritis sibi addixit, atque obstrinxit,

Digitized by Google

ſtrinxit, vt noctes atq; dies pro tanti Pontificis incolumitate ad Deum preces fundere, & aſſidue ſacrificia offerre ſtudeat, atque nitatur. Sed non eſt hic locus plura dicendi de Patrui tui Summi Pontificis laudibus, in cõmodiorem locũ illas differimus. Tu interea, ſacratiſſime Princeps, Romani Senatus, & Eccleſiæ ſanctæ ſplendor; cui ego vigilias has qualeſcũq; meas dicatum venio, hilari fronte, vt ſoles, accipere, eaſq; interdum, dum à grauiſſimis curis reſpirare datur, percurrere velis. Inuenies certè quę Eccleſiaſticum Principem maxime deceant, ſiue ad componẽdos optime animi mores, ſiue ad adminiſtrandã Rempublicam, ſiue ad contemnendas vanas fallacis huius vitæ voluptates, ſiue ad prudenter ſe gerendum erga omne hominum genus, ſiue ad acquirendã vitæ tranquillitatem, & ſanctimoniam, ſiue denique ad quodcunq; officium rectè exequendum pertinere videbuntur. Habebis hæc ob oculos à ſanctiſſimo Nilo tibi poſita, idque ſententijs quàmbreuiſſimis, concinnis, apertis, è medijs ſacræ paginæ monumentis è vatum oraculis, Chriſti Apoſtolorumq; doctrina petitis. lectio certe iſthæc erit pharmacum quoddam pijs lectoribus aduerſus vniuerſas vitiorũ peſtes, erit calcar, & ſtimulus ad virtutum ornamenta cõquirẽda, erit lumen ne offendamus in tenebris,

erit

Digitized by Google

erit postremo iter certum, & breuissimum ad cœlestem felicitatem comparandã. Quantum verò nos laborauerimus in his sententijs explicandis, ac locupletandis, aliorum sit iudicium; labori profecto nõ pepercimus, vt in omnium vtilitatem exire quàmprimum sub tuo nomine possent. Quæ etsi exigua admodum sint, vt tanto Principi à me hoc tempore mittantur, atq; consecrentur: Is velim inspiciat, atq; consideret animi nostri promptissimum obsequiũ ac propensissimam volũtatem, qua multo maiora, longèq; meliora dare vellemus. Adsit studijs nostris Deus Opt. Max. vt nonnulla alia, quæ prę manibus habemus, absoluere, & in tuę Amplitudinis laudem emittere valeamus. Ergo optime, & Amplissime Cardinalis me tibi addictissimum patrocinio tuo foue, tuo clypeo tuere, tua me vmbra protege: Ordinemq; nostrum ita defende, quemadmodum facit Patruus tuus Pont. Max. CLEMENS VIII. cuius tu sanctissimis vestigijs insistens, sempiternam nominis gloriam promereberis, & illi vt imitator solertissimus, eris postea in terris ad Dei, eiusque Ecclesiæ vtilitatem successor optatissimus. Vale.

Digitized by Google

AD AMPLISSIMVM, ET RELIGIOSISSIMVM PRINCIPEM S. R. E. CARDINALEM D.D.PETRVM ALDOBRANDINVM.

PAVLI PORTARELLI SACERDOTIS NEAP. Epig. in ſcholia ſeu commentarios doctiſſimos eruditiſſimi Theologi Pauli Mineruæ, quos in Nili Pontificis,& Mart.ſententias 229. in lucem emiſit.

ROmulei Princeps, ſacri lumenquè Senatus;
Summi Clementis ter venerande nepos.
Imperio cuius, rerum moderaris habenas,
Tantùm iudicio, conſilioque vales.
Si datur à grauibus curis ſpirare parumper,
Dum Romana tibi publica cura ſubeſt.
Flecte oculos paullùm in monumẽta hæc doctæ Mineruæ,
Quæ dat in obſequij debita ſigna ſui.
Nili hæc Pontificis tibi ſenſa profunda recludent,
Qui breue, ſed magnum pondere ſcripſit opus.
Poſt maiora tuo emittet ſub nomine, Princeps,
Fultus Præſidio numinis ille tui.

Digitized by Google

AVTHOR LECTORI CANDIDO SALVTEM.

HABES hic (Lector candide) Nili Episcopi, & inuicti Christi Martyris παραινεσεις, hoc est capita, præceptiones, seu sententias præceptiuas nerè aureas, Primo Mobili velociores, Christallino clariores, Firmamento firmiores, grauiores Saturno, sapientiores Ioue, vehementiores Marte, Sole illustriores, Venere amicabiliores, Mercurio eloquentiores, Luna pulchriores, cunctis denique cœli syderibus fulgentiores: elementis deinde præstantiores, actiuiores igne, ferreniores aere, limpidiores aqua, feraciores terra: mirabiliores septem Mundi mirabilibus: Nili Pyramide, Fabri turre, Babyloniæ insula, & mari, Ephesino Dianæ templo, Mauroli sepulchro, Solis Colosso apud Rodianos, & Iouis Olympici simulachro. Quòd si addere licet Cyri Medarum Regis domum: mirabiliores certè hoc ædificio redduntur. Affluentiores insuper Nili flumine, dulciores melle, suauio-

Digitized by Google

res nectare, pretiosiores ambrosia, sapidiores manna Hebræorum: perspicaciores philosophicis sententijs, salubriores Andromachi theriaca, aut Mithridati Regis antidoto, æquiores Baldi, & Bartoli legibus: candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo. Nam si hæc, & similia vel sensus recreent obiectu, vel gustu, vel mentem rei admiratione repleant, vel intellectum contemplatione reficiant: Sententiæ tamen parenetice sensus intuitu confortant, memoriam Dei beneficijs excitant, intellectum Christi obsequio captiuant, voluntatem sui ipsius subiectione humiliant, animam obseruatione sanctificant, hominem perseuerantiu ad viam dirigunt cœlestem: fiunt tandem Nili non corruptibilis tot fontes aquarum salientium in vitam æternam. Si quid enim rectum, si quid bonum, si quid iustum, si quid æquum, si quid vtile, si quid honestum, si quid humile, si quid verum, si quid altum, si quid profundum, si quid latum, si quid longum, si quid virtuosum, si quid mysterioſum, si quid admirandum, si quid sanctum, si quid aliud simile reperitur: dubio procul in his sententijs clarè inspicitur. Fœlix igitur anima illa, quæ has legerit, & obseruauerit. Qua de re placuit nobis illas scholijs, commentarijsue illustrare, non nego exilibus, tenuibusque, & vtinam non imperfectis. sed quid mirum? qui enim fecit, quod potuit, legem adimpleuisse dicitur. Grandes materias, parua ingenia non sufferunt. Grandis quidem animus, vires

tamen

Digitized by Google

tamen impares. Quicquid igitur in illis reperies, ex Sanctorum Patrum doctrina exhaustum esse iudices; ideo & cunctos citauimus: cumque ad politicam, & moralem vitam perquàmmaximè ordinentur, ad illas roborandas, firmandasque: Ethnicorum quoque Philosophorum axiomata perstrinximus: vt sciant, qui laxatis vitæ habenis, illam porcinam ducunt: legem Christianam, legem esse virtutum, quam ex Ethnicis plerique (naturali illustrati lumine) prosequuti, miris extulerunt encomijs. Quid, si Christiani vati fuissent? sanctitate quidem nimia pollerent. Quid non vides sanctum in Seneca, vt hunc duntaxat pro exemplo citemus? Quæ sententia sanctitudini contradicit? Nihil aliud certè displicet, nisi plurimorum allegatio Deorum. Ideo in prioris sententiæ scholio, seu commentario addidimus, statum eius, si miser est, deplorare. Quandoquidem vna ex parte doctrinam eius sanctitate plenam inspicimus: ex altera verò plurimorum Deorum obtestationem, quæ Fidei Christianæ mirum in modum repugnat. Leguntur subinde eius Epistolæ ad Paulum Apostolum directæ, & Pauli ad eundem: ob quod nonnulli rentur saluum esse Senecam. Nos autem in ancipiti versamur, ideo diximus, si status eius est miser, quod deplorare conuenit. At nonnulli in Sanctorum Cathalogo repositum à Hieronymo ob mutuam cum Paulo familiaritatem, asseuerant. Epistolæ tamen eius ad Paulum Apostolum dum Romæ esset, missæ: & Pauli

ad Senecam, dum Neronis præceptorem ageret; num sint apochryphæ, in de libro Apochrypho, libro tertio, digrediemur. Expositiones deinde nostras ideo scholia appellare placuit; quia parua sunt expositiones. Et quamuis scholia propriè breuissimæ sint rerum interpretationes, annotationesque: large tamen ob breuitatem scholia appellari possunt. Ideo addidimus, siue commentaria, quia cum scholiorum ob breuitatem, tum quoque commentariorum, ob longiusculam digressionem, naturam induunt. Quo ad disputationes, ne non personas impugnare credas, velim; sed opiniones: non naturam, sed scelera insequi, & refellere, cum dilectione (inquam) hominum, & odio vitiorum. Circa Græcum idioma multas deesse literas ob caracterum penuriam in Neapolitana Typographia pro compertohabemus. Ideo non potuimus ex voto cuncta ad perfectum ducere. Quare si videris tu qui Græcam redoles eloquentiam, literas, accentus, puncta, comas, & similia, vel abesse, vel confundi: primò literarum, accentuum, punctorum, comarum, & similium ad Græcam ortographiam pertinentium defectui adscribas: deinde absentiæ nostræ; non enim (negotijs Religionis impliciti) semper adesse potuimus, vt sperabamus. Quemadmodum in Salomonis Neomenijs libro secundo, in tabula concurrentium nouæ, vbi adest confirmatio Ordinis, inscribi debebat transitus Beati Dominici: & vbi transitus, confirmatio Ordinis, vel sub titulo confirmationis Ordinis, debebant numeri

transitus

tranſitus Beati Dominici reponi, ſub titulo autem tranſitus Beati Dominici, numeri confirmationis Ordinis: iſti impreſſioni non aderamus, & impreſſores arbitrio ſuo omnia commutarunt, originale autem fidem facit. Id quoque nobis excuſationem afferet, ſi errores aliquot in ſententijs, commentarijs, poſtillis, epiſtolis, carminibus, in Cathena, in denique Apologia obreperint; quamuis reuera (vt diximus) multoties ex Typographorum negligentia irrepant: quamuis ob tabularum compoſitionem, variamque numerorum additionem excuſentur; quinimo excuſatione digni ſunt, ob ipſius editionis difficultatem. Cur autem (dices) vel Prouerbia Salomonis, vel Eccleſiaſticum, vel Eccleſiaſten, vel Sapientium, vel Canticam canticorum non explicauimus, cum ſint ſententiæ ſcripturales, ac propterea maioris ponderis, & authoritatis eſſent, quàm priuati hominis ſententias dilucidare? Reſpondemus, ſententias Nili paræneticas virtualiter in prærecitatis includi: Deinde ob candorem, ob eloquentiam, ob vim, ob fructus maximos, at propter ſimilia, quæ redolent, dilucidare propoſiti ſumus. Rurſus, prærecitatos libros ab alijs eſſe expoſitos comperimus. Poſtremo ex his aliquos exponere propoſuimus: ideo paruis illuſtrare commentarijs placuit, ne omnia hic adduxiſſe videremur. Omnia itaque in bonum interpretare (candide Lector) gratias agens immortali Deo, omnium bonorum munificentiſſimo largitori, ſi quid bonum in

opere

Digitized by Google

opere respexeris: si quid minus, nostræ imbecillitati imputes. Quod si ex nostris laboribus quandoque aliquid tibi forte gratum fuerit, hoc nostrum apud te erit præmium, vt Deum pro authore depreceris, si charitatis viscera in te fuerint, quemadmodum non dubitamus in te maximè relucere, ob animi tui candorem, & sincerum cor erga Deum. Id enim causa erit, vt meliora, & diuersa, sed vtiliora tibi pro gratitudine afferet. Cæterum si ambigis cuius sint sententiæ, Nili Episcopi, & Martyris: an Nili multorum monachorum Patris in Oriente? In Apologia, quam pro huiusmodi negotio confecimus, id determinatum à nobis, vtcumque pro nostra tenuitate, iam videbis. Cathenam verò sententiarum cur composuimus, in eius Cathenæ præfatione ad Lectorem, inspicies. Tabulam verò illustrium Authorum, qui in opere citantur, ideo ordinauimus, vt sciat Lector candide, esse operis ornatum. Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

F. PAVLI MINERVAE BARENSIS ORDINIS PRAEDICATORVM LECTORIS THEOLOGI DE AVCTORE SENTENTIARVM PARAENETICARVM, LIBER APOLOGETICVS.

QVOVSQVE veritatem rerum habebimus? Quamdiu in tenebris morabimur? Vsquequo rerum naturas lippis cernemus oculis? Quando sensus omnes acuentur in sensibilibus rectè sentiẽdis? Quousque potentiæ animæ (iuxta nomen) nebulonibus quibuscunque fugatis, rerum quiddditates intelligere, atque penetrare poterunt? Numquam certè. Benè cecinit Poeta.

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.

At nullus talis fœlix, ob status imperfectionem. Quippe qui habitamus omnes in caliginoso terræ loco, versamur in hoc infœlicissimo orbis statu: nauigamus in periculosissimo mari; fluctuamus in hoc turbatissimo mundi pelago. Optimè Ecclesiastes cap. 3. docuit, dicens. Vidi afflictionem quam dedit Deus filijs hominum, vt distendantur in ea, Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum: vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem. Et verè, quæres quæstionem non habet? Quæ quæstio

Digitized by Google

opinatoribus caret? Quæ opinio impugnatores reijcit? Qui impugnator non impugnatur? Cui opinatori non contradicitur? Cui contradictori non resistitur? Qui disputator non reijcitur? Quæ quæstiones de Deo, de Intelligentijs, de cœlis, & eorum numero, moribus, & natura non mouentur? Quæ de elementis, de simplicibus, de mixtis, de vegetabilibus, de sensibilibus, de rationalibus, de animatis, & inanimatis non emergunt? Quot capita, tot sententiæ: quot homines, tot opiniones: quot sententiæ, tot contradictiones: quot opiniones, tot afflictiones: quot placita, tot contentiones. Heu miseram hominis conditionem, vt nemo rei veritatem attingere, atque penetrare possit: & maior sit ignorantia, quàm rerum scientia. Heu infœlicem hominis statum, vt à principio vsque ad finem nonnisi contentionibus viuat. Benè dixit Isaias Propheta cap. 1. Vinum tuum mixtum est aqua: hoc est, sapientia, & scientia tua, mixta est ignorantia. Vide igitur si rerum naturas penetrare poterimus? si rerum discrimina intelligere, si ambigua dissoluere, si vnita separare, si separata vnire, si inordinata ordinare, si inuia dirigere, si recta docere, si falsa reijcere, si vera assequi, & si ignota tandem scire? Balbutientes resonamus excelsa, superbè infima, obscurè cœlestia, insulsè simplicia, imperfectè composita, ignoranter cuncta. Miser hominis intellectus, quibus quatitur procellis, quot premitur angustijs, vt rerum veritatē perfectè haud scire possit, nisi diuino adiutus lumine, quemadmodum & Doctores Sancti, sacram explicantes Scripturam, veritatem à Deo reuelatam, nobis sincerè dilucidauerunt. Nec mirum, quia qui loquitur in Propheta, loquitur in interprete. Quamuis homines pessimi illam obscurare conati sint. Sed magna est veritas, & prævalet Regi, vino, & mulieri: & Deus veritas est, quam sæpe cum expugnauerint:

Digitized by Google

uerint: nihil tandem potuerunt. Quis enim contra Deum? & si sint, vel fuerint, quid fecerunt? Nihil. Quæ vtilitas in eis? Nulla. Pars enim eorum ignis æternus. Cum igitur maior sit ignorantia nostra, quàm scientia, & eorum quæ scimus, minima illorum quæ nescimus: non est mirum si res incognitæ sunt nobis, & si ignota ignoramus: ac propterea contenditur de librorum authoribus. Missos facimus inimicos Crucis Christi, quorum finis, interitus: qui, vt sua pestifera dogmata authoritatem habeant, in Sanctorum Doctorum operibus venenum infundere nõ se puduit, veritatem abradere conati sunt: librum pestiferum catholico attribuere non sunt veriti, proprio nomine suppresso, vt rei colorem circumlinientes, simplices ad errorem trahant: quinimo vt docti capiantur, vt pisces hamo; sicq; in hæresim lapsi, suam doctrinam diabolicam confirmare possint. At inter Catholicos quoque ignoratur aliquando cujus nam sit liber catholicus. Quod quidem euenit, vel authoris humilitate, qui nomen suum manifestare refugit ob vanæ gloriæ periculum: vel temporis diuturnitate, titulo forsan corroso: vel quandoque pessimi viri malitia, atque inuidia, fratris sui profectui inuidentis; cum debeat & congaudere, quòd ad Dei gloriam, & proximi edificationem operetur in vinea Domini Dei Sabaoth. Verum de libris absque authoris nomine promulgandis, lege sancitum est in Tridentina Synodo, manifestatum in Indice, renouatum, & confirmatum à Sancta Apostolica Sede: quòd nullus liber absque authoris nomine deinceps in publicum prodeat, nonnisi ob hæreticorum impudentiam, malignitatemque, qui suppressis propriis hæreticorum nominibus, libros suos vt authoritatem habeant, vel Catholicis attribuunt, vel sub aliorum nomine cudunt, nonnisi vt veritatem obscurare possint, & valeant: sed nemo contra Deum, & si sint, illi

Digitized by Google

nocere minime possunt. Nihilominus tamen sit res quomodolibet, supposita ex vna parte nostra ignorantia, ex altera hominum improbitate, clarum est plerosque libros absque authoris nomine circumferri. Quo fit, vt docti viri sæpissime contentionibus deseruiant: cuius nam sit liber; & in dubium vertitur etiam de re parua, quinimo & manifesta. Quæ res apertior ista? Quæ facilior, & parui momenti? & tamen dubitationem habet, atque impugnatorem. At libro Authoris titulo, atque nomine insignito, (quod quidem sufferri potest ob rationes) nescio cur illo sublato, atque abraso, alteri nuncupamus; cum facile sustineri talem fuisse authorem possit, idque rationibus non paruis, & friuolis. Nos igitur neminem reprehendemus, præsertim viros vndequaque doctissimos, & de ecclesiasticis laboribus optimè meritos: sed veritatem quæ in rationibus fundatur, defendere conabimur. Nisi adessent rationes, labor hic noster inanis quidem esset: quem dubio procul nec assumeremus. Videamus itaque quis sit sententiarum paræneticarum Author, num Nilus Episcopus, & Martyr; an alter multorum Monachorum Pater in Oriente? Quod sit dubium primo quis fuerit, patet in bibliotheca Sanctorum Patrum tomo tertio, Basileæ impresso in inscriptione versus finem, his verbis.

Incertum est an hic Nilus Episcopus Aegyptius fuerit, qui sub Diocletiano martyrio affectus est: cuius meminit Eusebius Historiæ suæ Scholasticæ libro 8, c. 14.

Quod autem sit alius, aperte videtur ex inscriptione eadem absque additamento aliquo in initio, his quidem verbis.

Nilus παραινέσεις ad studium bonorum operum descripsit, & sententias de præmijs bonorum operum, & de pœnis malorum adiunxit, vt sicut hoc genus exhortationum necessarium in Ecclesia est: ita danda opera, quo intelligant

telligant homines debitores se esse: vt secundum spiritum ambulent, & se seruos inutiles esse; etiam cum omnia fecerint, quæ præcepit Dominus.

Ex quibus manifestè perspicitur, quòd cum nomine tuus Nilus, is fuerit, qui non Episcopus, & Martyr, sed alius. Ex altera verò parte videtur manifestè Nilum Episcopum, & Martyrem fuisse sententiarum authorem: nam loco præcitato erant sententiæ græcè scriptæ cum huiusmodi inscriptione.

ΝΕΙΛΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΚΕΦΑΛΑΙΑ Η ΠΑΡΑΙΝΕΣΕΙΣ.

Quæ me mouit (inter alias quoque rationes) vt crederem hunc, non alium fuisse verum authorem. Cæterum Margarinus de la bigne sacræ Theologiæ Professor Parisiensis loco iam citato, græcum textum omnino sustulit, Nilum Episcopum abrasit, Nilum verò Monachorum Patrem inscripsit: Hunc sententiarum authorem fecit. Ad quia nam ratione motus? nonnisi vnico testimonio fidelicet Nicephori Ecclesiastici scriptoris illustris, qui lib. 34 cap. 54. suæ Historiæ Scholasticæ de Nilo non Episcopo ita digreditur.

Admirando Nilo patria fuit Constantinopolis, cuius etiam propter egregiam generis nobilitatem Præfectus fuit. Potentia autem, & opibus affluens, ascetican illis præmulit vitam: Quippe ad exemplum Dauidis, ad domum Domini Dei abijci, quàm in tabernaculis peccatorum maluerit: Et quum eloquentiæ vi polleret, diuinæque gratiæ neruis validus esset, scripta varia, quæ vitæ monasticæ exercitium instruunt, reliquit: verbis, & sententijs ita compositis, vt lectoris animum gratia incredibili recreent. Scripsit quoque diuinorum Patrum in monte Syna obitum, & martyrium, facundia, & affectu tanto, vt satis inde colligere licet, quàm eximia doctrina iuxta, &

virtute vir is fuerit. Vbi etiam suas, & filiorum res paucis commemorat mirabiliter, veluti in Tragœdia captiuitatem eorum exponens, cum Barbari Blemmyę excursione sua cædem ingentem fecere. Quod opusculum tanquam spirituale quoddam oblectamentum studiosis reliquit. Alios item libros edidit optimos, spiritualis gratiæ non expertes: inter quos primum eum perferre dicunt, quem ad gręcę superstitionis sectatores scripsit. Et rursum, qui ab eo ad Eulogium compositi sunt. Capita autem collegit, aliqua quidem fusius, multa autem compendiosius tractata: in quibus spiritualem fructum perinde, atque nectar, aut ambrosiam aliquam oculis subiectum, ita vt facile percipi posset, proposuit. Quem vita defunctum Iustinus posteriori inde translatum in fundamento sacratioris mensę, in eo quod ab ipso Petro, & Paulo Apostolorum Principibus ad Orphancrophium constructum est, templo reposuit.

Ex his igitur verbis, scilicet, capita autem collegit, (vt reor, nam alia non sunt, in quibus merito Margarinus fundari potest) aliqua quidem fusius, multa autem compendiosius tractata, motus est credere Margarinus hunc Nilum non Episcopum fuisse sententiarum parænetica-rum authorem. At quæ ratio conuincens est Nilum non Episcopum fuisse sententiarum authorem, Nicephori testimonio inquientis: capita collegit, aliqua quidem fusius, multa vero compendiosius, cum sententiæ ferè omnes sint compendiosæ? Quæ si Nili non Episcopi fuissent; essent & aliæ simul cum alijs fusius tractatæ. Quare videtur testimonium istud potius contra Margarinum militare, & nostræ fauere opinioni, quam aliter. Nicephori igitur testimonio respondere arbitramur, verum esse quod inquit de Nilo, hunc que non esse Episcopum, & Martyrem, multo certius. At Margarinus de Ia Bigne iam ob

id

id non corroborat sententiam, parenetica sententias esse Nili, sed non Episcopi: dicimus namq; Nilum illum alias potuisse edere sententias, sicuti de facto edidit, ab his prorsus diuersas: ita vt ambo Nili ediderint, sed Episcopus, & Martyr has à nobis adductas, & expositas: alius verò alias. Non enim potest esse, vtrumque Nilum sententias scripsisse has, sed hasce à nobis adductas, esse Nili Episcopi, & Martyris: quia non sunt nisi compendiosæ. Quandoquidem capita illa parim compendiosa, & partim fusius tradita: Nili non Episcopi asserebat. Quod vterque Nilus scripserit, non est impossibile: cum hoc, & simile sententiarum genus à viris sanctissimis, & Ethnicis quoque scriptum sit. A Gregorio scilicet, à Hieronymo, ab Augustino, Ambrosio, Basilio, Origene, Isidoro, Hilario, Eusebio, Cypriano, Cæsario, Clemente. In vitis quoque Patrum, & collationibus multa similia cernuntur. Rursus traduntur ab Ephrem, à Iosepho, & similibus penè innumeris, à Xisto, & ab Epicteto Philosophis, altero Pythagorico, altero autem Stoico. Nonne extant parænesis Isocratis ad Demonicum? quot sententiæ à septem Sapientibus prolatæ circumferuntur? & à cæteris quoq; Ethnicis Philosophis nonne diuersè scriptæ? Itaque quòd Nili non Episcopi sint sententiæ parenetice iuxta Margarinum, quia Nicephorus dixit, Nilum capita collegisse, aliqua quidem fusius, quædam verò compendiosius tractata, illumque non fuisse Episcopum, non conuincit sententias à nobis allatas non esse Nili Episcopi, quia dici potest, quòd vterque Nilus sententias scripserit: sed hasce non esse nisi Nili Episcopi, & Martyris. Quod autem factum sit satis, liber à Paulo Regio Vici Equensis Episcopo, viro integerrimo, & numquam satis laudato, atque de rebus diuinis, & humanis optimè merito, nobis missus, scrupulos omnes dissoluet, atque veri-

tatem

iatem aperiet. Titulus libri est. Sententiæ siue loci communes ex sacris, & profanis authoribus ab Antonio Monacho, cognomento Melissa, collecti, qui liber impressus est Antuerpiæ apud Ioannem Bellerum sub insigni Falconis 1560. Hic liber sententias diuersorum continet authorum, tum Ecclesiasticorum, tum quoq; profanorum. Ex Ecclesiasticis numerantur 37. ex profanis 87. cum septem Sapientibus. Vt autem res authoritatem habeat, singulos citare operæpretium est: ne quis credat me per excessum loqui. Ecclesiastici Authores sunt hi. Athanasius, Basilius, Clemens, Constantinus Imperator, Cirillus, Dionysius, Dorotheus, Euagrius, Firmus, Gregorius Nazianzenus, qui per excellentiam Theologus dicitur, Gregorius Nyssenus, Gregorius Taumaturgus, ideſt Neocæsariensis, Ignatius, Ioannes Chrysostomus, Ioannes Damascenus, Ioannes Scholasticus, vel Climax, Iosephus, Irenæus, Isidorus Pelusiota, Iustinus Philosophus, Marcus Anachoreta, Maximus, Methodius, & Nilus. Insuper ex Patribus inseruntur Philo, Photius Patriarcha, Procopius Rethor. Ex senioribus Serapion, Seuerianus, Socrates, Symeon, Synesius, Theotimus, Theodoretus, Theophilus. Citatur etiam eo loci sæpissime vtrumque Testamentum. At profani sunt, Aeschines, Agatho, Agesilaus, Alexander, Anacreon, Antiphanes, Antisthenes, Apollonius, Anacharsis, Aristides, Aristippus, Aristoteles, Bias, Carcinus, Cato, Chabrias, Charidea, Chrysippus, Cleanthes, Clearcus, Crates, Cypselus, Demades, Demonax, Democritus, Demosthenes, Diadochus, Dydimus, Diodorus, Dion Romanus, Diphilus, Diogenes, Empedocles, Epicarmus, Epictetus, Epicurus, Euclides, Euripides, Eusebius, Hermogenes, Herodotus, Hieron, Iamblicus, Isocrates, Cæsus, Leucippes, Libanius, Lucianus, Menander, Moschion, Musonius, Nicocles,

Oppianus,

Digitized by Google

Oppianus, Phauorinus, Philemon, Philistion, Phocion, Pittacus, Plato, Plutarchus, Polyenus, Posidippus, Pythagoras, Rheginus. Sapientes deinde septem. Amplius Scelerias, Serinus, Sextus, Socrates, Solon, Sophocles, Sostratus, Socion, Theognis, Theopompus, aliàs Theopemptus, Thespis, Xenophon, Zeno, Zaleucus. Qui omnes cum Ecclesiastici, tum quoque profani, maiori ex parte Græci authores extant: fuit enim curæ Antonio Monacho Melissæ Græcos vt plurimum authores colligere, atque citare, licet non omnes, & singulos citet. In prima Ecclesiasticorum classe iam vides Nilum quoque obtinuisse locum. Videamus iam quæ nam sint eius sententiæ, num eædem quæ à nobis allatæ, & expositæ, an aliæ? sic enim huius rei veritas clarius illucescet. In prærecitato itaque libro, sermone quinto, De spe in Deum, & quòd spes in Deum, non in humana præsidia collocari debeat, hasce Nili sentētias reperies. Prima est. Malum insperatum omnino perturbat, cum ingruit: quòd verò expectabatur, compositam, & præparatam ad periculum mentem inueniens, calamitatem leuiorem reddit. Secunda est. Bonum separatum si secus, & in contrarium cadens, nos fallat: affectum vix vllo mitigandum, solatio gignit. Sermone autem sexto, De iis qui diuitijs, & hominibus fidunt, nec in Deo spem, & fiduciam omnem sitam habent, legitur hæc sola. Qui super quatuor ingreditur, impurus est. Ingreditur autem super quatuor, qui manibus innititur, & omnem in ijs habet fiduciam. Sermone verò xxxvi. titulo de virtute, quæ animum suis, & præsentibus rebus contentum reddit, duæ aliæ adsunt. Prima. Possessionis modus est corporis necessitas: eius verò excessus, non vsus, aut necessitas, sed vitium est. Secunda. Bonum est intra fines necessitatis manere, & omnibus viribus contendere, ne transcendamus illos.

Digitized by Google

Nam si quis vel modicum per cupiditatem ad vitæ delicias deflexerit, nullus deinceps quo minus pergat, coercere potest. Amplius, de insomnijs sermone 43. tres inscribuntur sententiæ. Prima est. Qui dediti sunt ebrietati, & gulæ, illi somnum genuinum, syncerumque non capiunt, & terribilibus insomnijs afficiuntur. Secunda est. Qui obseruat insomnia, similis est vmbram suam persequēti. Tertia verò est. Quando in somnis Dęmonibus obedire incipimus, tunc etiam vigilantes deinceps illudunt. De oratione verò, seu precibus, sermone 46. nec vna citatur. Quando bonum aliquod à Deo petieris, nec ille te statim audierit, noli teipsum negligere, nec animum deijcere: sæpenumero enim non conducit tibi tua petitio ad præsens tempus. Subinde sermone 48. de doctrina, quæ tum sermone, tum conuersatione fit, hæc sola similiter legitur. Frustra insumuntur omnia verba ad emendationem, quando animus audientium ad deteriora inclinans, contrarium cōsultoris sermoni institutum habet. Rursus sermone 70. prætermissa prima ob rationem inferius dicendam, hæc est altera. Cum omnes res tuæ bene procedunt, expecta mutationem: & rursus alias inopinatis malis circundatus, fausta, & meliora tibi promitte. At sermone 71. De vitæ inæqualitate, duæ leguntur. Vna est. Ne decipiant nos res illæ, quæ in hoc mundo celebres, ac splendidæ videntur. Omnino enim prætereūt, & nihil ex apparentibus stabile est. Altera verò: Cum tibi omnia negotia tua benè succedunt, expectes quoque iacturam. Hæc est postrema Nili sententia prioris partis sermonum: Bene tamen verum est, quòd ibi deest sermonis 75. finis, & totus 76. cuius titulus erat. De illis, qui os suum, & linguam non custodiunt. Cum igitur sit mancus, ignoramus, num aliæ Nili sententiæ aderant. At in secundo libro inspiciūtur reliquæ Melissæ per Antonium Monachum

Digitized by Google

Monachum Græcum cõgeſtę: Ioanne Ribitto interprete. Itaque ſermone 17. titulo De ſenibus virtute, & prudentia ornatis, vnica legitur Nili, nempe, Capillus albus factus, animam hinc abituram teſtatur, & clamat. Sermone autem 36. De congregatione malorum virorum: & oportere ſodalitates improborum exitioſas exiſtimari: ſimiliter vnica legitur, quæ eſt talis. Probi viri ad improbos accedentes, multo facilius vitia trahunt, quàm virtutem impertiunt. Subinde, De ijs, qui conſilium, & reprehenſionem non admittunt, ſermone 60. vna quoque ſic legitur. Inanis eſt omnis oratio, quæ ad corrigendum adhibetur, ſi auditorum voluntas, & ſtudium ad deterius inclinans, conſilio noſtro aduerſatur. Amplius, ſermone 73. De modeſtis, & ſpiritu pauperibus, alia ſola legitur, ſcilicet. Beatus cuius eſt vita excelſa, ſpiritus autem humilis. Sermone autem 76. titulo De curioſitate, & ſecuritate, & quiete, ac quietum eſſe, Dei cognitionem conciliare: quatuor citantur Nili ſententiæ. Prima eſt. Vita quieta, multis pecunijs anteponenda eſt. Secunda. Moleſtum ijs, qui recens ſeceſſerunt, otium eſt, quod tunc occaſionem nacta memoria, omnem repetit, & mouet inſitam immunditiem, cum antea ad id faciendum ſpacium non haberet, propter multitudinem diſtrahentium negotiorum. Tertia. Sapiens quietem, & otium perſequitur, vt rerum diuinarum opportune compos fiat. Sapiens demigrat, & transfugit à vita confuſa, & perturbata, ad beatam vitam, & pacificis conuenientem. Quarta autem, & poſtrema, eſt iſta. Res profecto conſtans, & vera exiſtit ſapientia: qui amat illam ſapiens exiſtit: cumque talis ſit, tamen nos impubes præterit: bonum enim male comitatum eſſe non vult. Amplius, De negotiorum ſolicitudine, & diſtractione, ſermone 77. duæ Nili leguntur ſententiæ, altera eſt. Perfecti animi eſt curæ vacuitas: impij

Digitized by Google

autem curis conteri. Altera verò. Insipiens præter rectam rationem motus tranquillitatem, & requiem semper odisse solet. Subinde, sermone 88. De corde versuto, deque mala conscientia, vna tantum inspicitur, ideſt: Voluptas dolorem non exhibet, nec mœrorem gaudium, nec tristitiam lætitia. Rursus, sermone 89. De patientia, & lenitate, vel longanimitate: sola vna inspicitur, scilicet. Contemnere, & nolle pati calamitates, magnæ, & variæ est insipientiæ proprium. Tandem, De republica honesta, & de obedientia, sermone 91. duæ. Prima est. Præstantioribus subiectum esse, vtilissimum est. Secunda verò, & postrema. Infinita sunt mala, quæ commaculant animum, à quibus expurgari, & elui omnino non licet: necessariò enim relinquuntur cuiuis mortali sordes, quas λωφῆσαι leuiores fieri potest, tolli aũt omnino non possunt. Hæ sunt igitur Nili sententiæ à Melissa citatæ, omnes numero 27. quarum quædam compendiosæ, quædam verò fusius traditæ sunt: Vnde manifestè apparet vtrumque Nilum scripsisse sententias, sed prærecitatas, illum qui multorum Monachorum Patrem extitit: illas autem à nobis adductas, eum qui præter Pastoralem dignitatem, pro Christi nomine martyrium fœliciter consumauit. Nescio igitur cur Margarinus de la Bigne, sublato proprio authoris nomine, alteri sententias nuncupauerit, Nicephori dumtaxat testimonio motus, cum re uera non conuincat. Sed dices, quatuor Nili sententiæ à Melissa citatæ, à nobis verò occultatæ, conuincunt sententias paræneticas omnes esse Nili non Episcopi. Nam libro primo, sermone 7. titulo De virtute, non legitur hæc vna? Gaude cum virtutis opus edis, sed ne extollaris: ne forte naufragium in portu facias. Sermone verò 31. titulo De diuitijs, & diuitibus, qui bene, ac decenter viuunt, nonne legitur hæc alia? Ne velis, scilicet, ditescere ea causa, v

liberalis

Digitized by Google

liberalis sis in pauperes. Deus enim iubet iustum misereri ex ijs quæ habet. Rursus, sermone 70. titulo De bona fortuna, & mala, non hęc sola legitur? Luge peccatorem fortunatum: intentatur enim ei gladius iudicis. In posteriori autem libro, sermone 70. titulo De loquacitate, nam vna sola non inspicitur? scilicet: Si ventrem contine, contine & linguam: vt ne sis alterius seruus, alterius autem stulte liber. Cum igitur prima sit XXVIII. illarum, quæ Nilo Episcopo, & Martyri attributæ sint: secunda sit CLXXXIIII. tertia sit XCIV. postrema verò sit CLXXI. clarè conuincitur cunctas sententias esse Nili non Episcopi, nam ideo à nobis non sunt manifestatæ. At facilè respondetur, supradictas quatuor sententias verè esse Nili Episcopi, & Martyris. Quandoquidem cunctæ Nili Episcopi sententiæ ordinatæ cernuntur, vt ostendetur, ibique hæ quatuor cum græcè in textu Græco, tum quoque latinè inuersione leguntur: Nili igitur Episcopi, & Martyris erunt, non alterius. Quòd autem modo dispersæ hinc inde vagentur, Nilo absque agnomine, & titulo, attributæ: authorem errore factum est, vt Nili non Episcopi crediderint: quia citarunt Nilum confusè absque agnomine, & titulo. Quemadmodum si duo reperirentur Augustini ambo Doctores, sed vnus Episcopus, alius verò non: facilè erraretur, citata sententia vnius, sine tituli explicatione: confunderentur enim nomina, & vnus crederet Episcopum, alius non Episcopum. Itaque æquiuocant de Nilo, & errore id factum est, cum titulum non explicauerunt. Exemplum cupis? exemplum accipito. Nonne sunt quatuor Gregorij Doctores famosi; Magnus, qui & Pontifex Maximus, Nazianzenus, qui & Theologus per excellentiam, Nyssenus, & Thaumaturgus, ideſt Neocæsariensis. Si quis igitur alicuius sententiam citaret, puta

Nysseni,

Digitized by Google

Nyſſeni, abſque expreſſione, dicens, Gregorius: facilè errare quis poſſet, putans ſententiam vel Gregorij Magni, vel alterius. Itaque ex citatione ſententiarum abſque expreſſione cognominis, vel agnominis, vel tituli, euenit, vt prærecitatas ſententias putet Nili non Epiſcopi. Sed quid? quot ſententiæ, puta Hieronymi, alteri Doctori attribuuntur, & è conuerſo, & tamen non conueniunt, nec in nomine? Non igitur eſt mirum, ſi duorum authorum in nomine conuenientium, vnus tribuat alteri, & alter alteri, quæ re uera non ſunt niſi alterius: & ob nominis identitatem, confundant ſententias, & æquiuocant de nomine. Sed obijcies, eandem rationem poſſe afferri non eſſe illas Nili Epiſcopi, & Martyris. Reſpondetur rationem nullius eſſe ponderis: Dum enim ſententiæ ordinatę leguntur, authori proprio attributæ conſpiciuntur, idiomate proprio compoſitæ cernuntur: Dum enim adeſt ordo, ſeries, nomen, titulus, inſcriptio, qualitas, & ſimilia authori conuenientia, quid opus eſt, deleto proprio authore, alteri nuncupare, abſque ratione aliqua, & fundamento, ſed mera coniectura? ſi ſuſpicari licet, determinare non licet. Quapropter ſententias à nobis traditas, & expoſitas, non eſt ambigendum eſſe Nili Epiſcopi, & Martyris: quamuis alter Nilus alias promulgauerit, Ne autem quis putet, nos inconſultò loqui, aut ex paſſione, rationes aliquas pro huius rei dilucidatione afferemus: quæ ſententias à nobis allatas eſſe Nili Epiſcopi, & Martyris optimè demonſtrabunt. Prima eſt iam facta, & prærecitata. Titulus ſcilicet Græcus. Qui enim fieri poteſt, vt titulus Græcus Nili Epiſcopi, & Martyris dicat eſſe ſententias paræneticas, & tamen alterius eſſe Nili quis credat? ſi Græca inſcriptio eſt.

ΝΕΙΛΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΚΕΦΑΛΑΙΑ, Η ΠΑΡΑΙΝΕΣΕΙΣ,

Quo-

Digitized by Google

Quomodo alterius erunt Nili? si huius essent Nili, non esset additio, expressioque Episcopatus, & Martyrij? Si Græca inscriptio absque titulo, & agnominatione legeretur, Nili vtique non Episcopi essent sententiæ. Non enim est intelligibile, vt Nili non Episcopi fuerint: & quis Nilo Episcopo, & Martyri attribuat. Ab illo auferre, huic verò tribuere quid cogit? Quòd si inscriptionem confictam esse dixeris, nullo libri titulo credendum est amplius. Nam pari modo quis dicere posset, omnes, & singulos librorum titulos confictos esse, & incerti esse authoris, quod quidem absonum valde est. Secunda ratio fundatur in testimonio Sisti Senensis Ordinis Prædicatorum: qui suæ Bibliothecæ sanctæ, libro quarto, loquens de Nilo: in Iob Commentaria scripsisse testatur: nullam de huiusmodi sententijs mentionem faciens. Inquit enim: Nilus multorum in Oriente Pater Monachorum, sanctitate, & eruditione celebris, cuius sexta Synodus scripta veneratur, scripsit in Iob Commentaria. Verum quia ea facilitate qua adducta est ratio, eademmet refelli potest: nempe si quis dixerit, Sistum Senensem non eam assumpsisse prouinciam, vt omnia Nili scripta citaret: sed ea dumtaxat, quæ in sacrorum librorum explicatione elaborasse deprehenditur. Constat autem sententias paræneticas non esse sacrorum librorum explicationes, licet ex sacris libris omnes vel formaliter, vel saltem virtualiter erutæ, atque depromptæ cernantur; Ideo testimonium aliud afferendum est. Prius tamen id obiter dicendum remanet: Nicephorum scilicet non omnes Nili libros citare, non enim sua citat commentaria in Iob, vt Sistus: quod in suspitionem trahere quem posset, vt plures alij fuerint Nili, qui scripserint. Testimonium itaque erit Petri Ricordati Tusci Ordinis Sancti Benedicti: qui in sua Historia Scholastica in quarta die, seu, vt vulgari loquamur

Digitized by Google

mur lingua, nella quarta giornata, dum de Nilo non Episcopo digreditur: nullam de sententijs paræneticis mentionem facit, cum & nonnulla sua opera recitet. Quare vt res fidem habeat, verba eius præcisa lingua Hetrusca composita cudere curauimus.

Di Nilo Dottor Greco.

Mi resta da dire di alcuni Dottori Monaci Orientali, i quali ho voluto che siano gli vltimi: perche non ho mai trouato sotto che Pontefice, ò Imperadore eglino viuessero. Et il primo d'essi voglio che sia Nilo. Qualequale fu huomo molto dotto della lingua
Bessario- nc. *Greca, secondo che dice il poco fa allegato autore: Nella quale egli scriue alcune opere, come vn libro d'orationi monastiche, lequali sono scritte à mano nella libraria della nostra Badia di Firenze. Otto libri de gli otto vitij principali. Quindici operette Teologiche, distinte in capitoli. Vn libro à Carideo Vescouo, oue dice, che non basta alla penitenza, la Confessione. Vn libro del martirio di quei Santi Padri, che habitauano in su'l monte Sina, e nella Regione di Rahiti: iquali per la Fede di Christo furno morti da Saracini. Alcune delle opere sue ancora, che non sono stampate si trouano in Roma scritte à mano in lingua Greca.*

Hucusque Petrus digreditur formaliter, & ad literam. Quæ omnia latinè sic reddimus.

De

Digitized by Google

De Nilo Græco Doctore.

Reliquum est Doctorum quorundam Orientalium Monachorum vitas perstringere, quibus postremum assignauimus locum, ea quippe ratione, tum nullibi reperimus, sub quo Pontifice, aut Imperatore floruerint. Quorum primus Nilus est, vir Græcæ linguæ doctissimus, vt iam præcitatus author testatur. Bessarion Cardinalis. *In qua quidem phrasi nonnulla scripsit opera, nempe librum de orationibus monasticis, quæ in Bibliotheca nostræ Abbatiæ Florentinæ manuscriptæ leguntur. Octo insuper libros de octo vitijs principalibus. Opuscula Theologica quindecim per capita distincta. Librum ad Carideum Episcopum, vbi pœnitentiæ non sufficere Confessionem, constanter affirmat. Librum de martyrio Sanctorum Patrum habitantium in monte Syna, & in Regione Rahitorum, qui à Saracenis ob Christi Fidem morti traditi sunt. Nonnulla insuper eius opera, quamuis nondum typis excusa, græcè manuscripta Romæ visuntur.*

In hac itaque digressione nihil de sententijs paræneticis tangit Petrus, quippe qui non inuenerit huius rei veritatem, atque certitudinem: nam vtique fassus esset. Verum enimuero quod sententiæ paræneticæ sint Nili Episcopi, & Martyris, ratio validissima adest ex Mutij Iustinopolitani Episcopi testimonio desumpta. Hic libro secundo suæ Sacræ Historiæ, idiomate Italico compositę, pagina 78. constanter affirmat, atque certiores nos facit,

Digitized by Google

Nilum Episcopum,& Martyrem sententiarum paræneticarum authorem fuisse, hisce verbis.

DI questo santo Padre ci è una dottrina di varie sentenze composta: tra le quali per essempio habbiamo notato le seguenti.

1 *Reputa che i digiuni siano l'armatura, l'oratione le mura, e le lagrime il bagno.*

2 *Nella Chiesa conuersa come nel cielo: e perciò in quella non parlare, ne pensare cosa terrena.*

3 *Nella infermità ricorri prima all'oratione, e poi al medico, & alle medicine.*

4 *Honora tutti i Sacerdoti, e prattica con li buoni.*

5 *Se vn bere d'acqua fredda giustifica il misericordioso: qual retributione pensi tu che aspetti, chi distribuisce il tutto à poueri?*

Quæ latinè sic omnia reddimus.

Huius sancti Patris doctrina quædam inspicitur variarum sententiarum referta floscvlis: inter quas gratia exempli, infrascriptas adnotauimus.

1 *Armaturam enim ieiunium, orationem murum, & balneum lachrymas esse putato.*

2 *Ecclesiam non secus ac cœlum frequenta, nihilq; in ipsa seu loquere, seu cogita terrenum.*

3 *In morbis oratione prius, quàm medicis, & pharmacis vtere.*

4 *Sacerdotes omnes honora, bonis verò tantùm conuersare.*

5 *Si*

Digitized by Google

Si poculum frigidæ aquæ iustificat misericordem: quanta putas retributio expectat distribuentem omnia pauperibus?

Has igitur sententias clarum est legi sub Nili Episcopi, & Martyris titulo, vt in illarum serie & Græca, & Latina videbis. Nam prima in ordine est LIII. Secunda LVII. Tertia LXII. Quarta LXIII. Quinta autem, & postrema est CLXXXV. Quis igitur alterius Nili, non autem Episcopi, & Martyris affirmabit? cum testimonium hoc sit præstantissimum? Aut dices, Mutium inconsultò scripsisse? aut Nilo Episcopo attribuisse, Nilo autem non Episcopo abstuliſſe? Nisi enim sub Nili Episcopi, & Martyris titulo legisset, vtique non affirmaret esse Nili Episcopi. Quid enim erat in causa, vt Mutius Nilo Episcopo attribueret, Nilo autem non Episcopo auferret? Sed obijci quoque potest sententias non esse Nili Episcopi, & Martyris, sicuti à quibusdam obiectum nobis fuit, hac ratione scilicet, quia sub persequutione positus fuit cum alijs sub Maximino Imperatore, ac propterea tempus non supererat edendi libros. Rursus, in eius vita, & passione nulla de his sententijs mentio facta est: non sunt igitur suæ. Prima ratio friuola est, nam & plerique Sancti Martyres ante Nilum fuisse leguntur, qui literario ocio delectati, varia scripserunt. Dionysius Areopagitâ, qui cum alijs ad Pauli Apostoli prædicationem conuersus, nonne de Diuinis nominibus, de cœlesti Hierarchia, item de Mystica Theologia, & alia nonnulla scripsit? & tamen martyrium pro Catholica Fide consumasse Parisius manifestum est? Clemens Papa huius nominis primus, quot libros edidit? Nonne recognitionum decẽ libros ad Iacobũ fratrẽ Domini? quinque epistolas

Digitized by Google

de diuersis rebus ecclesiasticis ad eundem Iacobum fratrem Domini, & nonnulla alia? qui tamen pro Fide Christi sub Traiano Principe in Transpontina Insula vitam perdidit. Iustinus Martyr non scripsit? & plerique alij Sancti Martyres non scripserunt? non obstat martyrium, vel antiquitas studio. Quod autem in eius vita nulla mentio de libris à se editis facta fuerit, non cogit non edisse. Nam animaduertere quisque debet, quòd qui, eius vitam scripsit, non suam tantum scripsisse, sed multorum simul constat; inter quos pro Christi nomine igne consumptos fuisse quatuor solum (vt dicemus) refert.

Surius quarto Calendas Maij, in vita Sancti Syluani Gazę Episcopi, interprete Ioanne Christophorsono Angliæ doctissimo Episcopo, vitam Nili Episcopi, & trium aliorum martyrium, his verbis concinnè digreditur.

Cum septimus annus persecutionis contra nos intentatæ iam prope esset confectus, & res nostræ sensim, & quasi tacito gressu ad quandam tranquillitatem, securitatemque prolaberentur, & ad octauum annum deflecterent, in quo non exigua Confessorum multitudo apud metalla in Palestina cogebatur: qui magna iam in ritibus Religionis perfungendis vtebantur libertate, adeò vt domos exædificarent: Præfectus Prouinciæ vir sæuus, & improbus qualem scelera eius in martyres Christi admissa ipsam planè commonstrabant, eò statim profectus, simulatque facta, & vitæ institutionem eorum, qui ibi degebant, audiuerat, Imperatorem facit per literas certiorem; & in ijsdem ea, quæ ad eorum famam violandam maximè valere putabat, ad eum scribit. Vnde qui metallorum venis præerat, accessit, & tanquàm ex Imperatoris mandato, confessorum segregauit multitudinem, sicque distribuit, vt deinceps alij Cyprum, alij Lybanum incolerent: alios etiam in alia Palestinæ loca dispertiens, omnes

varijs

Digitized by Google

varijs laborum molestijs vexari, conterique præcepit. Deinde quatuor ex eorum numero eximens, qui principem locum inter eos tenere videbantur, ad Magistrum Equitum mittit: quorum duo, Petrus, & Nilus appellabãtur Aegyptiorum Episcopi: tertius Presbyter fuit ille. His etiam quartus accessit Pater Mythius, vir propter singulare erga omnes pietatis studium facilè clarissimus, ex quibus Magister Equitum Religionis, & Fidei in Christum inficiationem postulat: atque haud compos voti factus, eos ignis incendijs cremandos tradit. Passi sunt sub Maximino Imperatore.

Horum tamen martyrium incidit in 19. Septembris diem: quod tamen tempore persecutionis Diocletiani Cæsar Cardinalis Baronius doctissimus refert in suo Martyrologio, his verbis.

In Palestina Sanctorum Pelei, Nili, & Eliæ Episcoporum Aegypti, qui tempore persecutionis Diocletiani, cum plurimis clericis, pro Christo, igne consumpti sunt. Sed vide Bedam, Vsuardum, Addo, Petrum in Catalogo lib. 8. cap. 96. ac cæteros recentiores. Eorum certamina scribit Eusebius lib. 8. cap. 22. & 25. ex quo Nicephorus lib. 7. c. 16. & recentiores multa congerunt.

Ex dictis itaque manifestè cernitur Margarinum de la Bigne non rectè (pace sua dictum sit) Nilo Episcopo, & Martyri, quod suum erat, abstuliſſe; Nilo verò non Episcopo tribuisse, cum rationibus non paruis id probatum sit: suæ verò non conuincant, nec persuadent. Quod si rationibus hisce aliqui non consenserint, acquieuerintue, producant suas, quibus & nos facilè acquiescemus, si persuaserint tantum. Quod si attulerint postremam, nempe, quòd plerique viri hac tempestate doctissimi teneant oppositum, scilicet, quòd non sint Nili Episcopi, & Martyris, sed alterius Nili, respondemus, quòd ex alia

parte

Digitized by Google

parte adsunt centum alij viri præstantissimi autumantes Nilum Episcopum, & Martyrem harum sententiarum paræneticarum authorem. Hæc itaque sunt, quæ ob nostræ Apologiæ robur nobis adducenda, visa sunt: non inanis, & mox perituræ gloriæ petulantia moti, neque vt quemquam carpere vellemus, sed iuuandi amore, flagrantique eximo pectore constantis, & immotæ veritatis studio. Quòd si aliqui futuri sint, qui hanc nostram Apologiam vel calumniari ausi fuerint, vel saltem rationibus adductis non acquieuerint, aut suas adducant Achilles (vt iam paulo ante diximus) aut rationibus nostris respondeant, aut viris illustribus satisfaciant. Quod autem re uera sententiæ sint Nili Episcopi, & Martyris, non autem alterius Nili, inscriptio, titulus, nomen, dignitas, actus heroicus, & concomitantia omnia græcè composita; fidem rei astruent: quæ singula iam cernes, si pagellam, quæ sequitur, volueris.

Finis Apologiæ.

Digitized by Google



Digitized by Google

S. NILVS EPISC. ET MARTYR ÆGYPTIVS.

Digitized by Google

ΝΕΙΛΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΟΣ, ΚΕΦΑΛΑΙΑ, Η ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΣ.

1 Ἀρχὴ σωτηρίας, ἡ ἑαυτοῦ κατάγνωσις.

2 Βέλτιον οἰκῆ ἐμβάλλειν λίθον, ἢ λόγον.

3 Γενοῦ τοῖς πᾶσιν, ὡς σὺ θέλεις πάντας.

4 Δικαιοσυνίῳ μᾶλλον ἔργῳ, ἢ λόγῳ ἄσκει.

5 Εὐσεβὴς οὐχ ὁ πολλοὺς ἱλεῶν, ἀλλ' ὁ μηδένα ἀδικῶν.

6 Ζῆν ἄμεινον ἐπὶ σικάδος, καὶ θαρρεῖν, ἢ χρυσῷ ἔχοντα κλίνῃ.

7 Ἡδὺς ἐκεῖνος ὁ φίλος, ὁ τῇ ψυχῇ διαρέφων.

8 Θεὸν μὲν λόγοις ὕμνει, ἔργοις δὲ σέβῃ, ἐννοίᾳ δὲ τίμα.

9 Ἱερέα φρόνησις, καὶ βίος, καὶ εὐγένεια ποιεῖ.

10 Κάκιστόν ἐστι πᾶσι δουλεύειν αἰσχροῖς.

11 Λόγῳ μὲν τὴν ἀρετὴν δίδασκε, ἔργῳ δὲ αὐτῇ τίμπτα.

12 Μὴ τὸ ἔχειν ἀρετὴν καλὸν νόμιζε, ἀλλὰ τὸ ὡς δεῖ.

13 Νόμον τιμῶν κατὰ νόμον ζήσεις.

14 Ξένος ἐκεῖνος, οὐ ξένα τὰ τοῦ κόσμου.

15 Ὀφθαλμῶν ἑαυτὸν ζημιοῖ ὁ γὰρ κατ' ἄλλου φθεγγόμενος, φθάνει πάσχων ὑφ' ἑαυτοῦ κακῶς.

16 Πλοῦσιον μή τε κολάκευε, μήτε παρόξυνε.

17 Ὀργάνου μὲν οἶνος τὸ σῶμα, τῇ δὲ ψυχῇ λόγος θεοῦ.

Digitized by Google

18 Σιτίοις χρῶ, οὐ τοῖς ἡδέσιν, ἀλλὰ τοῖς ὠφελίμοις.

19 Τοῖς ὄχλοις πειρᾶσθαι ἀρέσκειν, τῶν ὄχλων ὅμοιος ἔσῃ.

20 Ὑπὲρ πάντα καταχρῶ τῷ σώματί σου.

21 Φιλόπονος ἐκεῖνος, ᾧ χρόνος οὐ περιασκεῖ.

22 Χριστιανοῦ ἀνδρὸς μὴ τὸ σχῆμα ἀποδέχου, ἀλλὰ τὸ τῆς ψυχῆς φρόνημα.

23 Ψέγειν ἀνεπίληπτον εἰς θεόν, ἁμαρτία.

24 Ὧν τῶν χρυσώσεις, μέγας ὁ κίνδυνος.

25 Φόβον ἔχε θεοῦ, καὶ πόθον, καὶ κατανόει πρὸς πάντας τῷ μαρτυρίῳ τοῦ σωτηρίου τούτου κέχρησθε.

26 Αὐτὸν ἐφεστάναι τὸν θεὸν πίστευε, ἐν οἷς πράττεις ἑκάστοτε.

27 Φεῦγε τοὺς ἐπαίνους, αἰσχύνου δὲ τοὺς ψόγους.

28 Χαίρου τῇ ἀρετῇ νίκα πράξεις. ἀλλὰ μὴ ἐπαίρου, μήποτε τὸ ναυάγιον ἐν τῷ λιμένι γένηται.

29 Ὅσον ἐν τῷ νόμῳ προκόπτεις, ἀπολείπεσθαι τῆς τελειότητος γινόσκε.

30 Πάσης πράξεως τὸ τέλος πρὸ τῆς ἀρχῆς ἐξέταζε.

31 Νύκτωρ καὶ μεθημερὰν πρὸς τὴν ἡμέραν τὴν ἐσχάτην ἀπόβλεπε.

32 Μὴ ἀναμίγνυσο τούτῳ, ὃν παρὰ τῶν ἀγαθῶν θεωρεῖς λοιδορούμενον.

33 Σπεῦδε μηδενὶ βλάβῃ, ἐν οἷς πράττεις, ἀλλ' ἵνα, ἢ φιλόσοφος γενέσθαι.

34 Μὴ ἀφραίνου τοῖς ἀνθρωπίνοις τοῦ βίου. τὸ γὰρ χόρτινον ἄνθος, ὡς ψηλαφᾷς, μαραίνεται.

35 Ἐν τοῖς λυπηροῖς εὐχαρίστει, καὶ ὁ ζυγὸς τῶν ἁμαρτιῶν κουφίζεται.

36 Ἐν

36 Ἐν τοῖς πειρασμοῖς ἀσφαλίζου. πολλοὺς γὰρ καὶ μειζόνων ἥλωξαν.

37 Μὴ μέμφου τῷ τοῦ θεοῦ μακροθυμίαν. κοινὸν γὰρ ἔδει φάρμακον.

38 Μίσει τὸ ἀνώμαλον τοῦ βίου, ἐπ' αὐτὸ δὲ τὸν θεὸν μὴ διάβαλλε.

39 Προσδέχομαι ἑαυτοῖς, καὶ ἄλλους οὐ σκάνδομαι.

40 Πολλὰ γὰρ ἐν ἡμῖν, ἀφ' ὧν τοὺς ἄλλους σκάπτομεν.

41 Ψαλμός ἔστω σοι δύχης ἐν τῷ στόματί σου. θεὸς γὰρ ὀνομαζόμενος, φυγαδεύει τοὺς δαίμονας.

42 Προσδέχη μετὰ νήψεως γνῶσιν, ἵνα μὴ τὸν θεὸν αἰτούμενος, οἷς αὐτὸς οὐκ ἀρέσκεται.

43 Λ'εἰ μνημόνευε τοῦ θεοῦ, καὶ οὐρανὸς ἡ διάνοιά σου γίνεται.

44 Χαλίνου τὸν ὀφθαλμόν. ὡς γὰρ οὐκ οἶδας, ῥέμβεται.

45 Φείδου τῆς γλώττης. πολλάκις γὰρ προφέρει, ἅπαν ἄμουσον κρύπτεσθαι.

46 Γεώργει τῇ μελέτῃ τοῦ νόμου, τῷ διάμισον. ἐκτέλει γὰρ τῶν λογισμῶν τοὺς πονηροὺς, σωφρόνως μελετώμενος.

47 Τὰς ἀρετὰς κρύπτε μάρτυρας δὲ τοῦ βίου πολλοὺς, κέκτησαι.

48 Μίσει τὰς ἡδονὰς τῆς σαρκός. ῥυπαρὰν γὰρ μετὰ τοῦ σώματος τῷ ψυχῷ ἐργάζονται.

49 Μόνα δίδου τῇ σαρκὶ ὅσα χρήζει λαβεῖν, οὐχ ὅσα βούλεται.

50 Μὴ ἀγάπα τὸ ψευδές. φιλίαν γὰρ πρὸς τὸν βίον ἐμποιεῖ, ἔχθραν δὲ πρὸς τὸν θεὸν ἐξ ἑκατέρου τίκτεται.

51 Λ'πόστρεφου τῷ ἐν τῷ βίῳ χαρᾷ. αὕτη γὰρ ὀλισθαίνει, καὶ σκάλλει τοὺς πρέχοντας.

52 Πλοῦτον εἰ μὲν ἔχεις, σκόρπιζε. εἰδ' αὖ ἔχεις, μὴ σώζε.

Digitized by Google

53 Ὅπλον ἡγοῦ τὴν ὑπομονήν, ᾗ τὴν προσδοκίαν τοῖχος. καὶ λοιδορία τὰ δάκρυα.

54 Ὅσα ἐξήμαρτες, πάντα μετὰ στεναγμῶν μέμνησο. γίνεται γὰρ ἐντεῦθεν τῇ ψυχῇ διαμονὴ κατάνυξις.

55 Περιποιοῦ τοὺς πλουσίους. οὗτοι γὰρ ἡμῖν τὸν πρῖτιν καταλλάσσουσι.

56 Ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινώνει. διὰ τούτων γάρ σοι κοινωνία πρὸς τὸν θεὸν γίνεται.

57 Τὴν ἐκκλησίαν ὡς οὐρανὸν πάτει. καὶ μηδὲν ἐν αὐτῇ μηδὲ λέγε, μηδὲ λογίζου γήϊνον.

58 Ἀναγκαίαν νόμιζε τὴν αὐτάρκειαν, παραχώρει δὲ τῷ Θεῷ τὴν ὑπὲρ ταύτης μέριμναν.

59 Κύλλα τὴν σάρκα ἀγαθοῖς πόνοις, παντελῶς δὲ αὐτὴν μὴ καταπεσεῖν φρόντιζε.

60 Πίνε τὸν οἶνον ἐλάχιστον. ἔσον γὰρ κολοβοῦται, διεργετεῖ τοὺς πίνοντας.

61 Κόλαζε τὸν θυμόν. μανίας γὰρ δεῖ πατὴρ, τὸ μέσον ἐξερχόμενος.

62 Ἐν ταῖς νόσοις τῇ προσδοκίᾳ πρὸ τῶν ἰατρῶν καὶ φαρμάκων, κέχρησο.

63 Τοὺς ἱερεῖς πάντας μὴ τιμᾷ, τοῖς ἀγαθοῖς δὲ πρόσεχε.

64 Ἀγάπα τοῦ θεοῦ τοὺς οἴκους, οἶκον δὲ θεοῦ καὶ σαυτὸν κατασκεύασον.

65 Εἰς τὴν ἐκκλησίαν σύχναζε. θορύζων γὰρ ἡμᾶς καὶ ζάλης ἀπαλλάττει τὸ ἔξωθεν.

66 Ὅσα ἐν τῇ γῇ πρόσκαιρα, μηδὲ νοῒ λύπει τὸ χωρίζομενον.

67 Ὅταν σοὶ λογισμὸς ἡδυπαθείας ἐγγένηται, ἀντίστησον αὐτῷ τὴν τῶν ἀθλητῶν μαίχωλιν, καὶ τὴν τοῦ θεοῦ πρόσκρουσιν.

68 Ἀσφαλίζου τὴν ἀκοήν, καὶ τοὺς ὀφθαλμούς. διὰ αὐτῶν γὰρ πάντα τὰ βέλη τῆς κακίας εἰσέρχονται.

69 Ἡ νίκα

69 Ἡνίκα προσάχῃ τὸν λυγισμὸν πρὸς θεὸν ἀνάγαγε. κἂν περιπαθὴς κατέλθῃ, πάλιν αὐτὸν ἀνάγαγε.

70 Οὐ παύεται ἡ διάνοια τίκτουσα. σὺ δὲ τοὺς μὲν φαύλους ἔκτειλε, τοὺς δὲ ἀγαθοὺς, γεώργησον.

71 Χαῖρε τῇ ταπεινώσει. τὸ γὰρ ἐξ αὐτῆς ὕψος πολύ, καὶ πιθὲν μὴ δωμάσῃ.

72 Ἄσκει τοσοῦτον, ὅσον χαλάσαι τῆς σαρκὸς τὰ κινήματα. κἂν ἀσθενήσῃ, πρὸς ὑγείαν τὸ σῶμα, μὴ πρὸς τρυφὴν διορθώσου.

73 Τοὺς πονηροὺς τῶν λογισμῶν, λογισμοῖς ἑτέροις ἀναμόχλευε.

74 Λογίζου τῶν οὐρανῶν ἀγαθῶν τὴν ἀπερίπειαν. καὶ πάθος οὐδέν σοι τῆς γῆς, ἢ τῶν ἐκ ταύτης τερπνῶν ἐπεισέρχεται.

75 Ἡνίκα περὶ θεοῦ ἐπέρχεταί σοι νοεῖν, μὴ τὸν θεὸν, ἀλλὰ σαυτὸν. οὐδὲν γὰρ ἀσφαλὲς, ὑπὲρ τὸ μέτρον, ὃ παρχωροῦμεν, ἐπέρχεται.

76 Τὰς φαύλους ἐνθυμήσεις, πόρρω εἶναι τοῦ διαβόλου πίστευε. οὕτω γὰρ αὐταὶ πάσονται, ὁ δὲ πορρω αἰχμώτευε.

77 Φείδου τὰ πολλὰ γέλωτος. χαυνοῖ γὰρ τὴν ψυχήν. χαυνωθεῖσα δὲ, τῷ τοῦ νόμου χαλινῷ δύσκολως ἀποδύεται.

78 Εἰς ἔργα δεῖ τὴν ψυχὴν καὶ προσάχας μερίζεσθαι οὕτω γὰρ οὐ πολλὰς εὑρίσκει πρὸς ἡμᾶς τὰς εἰσόδους, ὁ διάβολος.

79 Ἔργον εἶναι τοῦ νόμου τὴν ἀνάγνωσιν νόμιζε, ὅταν μετὰ τῆς γλώττης ὁ νοῦς πυγῇ σαι τί θέλων, ἐν ταῖς βίβλοις ἐργάζηται.

80 Ἐὰν εἰς ἔργα τὴν χεῖρα κινῇς, ἡ γλῶττα ψαλλέτω, καὶ ὁ νοῦς προσευχέσθω. ἀπαιτεῖ γὰρ ἀεὶ παρ' ἡμῶν ὁ θεὸς μνημονεύεσθαι.

81 Πᾶσαν μὲν πρᾶξιν δια προσευχῆς σφράγιζε. ταύτην δὲ μάλιστα, ἐφ' ᾧ τὸν λογισμὸν θεωρεῖς ἀμφιβάλλοντα.

82 Εἰ βούλει τὰ τῶν χειρῶν ἔργα, θεῖα σοὶ καὶ μὴ κοῖτα γίνεσθαι, κοινά σου τὰ ἐξ αὐτῶν γινέσθω πρὸς τοὺς χρῄζοντας.

83 Χαῖρε

83 Χαῖρε τῶν ἁγίων ἐντεύξει. δι' αὐτῶν γὰρ ὁ θεὸς ἐμφανίζεται.

84 Τοὺς ἀληθῶς ἁγίους ἀπὸ τῶν ἔργων διάκρινε. ἕκαστον γὰρ δένδρον ἐκ τοῦ καρποῦ γνωρίζεται.

85 Ἀεί τι κερδαίνειν ἐκ τῆς θεωρίας τῆς τῶν ἁγίων σπούδαζε. ἐπιτήρει δὲ αὐτῶν βλάβημα, καὶ ζημία. ἐπιφελὲς γὰρ ἑκάτερον.

86 Ἀκαθαρσίαν ἔσκει τῇ καρδίᾳ, καὶ ἀγνείαν τῷ σώματι. ταῦτα γὰρ ἄμφω σε θεοῦ ναὸν ἀπεργάζεται.

87 Οὕτως οὖν φύλαττε τὸν ναὸν, ὡς τοῦ κτίσαντος καὶ κρίναι μέλλοντος, καὶ τὴν εἰκόνα σε τὴν ἑαυτοῦ καθαρὰν μεθοδεύοντος.

88 Αἱ τῶν ζωτικῶν ὁμιλίαι τὸν λογισμὸν ἀπὸ θεοῦ χωρίζουσι. διόπερ αὐταῖς μηδὲ συλλάλει, καὶ τοὺς λαλοῦντας ἔκκλινε.

89 Ὅταν λοιδορηθῇς, σιώπει μήτι σοι τῆς λοιδορίας πέπρακται ἄξιον. εἰ δὲ οὐ πέπρακται, κατιόν, εἶναι φάγοντα τὴν λοιδορίαν νόμιζε.

90 Ἐν οἷς ἀδικῇ τὴ ὑπομονῇ προσφεύγε, καὶ πρὸς τοὺς ἀδικοῦντας μὴ βλάβῃ μεθίστασο.

91 Νίκα πλοῦτον ἢ δόξαν ὁρᾶς, ἢ βιωτικὴν δωρεὰν, λογίζου τὸ ἐν αὐτοῖς φθαρτὸν, καὶ διὰ φόβου εἰς τὸ δέλεαρ.

92 Καρτέρει, τὰς θλίψεις· ἐν αὐταῖς γὰρ αἱ ἀρεταὶ, καθάπερ ἐν ἀκάνθαις ῥόδα, φύονταί τε καὶ τρέφονται.

93 Μηδὲ εἶναι τῆς ἀρετῆς ἴσον ἑαυτὸν ἀξίωμα νόμιζε. ὕψις γὰρ ὅτι θεοῦ διέπει ὅτι, καθὰ καὶ αὐτὸς, ἄτρεπτος.

94 Θρυλοῦσι τὸν ἁμαρτωλὸν ἀθλιοῦντα. τὸ ξίφος γὰρ αὐτῷ τῆς δίκης ἐπὶ τείνεται.

95 Μητέρα κακῶν τὴν ῥᾳθυμίαν νόμιζε. ἄγαθα γὰρ ἅμα ἔχεις συλᾷ. ἃ δὲ οὐκ ἔχεις, οὐκέτι προσκτήσασθαι.

96 Ὅταν φαῦλα πράττων, ἐπ' αὐτοῖς μὴ αἰσχύνεται, βαρεῖται, τὸ τραῦμα, καὶ τὸ πῶμα εἰς ἀπόγνωσιν ἔρχεται.

97 Ὁσάκις

Digitized by Google

97 Οσάκις ἀθυμεῖς, λογίζου πόσα τοῖς πιστοῖς παρεσυδάσαμεν, καὶ ὁ καρπὸς σου τοῦ πνεύματος ἀχρεῶς παραγίνεται.

98 Χρὴ τὸν πιστὸν ταπεινοῦσθαι πρὸς πάντας. τὸ γὰρ πρὸς ἐνίους ταπεινοῦσθαι, πεπλανημένῳ τινὶ ταπείνωσιν κέκτηται.

99 Τῆς πρὸς τὸν πλησίον ἀγάπης μηδὲν προτιμήσῃς, πλὴν ὅσα ἐξ αὐτῆς ἡ ἀγάπη πρὸς τὸν θεὸν παραβλέπεται.

100 Μηδένι παρὰ τὸν νόμον τοῦ θεοῦ πρόσκοπος μηδὲ πρόσπαιχε. θεοῦ γὰρ ἄξιον ποιεῖ τὸν αὐτοῦ τινὰ προτιμῶντα.

101 Μὴ συναγόρευε τοῖς κακοῖς. αὐτοὺς μὲν γὰρ εἰς κακίαν ἀλείφεις, σὺ δὲ μολυσμῷ τῆ κοινωνίᾳ τοῦ πράγματος.

102 Νουθέτει τὸν ἁμαρτάνοντα, μὴ κατηγόρει τὸν πταίοντα. λοιδορῶ μὲν γὰρ τὸ δεύτερον, τὸ δὲ πρότερον διορθοῦντος.

103 Ἀκούεις αἰεὶ χὴ λαλεῖν τὰ τῶν ἁγίων ἀποὐδαῖα εἰς ζῆλον γὰρ ἀγαθὸν τινὶ ψυχῇ ἐρεθίζουσι.

104 Εἰ ἐκκλησίαν κατ' οἶκον ἕκαστος τὴν διάνοιαν ἔχομεν, καὶ τελοῦν ἐν αὐτῇ τοὺς θεσμοὺς τῆς ἐκκλησίας ἀφιλόμεθα.

105 Εἰ τελεῖται σωτηρία ἐν ἐκκλησίᾳ παράβαλε. εἰ δὲ μὴ τελεῖται, σὺ ψάλλων ἀποστολικὸν συναγέλιον, ἀπέλθε.

106 Τὴν τῶν ἀρετῶν δόξαν ἐκ τῶν ἁγίων κατόπευε. ἀθάνατοι γὰρ αὐτῶν αἱ δόξαι, καὶ μετὰ θάνατον γίνονται.

107 Τὴν κακίαν τίτε μισήσεις, ὅταν λογίσῃ δαιμόνων ὅτι ὀξὶ καθ' ἡμῶν σιλβουμένη μάχαιρα.

108 Εἰ νουθετῆς τὸν πταίσαντα, κράσον συμπαθείᾳ τὰ ῥήματα καὶ τὰ μὲν ὦτα μαλάσσονται, ἡ δὲ καρδία φωτίζεται.

109 Ὅταν ἐν ἁγίοις λαλεῖς, ἐρώτα τὰ τοῦ πνεύματος. ὅταν δὲ μὴ τοιούτοις λαλεῖς, οὐ ταῦτα λάλει.

110 Τὰς

Digitized by Google

110 Τὰς πράξεις ἀεὶ τὰς ἀγαθὰς ἐπίστωσθε, μή ποτε καταλίπ' αὐτὰς, ἡμιτελὴς ἀπολῇσθε.

111 Οὕτω πρέχε, ἵνα καταλάβῃς, τί τέλειον ἀπαύστου. δεῖ γὰρ τὸν ἀρετὴν πρέχειν, μέχρις ἂν ἐξέλθωμεν τοῦ βίου τὸ στάδιον.

112 Μὴ γίνου περὶ τὰς ἐργασίας τῶν ἐν πόλει ὀλίγωρος. τοῖς γὰρ τοιούτοις ὁ κόπος ἀνερδὴς, ἐπὶ κόπον προσίθεται.

113 Τὸν ὑπομονὴν καὶ πρὸ τῆς ἀνάγκης ἄσκει, ὅπως αὐτῆς εὕρεις καὶ ἐν τῇ ἀνάγκῃ τὸν παρόπλιαν ἕτοιμον.

114 Μάχου τοῖς πονηροῖς λογισμοῖς, καὶ λέγε πρὸς αὐτοὺς ὅσα τῷ νόμῳ λαλεῖται.

115 Σπούδαζε πολλῇ τὸν ὀφθαλμὸν ἐκ τοῦ βίου μετάστησον. καπνὸς γὰρ ἐξ αὐτοῦ πονηρὸς, θολοῖ τὸν ψυχὴν ἀναδιδόται.

116 Εἰ φρόνησιν τινὶ σωφροσύνῃ κεκράτησαι, κατὰ μικρὸν ἀπότεμνε. καὶ κότου πολλοῦ χορὶς, τῆς ψυχῆς ἀποβαλεῖς τὸν ἄκανθον.

117 Καθαρὸν ὄντα τὸν θεὸν, καθαρῶς ἀγάπα καὶ τοῦ ἐπὶ πάντων, πάντα δίκαια νόμιζε.

118 Εἰ θέλεις εἶναι ναὸς θεοῦ, θυσίαν ἀνδελεχισμοῦ τῷ προσάχῳ αὐτῷ τὴν διωκεκὴν πρόσφερε.

119 Τὸν ἀμελῶς βιοῦντα, μὴ προλάμβανε σύμβουλον, ὁ γὰρ τοῖς κακοῖς χαίρων, ἀγαθὰ καὶ μισεῖ, καὶ συμβουλεύειν οὐκ ἀνέχεται.

120 Πάσης ἀπέχου φθορᾶς, καὶ τοῦ πυκτικοῦ δείπνου πᾶσαν ἡμέραν μέτεχε. οὕτω γὰρ Χριστοῦ τὸ σῶμα τὸ ἡμέτερον γίνεται.

121 Ἐν οἷς παιδεύῃ παρὰ θεοῦ, μὴ γόγγυζε παιδεύει μὲν γὰρ ὡς πατὴρ, δὲ χαρίσεῖδαι δὲ ὡς ἀνεγέτης ἐστὶν ἄξιος.

122 Ὅταν ἀτιμάζῃς, χαῖρε. εἰ μὲν γὰρ ἀδίκως, ὁ μισθὸς πολύς. εἰ δὲ δικαίως, ἐὰν σωφρονῇς, ἐπουρίζεις τῆς μάτιγος.

123 Σκιᾷ

123 Σκιᾷ καὶ προχῷ τὰ λυπηρὰ τοῦ βίου καὶ τὰ φαιδρὰ παράβαλλε· οὐδὲν γὰρ σκιᾶς οὐ μένει, καὶ οὐδὲ προχὸς κυλίεται.

124 Ἀεὶ προσόπτειν πατὰ θεὸν σπουδάζε· ὁ γὰρ μικρῷ ἔτι μικρὸν προσιθύς, πλοῦτον καλὸν καταβραχὺ συλλέγει, παρὰ πάντων ζητούμενον.

125 Εἰ βούλει τῆς πολάσεως ἐκφυγεῖν τὸ ἐπίτονον, μηδένα ποτὲ λοιδορήσῃς· ἐκ τούτου γὰρ τὸ θεῖον παροξύνεται.

126 Εἰ θέλεις ἐκ τοῦ οἴκου σοῦ ἀπαλλάξαι πᾶσαν μάστιγα μὴ παλαλογήσεις ὁ μόφυλον ἄνθρωπον· ὁ γὰρ ποιήσας αὐτὸν, εἰκόσας παροξύνεται.

127 Εἰ θέλεις πάσης ἁμαρτίας ἀνώτερον εἶναι, πράξεις ἀλλοτρίας μὴ καταμάνθανε· πολλὰ γὰρ εἰσὶν ἐν σοὶ, ἀφ' ὧν ἕτερον ὑπολαμβάνεις.

128 Φεῦγε τὴν ὑπερηφανίαν, ὦ ἄνθρωπε, κἂν πλούσιος ᾖ, μήποτε τὸν θεὸν ἀντιτασσόμενον ἕξεις.

129 Φίλει τὴν ταπεινοφροσύνην, κἂν μέγας ὑπάρχεις, ἵνα ὑψωθῇς ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.

130 Μὴ σκώφῃς ἄνθρωπον, κἂν μικρὸν οὐχ ἕξεις ἐν πάσῃ ζωῇ σοῦ.

131 Ὅταν ἐν ἐκκλησίᾳ ὑπάρχεις, μὴ μετεωρίζου· ἐνώπιον γὰρ βασιλέως εἰσὶ ἑστῶτες, οὔτε γελῶσιν, οὔτε μετεωρίζονται.

132 Μὴ καταφρόνει τῆς ζωῆς σου, καὶ ἀδιαφόρως πράξεις παρὰ τὸν νόμον, ἵνα μὴ παρὰ νόμον τὴν ἀπώλειαν ἕξεις.

133 Μετανάσεις ἀσφαλείας μνημόνευε τῶν εἰρημένων, ἵνα σε λαμπρὸν τῷ βίῳ ἀναδείξωσιν.

134 Ζήλωσον βίων σεμνὸν, ἵνα ἔχεις παῤῥησίαν ἐπιστρέφειν τοὺς ἁμαρτάνοντας.

135 Ἀσφαλίζου τὴν αὐθάδειαν, μὴ ἐπὶ πλήξεις τινὶ, ἵνα μὴ καταπριθῇς ὡς ὑπηλοφρονήσας.

136 Μὴ γελάσῃς ἐπὶ πτώματι ἑτέρου, ἵνα μὴ γελασθῇς ὑφ' ὧν οὐθέλεις.

Digitized by Google

137 Φύλαττε σὰς παραθήκας αὐτὰς, ἵνα σῴζωσιν δόξης προξενήσωσί σε.

138 Γένου ἐγκρατὴς τῶν ἐντολῶν τούτων, ἵνα προσάξωσί σε ἐμφανῆ τοῖς ἀνθρώποις καὶ εὐάρεστον τῷ θεῷ. οὕτω γὰρ ἥδεται τὸ θεῖον, καὶ τοιούτοις κατορθώμασι θεραπεύεται ὁ θεός.

139 Ἀεὶ προκόπτειν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς ἔργοις ἀσύδαζε· ὁδὸς γὰρ εἰς ἀρετὴν ἡ τοῦ βίου φυγή, ἀγαθὴ τε καὶ σώτειρα.

140 Χρὴ τὸν ἐπιθυμοῦντα τῶν ἀφθάρτων, μὴ τῶν οὐδενὸς ἀγεῖσθαι τὰ φθειρόμενα.

141 Εἰ τῷ ζῴῳ τῷ ὄντως πόθεις, προσδέχου ἀεὶ τὸν ἀνθρώπινον θάνατον, καὶ φύσει τὴν ἀρίστην βίου ὁρᾷς γὰρ τὸν ἔχοντα ἀπαύστως κυλινδούμενον.

142 Μὴ προθήσῃς ἀγαθὰ ὧν ἡ χρῆσις παρέρχεται, ἢ ἡ κτῆσις ἀπόλυται.

143 Γέλα τοὺς ἀπραγεῖτας, τοῖς δυσπραγοῦσι σύμπαχε τοὺς μὲν μισοῦς, ἐκεῖνο δὲ φιλοσοφίας προξένου.

144 Τῷ ὑπομονῷ ἄσκει, οἷαν αὐτῷ ἔγνως γυμναζομένους τοὺς μάρτυρας. ἐπειδὴ τὸ τῆς σωτηδήσεως μάρτυρι καὶ ἡμεῖς ἀπαιτούμεθα.

145 Πάντων προτίμα τὴν ψυχὴν, καὶ τῆς ἀρετῆς ὁ δρόμος ἀκαμάτως ἀνύεται.

146 Πάντα μὲν φθαρτὰ, ἡ ψυχὴ δὲ ἐθάνατος. προτιμᾶσθαι τοίνυν τὰ ἄφθαρτα τῶν φθαρτῶν δέον.

147 Ἑτοιμάζου πρὸς τὰ λυπηρὰ, καὶ κερδαίνεις τὸ πλέον.

148 Μὴ ζήτει παρὰ τοῦ θεοῦ τὰ ἡδέα, μόνα δὲ τὰ συμφέροντα. ἐκεῖνα γὰρ αἰτηθεὶς, οἱ δίδωσιν. εἰ δὲ καὶ λάβῃς, φθείρονται.

149 Μὴ μέμφου τὴν πενίαν. ἀπείρασον γὰρ τοῦ πένητος τὸ ἀθλητὴν ἀπεργάζεται.

150 Μὴ ἐυφραίνου τῷ πλούτῳ. εἰ περὶ αὐτῶν γὰρ φροντίδες, χορίζουσιν ἀπὸ θεοῦ, ὡς τὰ πολλὰ, καὶ παρὰ γνώμην τῶν ἀνθρώπων.

151 Ἐγγὺς

Digitized by Google

151 Ἐγγὺς τὸ τέλος, ὁ ῥαθυμῶν ἑτοίμαζέθω καθ' ὁ τί μάτιγας. οὐ μακρὰν τὸ θέρος. ἀκανθῶν τοίνυν τὸν ἀγρὸν τῆς ψυχῆς ἐκπαλάξωμεν.

152 Οὐδὲν λανθάνει τὸν κριτήν, ὥστε μᾶλλον λανθάνοντες ἁμαρτάνειν παραδόμεν.

153 Πρὸ τῶν ἀνθρώπων αἰσχύνε τοὺς ἀγγέλους. πολλοὶ γὰρ ἡμῖν παρεισῆλθον, καὶ πάνυ αἰσχρᾶς ἀποχωρίζεσθαι πράξεως.

154 Μερίμνα τοῦ κριτοῦ τὸν ζυγὸν ἔχει, καὶ πᾶν ἔνι σοι βίβδηλον τῆς βασιλικῆς πείρας ἐκβάλλει.

155 Ζημίαν εἶναι τὴν σχολὴν καὶ τιμὴν ἀνόσιον νόμιζε· καὶ ἀποδέκτην πρέπον ὧν ἀπαιτεῖσθαι μέλλομεν.

156 Ἀεὶ τοῦ βίου λογίζου τὸ ἀβίωτον, καὶ οὐδὲν σε τῶν ἐν αὐτῷ περιπαῦσαι δυνήσεται.

157 Τὰ φαιδρά σε τῆς γῆς μὴ τερπέτω· τὰ πρόσκαιρα ἀγκίστρα γάρ ἐστι, τὴν ψυχήν ὡς ἰχθῦν σαγηνεύοντα.

158 Ἀπέχου τοὺς πειρασμούς. εἰσελθὼν δὲ, τὴν ἀδρόαν ἐκδέξου. μή ποτε πτωχὸν παρίδῃς δακρύοντα, ἵνα μὴ πραθῇ τῆς σῆς τὸ δάκρυον.

159 Ἡ φιλοσοφία χρῆμα τοῖς ἀνθρώποις ἐξαίρετον. οὗσα δὲ μόνου γνῶσις, μόνῃ μέρος συνῆναι τῷ κεκτημένῳ βούλεται.

160 Χιτὼν ἡ ἀρετὴ ἐστὶ τοῦ Θεοῦ· ταύτην ὑφαίνει, καὶ γίνῃ συνεργὸς τοῦ τὴν κτίσιν ἐνδύοντος.

161 Θᾶττον ἐπὶ γῆς κλέπτεται, τὰ κατ' οὐρανὸν ἐργάζου. ταῦτα γὰρ εἰς τοὺς τῶν συλώντων δακτύλους οὐκ εἰσέρχεται.

162 Παρατεῖσθαι δεῖ τὸ ῥευφᾶν· ἅλμη γὰρ εἰς πράξεις, ἀφ' ὧν σφαγμοὶ μετὰ τὸν νῆφιν γίνονται.

163 Τοὺς λογισμοὺς ἄμεινον τοὺς φιλοσάρκους βδελύττεσθαι, φθείρουσι γὰρ τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχὴν μολυνοῦσιν.

Digitized by Google

164 Οὐδὲ τὰ τῆς γῆς ἀγαθὰ χωρὶς κόπων ἀνύεται. ἀνὴρ ὅτε πολίτης τῆς οὐρανίας, διὰ τοῦ μόχθου ἐκκλίνομεν.

165 Εἰ βούλει τινὶ ἀρετὴν ἐκτὸς πόνου ἐργάζεσθαι, λογίζου τὸν κόπον πρόσκαιρον, τὸν δὲ μισθὸν αἰώνιον.

166 Ὅσοι πρὸς τὰς ἡδονὰς τὰς ἀτόπους προσέτρεχον τῆς ἀπολαύσεως τὸ βαρὺ, καὶ τῆς τιμωρίας τὸ μακρὸν λογιζόμενοι.

167 Ὅσον ὁ βίος ῥυπαρὸς, πτωχὸς ἐκ τοῦ ἡ ψυχὴ, καὶ πενθεῖν ὡς λογικὸν ὀφ' ἑαυτῶν ζημιωθέντες ὀφείλουσι.

168 Πάντα νόμιζε φθαρτὰ, καὶ τὴν ἀρετὴν ἄφθαρτον.

169 Ἀμέλει τῶν ἄλλων ὅσα πτωχὸν τὸν ἄνθρωπον. ἐργάζου δὲ ταῦτα, ὅθεν σε οὐράνιον ἀναδεῖξαι δυνήσονται.

170 Ἐπιμελοῦ τῆς ἀρετῆς. αὕτη γὰρ διὰ φιλοσοφίας νέον Ἀδὰμ ἀναδείκνυσιν.

171 Εἰ κρατεῖς γαστρὸς, κράτει καὶ γλώσσης, ἵνα μὴ. τὸ μὲν ὑπάρχειν δοῦλος, τὸ δὲ τυγχάνειν ἀνύστου ἐλεύθερος.

172 Ἀγάπα τὸν Θεὸν ὑπὲρ αὐτὸν δὲ τοὺς οἰκείους μὴ προτίμα. μὴ πῶς αὐτοῦ κατὰ τὴν αὐτοῦ φωνὴν εὑρεθῇς, ὡς οὐ θέλεις, ἀνάξιος.

173 Καρτέρει τὰς θλίψεις. ἐν αὐταῖς γὰρ τοῖς ἀθλοῦσιν οἱ στέφανοι.

174 Μακάριον τὸ πάσχειν κακῶς, τὸ ποιεῖν δὲ τρισάθλιον. τοῦ Χριστοῦ γὰρ κληρονόμος ὁ πάσχων, τοῦ δὲ διαβόλου ὁ ποιῶν συγκληρονόμος.

175 Καλὸς ὁ τῆς νηστείας ἄρτος, ἐπειδὴ τῆς ζύμης τῶν ἡδονῶν ἐστὶν ἐλεύθερος.

176 Ἅγιος ὁ τῆς προσδοκῆς βωμὸς. ἕλκει γὰρ πρὸς ἡμᾶς τὸν ἅγιον τῶν ἁγίων, ἁγίως.

177 Μὴ δόκει τινὶ δικαιοσύνῃ ἀρετῆς εἶναι πάρεργον. ταύτης γὰρ χωρὶς, πᾶσα πρᾶξις ἀπάδαρτος.

178 Εἰ πτωχὸς

178 Εἰσπραξῆς ψυχοῖς, τὰ σαυτοῦ σπούδαζε. τὰ γὰρ ἀλλότρια ζηζανίων αἰσχρότερα.

179 Τυφλός ἐστιν ὁ ἐλεήμων, εἰ μὴ τυγχάνοι δίκαιος ὠργῶν ἀγρόν, ὃν διαρρῆξαι οὐ δύναται.

180 Προσδόκα μὲν ἀεὶ, μὴ φόβου δὲ τὸν θάνατον, ἀληθοῦς χαρακτὴρ, φιλοσοφίας ἑκατέρου.

181 Σχηματίζου πρὸς ἀρετὴν, οὐχ ὅπως ἀπατήσῃς, ἀλλ' ὅπως ὠφελήσῃς τοὺς βλέποντας.

182 Λέγειν χρὴ καλὰ, καὶ τὰ μὴ καλὰ πράττοντα, ὅπως αἰσχύνηται τῶν ἔργων τοὺς λόγους ἀπορρίπτειν.

183 Εἰ τὸν οὐρανὸν ποθεῖς, μισεῖν σεαυτὸν καὶ τὴν γῆν. οὐκ ὀξὺ γὰρ αὐτὴν πρὸς ἐκεῖνον ἀνίπταται.

184 Μὴ βούλου πλουτεῖν φιλοψυχίας ἕνεκα. ἀπὸ γὰρ δικαίων ἁλιεῖν ὁ θεὸς νομοθετεῖ τὸν δίκαιον.

185 Εἰ ποτήριον ψυχροῦ δικαιοῖ τὸν οἰκτίρμονα, πόσῃ τὶς ἀμβὰς τὸν πάντα σκορπίζοντα τοῖς πτωχοῖς διαδέχεται.

186 Μήτηρ τῶν ἀρετῶν, ἀγνεία καὶ συμπάθεια. οὐ τοίνυν ἔνι τῷ Χριστῷ δίχα ταύτης ἢ ἐκείνης στρατεύεσθαι.

187 Μὴ ἀμέλει τῆς συμπαθείας. αὕτη γὰρ τὸν ἀγαθὸν διαπορίζει ἐξ οὐρανοῦ κατηγαγεν.

188 Μὴ καταφρόνει τῆς ἀγνείας. τὸ γὰρ ἐξ αὐτῆς ὄργανον, τὸν δι' ἡμᾶς σαρκωθέντα τοῖς ἀνθρώποις παρέστησε.

189 Μὴ εἴπῃς, τήσομαι τὸν ἐχθρὸν. κριτὴς γὰρ δίκαιον ὁ οὐρανὸς κατήμεθα.

190 Μὴ βούλου πενθεῖν, μὴ πλουτεῖν, μὴ δοξάζεσθαι. φθορὰ γὰρ ταῦτα τοῦ βίου. ἡμεῖς δὲ οὐκ ἐσμὲν οἱ φθειρόμενοι.

191 Ἐπὶ πενθοῦσι μὴ θρήνει. κοινὴ γὰρ ἡ ὁδὸς, ὁ δὲ φθάνων μακάριος.

192 Τὸν

192 Τὸν ἁμαρτάνοντα πείθωμεν οὐχὶ δὲ τὸν πάσχοντα. σφαγοῦται γὰρ οὗτος, ἐκεῖνος κολάζεται.

193 Γέλα μὲν τοῦ βίου τὸν προχοῦν, ἀτάκτως κυλιόμενον. φιλάπλου δὲ τὸν βόθρον, εἰς ὃν κυλιεῖ τοὺς ἐν αὐτῷ νυστάζοντας.

194 Λάλει τῷ θεῷ πολλά, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὀλίγα, τῇ μελέτῃ δὲ τοῦ νέμου κατορθώσεις ἑκάτερα.

195 Λυτὴρ ἀγαθὸς ψυχὴ, πῆς προσάλχης τὸ δάκρυον. ἀλλὰ μετὰ τῶν προσάλχω, μέμνησο τίνος χάριν ἐδάκρυσας.

196 Τοὺς δυνάστας τοῦ βίου μὴ μακάριζε. δυνατοὶ γὰρ δυνατῶς ἐτασθήσονται, ὅθεν αὐτοὶ τὸν κριτὴν αὐτῶν πρότερον ἔξουσιν.

197 Δῶ πορεῖν τὸν Ἀδὰμ ἡμεῖς δὲ παρούντες ἐν τῷ νόμῳ τῶν ἁμοιβὴν κερδαίνομεν.

198 Ἀνάγκη τῆς δίκης τοὺς πλουτοῦντας δικάζεσθαι, ἀλλ' ὅταν δύχαρίστως τὰς θλίψεις ὑπομείνωμεν, εἰς δικαιοσύνην ἡμῖν ἡ κατάρα μετέρχεται.

199 Λύχνῳ πρὸς τὰς πράξεις τῷ σωτῆρί σου κέχρησο. τοῦτο γὰρ σοι ποίας μὴν ἐν βίῳ ἀγαθὰς, ποίας δὲ πονηρὰς ὑποδείκνυσιν.

200 Ἐ αὐτοὺς κρίνωμεν, καὶ ὁ κριτὴς καταλλάσσεται. χαίρει γὰρ ὡς ἀγαθὸς τὸν ἁμαρτωλὸν θεωρῶν, τὸ φορτίον αὐτοῦ σκορπίζοντα.

201 Εἴ τι ῥυπαρὸν ἡμῖν πέπρακται, τῇ μετανοίᾳ πλύνωμεν. μέλλομεν γὰρ καθαρὰν τῶν εἰκόνα μεθεδιέσθαι.

202 Πρὶν γυμνωθῶμεν τὸ ἔλκη τῆς ψυχῆς θεραπεύσωμεν, ἵνα κερδαίνωμεν τοῖς φαρμάκοις τὰς μάστιγας.

203 Ὥσπερ δυσχερῶς οἱ δεσμῶται βαδίζουσιν, οὕτω τὸν δρόμον τῆς ἀρετῆς οἱ συμπλακέντες τῷ βίῳ, καθαρὸν οὐκ ἀνύουσιν.

204 Χρὴ τῶν ἁμαρτίαν μισεῖν. οὕτω γὰρ αὐτῆς τῶν παγίδα, κἂν ὀλισθήσῃ τις πρὸς αὐτὴν, ἐξελεύσεται.

205 Ὃς

205 Ὃς οὐ μισεῖ τὴν ἁμαρτίαν, ἐν ἁμαρτωλοῖς, εἰ καὶ μὴ πράξει τὴν ἁμαρτίαν, κρίνεται.

206 Ἐπὶ τῷ πλησίον ἁμαρτάνοντι σέναζε, ἵνα καὶ σεαυτὸν σωάξῃς. πάντες γὰρ ἐσμὲν ἐν ἐπιτιμίοις καὶ ἁμαρτίαις ὑπόδικοι.

207 Ἀναμίμνησκε τοῦ κριτοῦ τὸν φίλον ἁμαρτήσαντα, καὶ τὸ σὸν ἐμπλάσεις τραῦμα. κοινὸν γὰρ ἔξι τῆς βουλῆς τὸ φάρμακον.

208 Λέγειν τι μέλλων, ἢ πράττειν, τῆς μετὰ μικρὸν ἀπολογίας φρόντιζε, καὶ σωφρονήσεις τῷ φόβῳ διορθούμενος.

209 Τῆς ἁμαρτίας τὴν τιμωρίαν φοβοῦ τὴν αἰωνίαν δὲ νάρκα. τὸ γὰρ ἑκατέρωθεν ἄμετρον.

210 Τῶν μελλόντων ἀγαθῶν καὶ τὸ κάλλος καὶ τὸ πλῆθος ἄπειρον.

211 Πάντα σκιὰ, καπνὸς, καὶ πομφόλυγες.

212 Μὴ ἀσεῖρε πονηρά. τί γὰρ θέρος ἐγγύς, καὶ τὸ πῦρ τῶν γεωργῶν τῶν ἀγαθῶν ἐκδέχεται.

213 Ῥόδα τοῦ βίου ὑποκρίται, πλεονέκται, ὑποφιλήδονοι· ἀλλὰ μικρὸν καρτέρει, καὶ τὸν χόρτον θεωρεῖς πατούμενον.

214 Πᾶσα πονηρὰ πρᾶξις, ὁπλίζει τὸν διάβολον. ὁ πλουτεῖς δὲ χαλεπῶς τοῖς ὁπλίταις κέχρηται.

215 Εἰ βούλει τὸν ἐχθρὸν ἀσθενῆ· τὸ ἁμαρτίαν περίκοπτε. γυμνὸς γὰρ ὢν πέρων, ὡς στρουθίον ἐμπαίζεται.

216 Οὐαὶ τῷ ἀσεβεῖ, ὅταν πάντες φοβίζωνται· τότε μόνος σκοτίζεται.

217 Οὐαὶ τῷ βλασφήμῳ. δεδμεῖται γὰρ τὴν γλῶσσαν, καὶ πῶς ἀπολογίσασθαι τῷ κριτῇ οὐ δύναται.

218 Οὐαὶ τῷ ἀνόμῳ. πρὸς κριτὴν γὰρ αὐστηρὸν τὰ, καὶ δίκαιον, καὶ νομοθέτην ἀπέρχεται.

219 Οὐαὶ

219 Οὐαὶ τῷ πλεονέκτῃ· ὁ πλοῦτος αὐτὸν φεύγει, καὶ τὸν πῦρ ὑποδέχεται.

220 Οὐαὶ τῷ ῥαθύμῳ. ζητήσει γὰρ τὸν καιρὸν, ὃν κακῶς ἐδαπάνησεν.

221 Οὐαὶ τῷ ἀλαζόνι. ὅταν εἰσέλθῃ εἰς τὸν τὰ φαντὶς ὁ πάρεχι διδάσκεται.

222 Οὐαὶ τῷ φιλοπόρνῳ. ῥυπᾷ γὰρ σοφὸν, καὶ τοῦ συμφῶνος ἐκβέβληται.

223 Οὐαὶ τῷ λοιδόρῳ, καὶ σὺν αὐτῷ μεθύσῳ. μετὰ φονέων τάπεται, καὶ μετὰ μοιχῶν κολάζονται.

224 Οὐαὶ τῷ ψευφῶντι. καιρὸν γὰρ ὀλίγον εἰς μάχας εἰς σφαγὰς ἐπεκμάζεται.

225 Οὐαὶ τῷ ἀσωρίτῃ· ὁ πείραλιν αὐτὸν ἀρνεῖται, καὶ λύκος ἀκριὸς ἀποφαίνεται.

226 Μακάριος ὁ τὰν σοφὰν ὁδὰν ὁδὸν. σεφαπφορῶν γὰρ εἰς τὸν οὐρανὸν εἰσέρχεται.

227 Μακάριος ὁ τὰς ἡδονὰς πατῶν. τρέμουσι γὰρ τὰν πρὸς αὐτὸν πάλιν οἱ δαίμονες.

228 Μακάριος ὁ τῇ ἀρετῇ καθαρὸς, καὶ τὰν ψυχὰν ἀνυπόκριτος. κρίνειν γὰρ μέλλει τὸν κόσμον, οὐχὶ δὲ μετὰ τοῦ κόσμου κρίνεσθαι.

229 Μακάριος ὁ ἀγρυπνῶν ἐν προσδοκίαις καὶ ἀναστάσεσι καὶ τῷ ἔργῳ τῷ ἀγαθῷ. φωτισθήσεται γὰρ ὁ τοιοῦτος μὴ ὑπτοῦν εἰς θάνατον.

ΤΕΛΟΣ ΤΩΝ ΝΕΙΛΟΥ ΠΑΡΑΙΝΕΣΕΩΝ.

Digitized by Google

NILI EPISCOPI
ET MARTYRIS
CAPITA,
SEV PRÆCEPTIONES SENTENTIOSÆ
in Latinum ex Græco conuersæ.

1 INITIVM salutis, sui ipsius accusatio est.

2 Satius est temere mittere lapidem, quàm verbum.

3 Fac omnibus, quemadmodum tu vis omnes facere tibi.

4 Iustitiam magis opere, quàm verbo exerce.

5 Pius est non qui multorum miseretur, sed qui neminem iniuria afficit.

6 Satius est humi cubantem viuere, & bono esse animo, quàm perturbatum in aureo lecto.

7 Dulcis ille amicus est, qui animam pascit.

8 Deum verbis quidem lauda, operibus cole, & cogitatione honora.

9 Sacerdotem facit intelligentia, & vita, & morum integritas.

10 Pessima res est, omnibus seruire turpitudinibus.

Digitized by Google

11 Verbo virtutem doceto: opere autem eamdē declara.

12 Non habere virtutem præclarum putato: sed quemadmodum decet ea vti.

13 Legem honorans, iuxta legem viues.

14 Hospes est, cui sordent mundana.

15 Inuidus seipsum mulctat, qui enim aduersus alterum loquitur: seipsum inscius malis afficit.

16 Diuiti neque adulare, neque eundem irrita.

17 Vinum roborat corpus, animam autem verbum Dei.

18 Cibis vtere non dulcibus, sed salutaribus.

19 Si conaris placere vulgo: vulgo similis fias.

20 Super omnia autem mortifica corpus tuum.

21 Ille laborioſus est: cui non tempus superat.

22 Ne recipito Christiani hominis formam tantum: sed animi potius prudentiam.

23 Culpā transferre in Deum nō culpandū, peccatū est.

24 Aurium, & linguæ magnum est periculum.

25 Timorem, & desiderium Dei habeto: & puro conscientiæ testimonio erga omnes vtere.

26 Deum

Digitized by Google

26 Deum ipsum semper præsentem adesse existima in omnibus, quæ agis.

27 Fugito laudem, & caueto vituperium.

28 Gaude quando virtutem exerces, verum ne efferaris: ne quando in portu naufragium accidat.

29 Quanto magis in lege proficis: tanto magis te abesse à perfectione intelliges.

30 Vniuscuiusque rei finem, ante initium considera.

31 Diu, noctuque ad vltimam horam respice.

32 Ne conuerseris isti, quem à bonis vides culpari.

33 Studeas nemini damnum dare, his quæ seu facis, seu dicis, seu cogitas.

34 Ne læteris floridus vitæ: flos enim gramineus cum attrectaueris, flaccescit.

35 In tristibus gratias age: & iugum afflictionũ leue erit.

36 In tentationibus sis fortis: multos enim etiam maiorum arguerunt.

37 Ne incusa Dei longanimitatem: commune enim est pharmacum.

38 Inæqualitatem vitæ odio prosequere: propter eam verò Deum ne criminator.

Digitized by Google

39 Attendamus nobis ipſis, & alios nō reprehendemus.

40 Multa enim in nobis ſunt: propter quę alios taxamus.

41 Pſalmus precationis ſit tibi in ore tuo: Deus enim nominatus, fugat Dæmones.

42 Oratio cum ſobrietate fiat: ne à Deo petamus, quæ ipſi non grata ſunt.

43 Semper recordare Dei: & cœlum ſit cogitatio tua.

44 Cohibe oculum: cum enim non attenderis, circumuoluitur.

45 Parcè vtere lingua: ſæpe enim profert, quæ melius fuiſſet celari.

46 Meditatione legis mentem colito: extirpat enim malas cogitationes continuè frequentata.

47 Virtutes tuas celato: teſtes verò vitæ tuæ multos acquirere ſtude.

48 Odio proſequere carnis voluptates: ſordidam enim animam cum corpore efficiunt.

49 Corpori ſolum quantum indiget, impende: non quantum cupit.

50 Delicatè viuere ne eligas, amorem enim huius vitæ conciliat: inimicitia autem aduerſus Deum ex vtroque naſcitur.

51 Auer-

Digitized by Google

51 Auertere in vita gaudium, ipsum enim subitum est & præcipitat exultantes.

52 Diuitias si habes, distribue: si verò non habes, ne collige.

53 Armaturam enim iciunium: orationem murum: & balneum lachrymas esse putato.

54 Quæcunq; iniquè fecisti, omnia cũ gemitibus recordare: oritur enim hinc animæ continua cõpunctio.

55 Pauperes foueto: ipsi enim iudicem nobis conciliant.

56 Inopiæ sanctorum subueni: per eos enim tibi cum Deo contingit societas.

57 Ecclesiam non secus ac coelum frequenta: nihilque in ipsa seu loquere, seu cogita terrenum.

58 Necessarium existima suis rebus contentum esse: permitte autem Deo eius rei curam.

59 Carnem tuam debilitato bonis laboribus: penitus verò eam non domari posse, existima.

60 Vinum bibe valde modicum: quantum enim corroborat bibentes, tantum etiam offendit.

61 Iram compesce: insaniam enim parit modũ excedens.

62 In morbis oratione prius, quàm medicis, & pharmacis vtere.

63 Sacer-

Digitized by Google

63 Sacerdotes omnes honora: bonis verò tantum conuersare.

64 Venerare Dei domum: domum verò Dei etiam ipsum effice.

65 In Ecclesiam frequenter veni: à perturbationibus enim, & fluctuationibus exterioribus liberare nos solet.

66 Quæcunque in rerum sunt, temporanea existunt: ne te ergo perturbet, quod tibi aufertur.

67 Quando te voluptatis affectus inuaserit: oppone ipsi mentem hominum, & Dei offensam.

68 Munito auditum, & oculos: per illos enim omnia tela malitiæ ingrediuntur.

69 Cum oraueris, mentem ad Deum attolle, & etiam si inde abstracta descendat, verum tamen ipsam recollige.

70 Mens humana non vnquam cessat generare cogitationes: tu verò malas quidem expelle, bonas verò colendo exerce.

71 Humilitate gaude: altitudo enim eius firma est, nec ruere potest.

72 Ita exerce corpus, vt compescas carnis motus: & si ægrotet fluxis, corpus cura, vt sanitatem adipiscatur, non vt delicijs eneruetur.

73 Prauas

Digitized by Google

73 Prauas cogitationes alijs cogitationibus mutatis abige.

74 Considera cœlestium bonorum decorem: & nullum te capiet desiderium terræ, nec aliud ex ea dulciũ.

75 Quando tibi aliqua de Deo subit cogitatio, non Deum, sed teipsum. Nihil enim tutum est, quod modum excedit: quem seruare conuenit.

76 Prauas cogitationes semen esse Diaboli existima: sic enim ipsæ desinunt, ipseq; seminator confunditur.

77 Excessum risus fugito, eneruat enim animam: anima vero enerua ta, facilè à freno legis exuitur.

78 In labores, & orationes oportet animam partiri: sic enim non multos in nobis introitus inuenit Diabolus.

79 Laborem esse non mediocrem putato legis meditationem, quando mens simul, & lingua cognoscens quid volens: in libris cum labore versatur.

80 Cum ad labores manum moueris, lingua psallat, & mens oret: Exigit enim Deus, vt eius semper memores simus.

81 Omne quod agis, oratione obsignato: id verò maxime de quo mentem vides dubitantem.

82 Si vis manum tuam labores diuinos, & non terrenos fieri: quædam ex his cõmunicabis cum egentibus.

83 Gaude

Digitized by Google

83 Gaude Sanctorum colloquio: per eos enim Deus tibi manifestatur.

84 Verè sanctos ab operibus dignosce: vnaquæque namque arbor è fructu dignoscitur.

85 Semper lucrari aliquid studè ex Sanctorum contemplatione. Obserua verò ipsorum aspectum, & habitum: vtrumque enim perutile est.

86 Exerce puritatem in corde, & castitatem in corpore: ea enim vtraque templum Dei te efficiunt.

87 Sic itaque templum custodi, vt Dei qui extruxerit, & iudicare volentis, & imaginem tuam, quæ est ipsius imago, puram ad regulam exigentis.

88 Secularium conuersationes mentem à Deo segregant: quapropter ipsos nec alloquere, sed alloquentes declina.

89 Quando conuicijs peteris, considera an aliquid à te factum sit conuicio dignum: si verò nihil à te admissum fuerit: fumum fugientem conuicium esse, existima.

90 In omnibus in quibus iniuria afficeris, ad patientiam confugito, & super iniuriantes nocumentum deuolietur.

91 Cum vides diuitias, aut gloriam, aut mundanam potentiam, considera labilitatem ipsorum, & effugies illecebram.

92 Tollera

Digitized by Google

92 Tollera tribulationes: inter ipsas enim virtutes, quemadmodum inter spinas rosæ nascuntur, & germinant.

93 Nihil cum virtute dignitatem conferendum esse existima: imago enim Dei est. Ideoque quemadmodum ipse, immutabilis est.

94 Luge peccatorem fœlicem: gladius enim iustitiæ ipsi imminet.

95 Matrem vitiorum ignauiam existima, bona enim quæ iam tenes deprædatur: quæ verò nondum possides, non sinit acquirere.

96 Quando iniqua agens quis, propterea tamen nullo pudore afficitur, vulnus magis exasperat, & error ipsius tendit ad desperationem.

97 Quotiescunque tristaris, reputa quanta bona fidelibus præparata sint, & fructus spiritus facilè tibi adorit.

98 Decet fidelem humiliter se gerere erga omnes: conuicii quibusdam enim tantum humiliari, fictam quandam humilitatem arguit.

99 Nihil amori proximi præferas, præterquàm ea, propter quæ charitas Deum non rectè intuetur.

100 Nemini contra legem Dei adhæreto, neque auxiliator. Indignum enim facit Deum, qui ipsi præfert alium.

101 Ne patrocineris malis; ipsos enim ad mala prouocas: tu verò contaminaris peccati communione.

102 Admoneto peccantem, ne verò accusa errantem: alterum enim conuiciatoris est proprium, alterum verò castigantis.

103 Semper audire, & loqui stude, quæ sancta sunt: ad bonum enim zelum animam extimulant.

104 Quandoquidem domi nostræ Ecclesiam, mentem quisque suam, habemus: peragere etiam debemus in ipsa Ecclesiæ sacrificia.

105 Si peragitur congregatio in Ecclesia, & tu adesto: si verò non peragitur, tu psalleris Apostolicum Euangelium, abito.

106 Virtutis gloriam Sanctorum aspicito: ipsorum enim gloria immortalis est etiam post obitum.

107 Tunc malitiam maximè oderis, quando cogitabis, quòd Dæmonũ sit fulgurans contra nos gladius.

108 Si peccantem admones, misce compassionis verba, & aures emollientur, cor verò illuminabitur.

109 Cùm inter sanctos loqueris, quæ spiritus sunt, loquere: si verò talibus non loquaris, de ijs ne loquaris quicquam.

110 Semper bonas actiones urge, ne quando relictis illis semiperfectus abeas.

111 Sic

Digitized by Google

111 Sic curre, vt assequaris scopum, hoc est indesinenter: oportet enim iuxta virtutem viuere, donec vitæ stadium exupercmus.

112 Ne sis in studio mandatorum Dei negligens: talibus enim labor inanis, laborem super laborem aggerit.

113 Patientiam etiam antequàm necesse est, exerce: vt ipsius armaturam paratam inuenias etiam in necessitate.

114 Improbis resiste cogitationibus, & respondè ipsis quæ in lege dicuntur.

115 Diligentia multa oculos à vita hac abstrahe: fumus enim pernicioſus ex ipsa veniens turbidam reddit animam.

116 Si consuetudine aliqua detentus fueris, paulatim eam rescinde, & sine vllo negotio ab anima spinam eradicabis.

117 Deum purum existentem, purè quoque dilige, & præ eo in omnibus omnia secundo loco habenda existimato.

118 Si vis esse templum Dei, sacrificium assiduitatis, assiduam scilicet orationem assiduè ipsi offeres.

119 Negligentem, & prauè viuentem ne accersas consultorem: malis enim gaudens, bona simul odisse, & consulere eadem non potest.

Digitized by Google

120 Ab omni corruptione abstine; & mysticæ cœnæ omni die particeps fias: sic enim Christi corpus nostrum fieri incipit.

121 In omnibus quando à Deo corriperis, ne murmura: castigat enim vt Pater, ideoq; vt benefactor dignus est, vt gratiarum actione celebretur.

122 Si ignominia affectus fleris, gaude: si quidem enim iniustè, merces tua copiosa erit: si verò iustè, & si resipueris, iam liberatus es à flagello.

123 Vmbræ, & rotæ, & tristia, & læta huius vitæ comparato. Nam quemadmodum vmbra, non manent, & vt rota, vertuntur.

124 Semper proficere in Deo conare: modicum enim modico addens, breui colliges diuitias ab omnibus expetitas.

125 Si vis supplicij effugere molestiam, neminem vnquàm conuicijs afficies; eos enim Deus exasperauit.

126 Si vis è domo tua expellere omne flagellum, ne maledictis incessas contribulem hominem: qui enim ipsum creauit Deus, meritò ad iram prouocatur.

127 Si omni peccato vis esse superior, res alienas ne curiosè inquirito: multa enim in te sunt, de quibus alium suspectum habes.

128 Super-

Digitized by Google

128 Superbiam fugito ô homo, etiam si diues sis: ne forte Deum aduersum tibi habeas.

129 Dilige humilitatem, etiam si magnus sis, vt exalteris in die iudicij.

130 Ne cauillis petas hominem, & reprehensionem non incurres in omni vita tua.

131 Cum existis in Ecclesia, ne eleueris: coram Rege enim stantes, neque rident, neque superbiunt.

132 Ne negligenter habeas vitam tuam, nec temerè contra legem facito: ne contra legem faciens, perniciem incurras.

133 Memor sis horum præceptorum cum omni studio, vt te clarum in vita reddant.

134 Puram æmulator vitam, vt habeas liberam potestatem increpandi peccantes.

135 Abige à te contumaciam, neq; increpa quemquàm temerè, ne condemneris, vt arrogantia inflatus.

136 In alterius infortunio ne rideas, ne ridearis à quibus non velis.

137 Obserua abhominationes istas, vt coronam tibi gloriæ concilient.

138 Sis obseruans horum præceptorum, vt te clarum efficiant hominibus, & acceptum Deo: sic enim gaudio

Digitized by Google

gaudio afficitur Deus, & huiusmodi operibus colitur Deus.

139 Semper proficere in bonis operibus studeto: vitæ enim fuga via est ad virtutes, bonaque, & compendiaria.

140 Oportet incorruptibilium desiderio flagrantem pro nihilo ducere corruptioni obnoxia.

141 Si vitam quæ verè vita est, desideras, expecta semper mortem humanam, & odio prosequere vitam præsentem: vides enim quòd rota indesinenter voluatur.

142 Ne appetas bona, quorum vsus præterit, & possessio perit.

143 Fœliciter agentes ride, infœlicibus condole: alterum enim fœlicitatis merces est: alterum verò philosophiæ est documentum.

144 Patientiam exerce, quemadmodum ipsam cognouisti exercitatam martyribus; quandoquidem cõscientiæ testimonio etiam nos examinabimur.

145 Omnibus rebus præferas animam, & sic virtutis cursus sine defatigatione perficitur.

146 Omnia sunt corruptioni obnoxia, anima verò immortalis est: incorruptibilia ergo præferre decet corruptibilibus.

147 Præ-

Digitized by Google

147 Præpara te contra aduersa, & lucraberis inde plurima.

148 Ne petas à Deo dulcia, sed sola tibi salutaria: illa enim rogatus, non donat, quod si ea acceperis, nocumentum tibi afferunt.

149 Ne accuses paupertatem, constantem enim legis athletam efficit.

150 Ne læteris diuitijs, curæ enim quæ ipsis impenduntur, à Deo separant vt plurimum, & præter hominum expectationem.

151 Prope est finis, ignauiæ deditus paret se ad supplicium, non longe abest messis: à spinis itaque agrum animæ liberemus.

152 Nihil Iudicem latet: frustra ergo peccare conamur, vt lateamus Iudicem.

153 Reuerere Angelos magis quàm homines: multi enim nobis adsunt, & ab omni turpi actione recedunt.

154 Meditare sententiam Iudicis: & abige à te omne si quid tibi adhæret adulterinum mundanæ versutiæ.

155 Damnum esse ocium, & segnitiem existimato: semperque aliquid peragere studeto, quorum rationem reddere possimus.

Digitized by Google

156 Semper vitę considera inconstantiam, & nihil quod in ea vsu venerit, animum tuum diuersè trahere poterit.

157 Læta vitæ huius fluxa ne te oblectent: hami enim sunt, animam vt pisces irretientes.

158 Atrę tentationes, tentatus verò fortitudinem præsta: nec vnquàm pauperem despicias lachrymantem, ne contra despiciatur orationis tuæ lachryma.

159 Philosophia hominibus res est eximia, vnigenita verò existens, sola soli vult còire possessori.

160 Virtus Dei indumentum est, hanc contexe, & ornaberis stola Dei naturam humanam induentis.

161 Quæcumque in terra furto auferri possunt, fugito: & acquire cœlestia: ea enim in prædantium digitos non perueniunt.

162 Delicatè viuere fugere oportet: ad opera enim rapit ex quibus gemitus post sobrietatem oriūtur.

163 Cogitationes carnales satius est abhominari: corrumpunt enim corpus, & animam polluunt.

164 Neque terrena bona sine laboribus parantur: cuius gratia igitur cęlestia propter laborē declinamus?

165 Si vis virtuti contra laborē studere, cogita laborem temporaneum esse, mercedem verò æternam.

166 Qui

Digitized by Google

166 Qui ad voluptates obſcœnas colliqueſcũt: cogitent illi voluptatis breuitatẽ,& pœnæ magnitudinem.

167 Si vita eſt ſordida, beſtialis eſt ſine dubio anima: debentquè lugere rationem homines, à ſeipſis pœnis affecti.

168 Omnia corruptioni obnoxia eſſe putato: ſolam verò virtutem incorruptibilem exiſtere.

169 Neglige alia omnia, quæ beſtialem efficiunt hominem: ea verò perage, quæ te cœleſtem habere originem oſtendere poſſint.

170 Operam da virtuti: ipſa enim per philoſophiam nouum Adamum te conſtituet.

171 Si ventri imperas, impera quoque linguæ: netum ſeruus exiſtas ventris, tum etiam liber ſis ſtolidè.

172 Deum dilige: ſuper ipſum verò domeſticos ne colloces, ne forte iuxta ipſius vocem ipſo indignus, cum non vis, inueniaris.

173 Fortiter perfer afflictiones, coronæ enim ſunt, qui in eis certamen ſuſtinent.

174 Res eſt beata malis affici, inferre verò miſerrimum: qui enim patitur, Chriſti hæres eſt, faciens verò Diaboli cohæres eſſe creditur.

175 Bonus ieiunij eſt panis, quandoquidem à voluptatis pane immunis exiſtit.

Digitized by Google

176 Sancta est orationis ara: pertrahit enim ad nos sanctè Sanctum Sanctorum.

177 Ne putes iustitiam virtutis esse parergon: nam sine ipsa omne opus immundum est.

178 Si seminaueris pauperibus, quæ tua sunt serito: aliena enim zizanijs sunt amariora.

179 Cœcus est misericors, ni existat etiam iustus, colens agrum, quem contemplari non potest.

180 Expecta semper, nec verò metue mortem: vtrumq; enim verum philosophiæ signum est.

181 Virtutem colito, non vt decipias, sed vt iuues videntes.

182 Honesta loqui decet, etiam non honesta facientem: vt incipiat eum pudere verborum, quibus opera turpia significantur.

183 Si cœlum desideras, nihil tibi in terra sit negotij: non enim sinit ipsa ad cœlum euolare.

184 Ne velis artibus ditescere, vt pauperum sis subleuator: de iuste partis enim iubet Deus misereri iustum.

185 Si poculum frigidæ aquæ iustificat misericordem, quanta putas retributio expectat, distribuentem omnia pauperibus?

Digitized by Google

186 Mater virtutum est castitas, & compassio: non ita q; licet Christo militare sine hac, vel illa.

187 Ne negligas compassionem, ipsa enim bonum Dominum è coelo nobis detraxit.

188 Ne contemnas castitatem: nam illius organum propter nos incarnatum Christum exhibuit.

189 Ne dicas vlciscar hostem: iustum enim iudicem in coelo habemus.

190 Ne velis delicatè viuere, nec diteſcere, nec gloriæ cupidus esse: corruptio enim hæc sunt vitæ, nos verò non sumus corruptibiles.

191 Propter mortuum ne lugeas: communis enim via est, beatus verò qui præcessit.

192 Peccantem luge, non verò pauperem existentem: coronatur verò iste, ille verò plectitur.

193 Ride rotam vitæ sine ordine roratam: caue verò foueam in quam deuoluit dormientes in ipsa vita.

194 Loquere Deo multa, & hominibus pauca: legis verò meditatione vtraque rectè dispones.

195 Balneum bonum est animę, orationis lachryma: verum cum oratione memor sis, cuius gratia lachrymas fuderis.

196 Principes vitæ ne beatos prædica, potentes enim

Digitized by Google

cum ſint, potenter quoque præerunt: vnde ipſi etiam Iudicem auſteriorem habebunt.

197 Oportet laborare Adami filios: nos enim laborantes in lege retributionem lucrabimur.

198 Neceſſe eſt Euę filios affligi: verum quando patienter afflictiones ſuſtinuerimus, in benedictionem vertitur maledictio.

199 Conſcientia pro lucerna vtere in actionibus: ea enim quæ in vita bonæ ſint actiones, quæ verò malæ tibi oſtendunt.

200 Nosipſos iudicemus, & Iudex placabitur: gaudet enim vt bonus peccatorem conſpicatus, onus ſuum diſcutientem.

201 Si ſordidum quid à nobis commiſſum eſt, pœnitentia id lauemus: debemus enim puram noſtram imaginem, vt regulam imitari.

202 Priuſquàm videntur animæ vlcera, ea curabimus: vt lucremur ijs pharmacis pœnam.

203 Quemadmodum vincti difficulter incedunt: ſic curſum virtutis parum haud abſoluunt vitæ negocijs impliciti.

204 Oportet peccatum odiſſe: ſic enim ipſius laqueum, etiam ſi quis eo irretitus fuerit, effugiet.

205 Qui peccatum non odit inter peccatores, etiam ſi non

Digitized by Google

non fecerit ipsum peccatum, tamen iudicatur.

206 Super proximo peccante suspira, vt & teipsum accuses: omnes enim uitijs, & peccatis sumus obnoxij.

207 Commone facies Iudicis amicum, qui peccauit: & hoc pacto tuum vulnus curabis: commune est consilij pharmacum.

208 Dicere quid uolens, aut facere, de apologia eius cogita paulò post adhibenda, & cautius ages, metu correctus.

209 Peccati pœnam metue, turpitudinem uerò neglige: in utroque namque excessus periculosus est.

210 Futurorum bonorum, & pulchritudo, & multitudo infinita est.

211 Omnia mundana umbra, & fumus, & bullæ sunt.

212 Mala ne semina: messis enim prope est, & ignis excipiet spinarum agricolam.

213 Rosæ uitæ sunt hyppocritæ, auari, & uoluptuarij: cæterum parum sustine, & gramen uidebis conculcatum.

214 Omne opus malum armat Diabolum, armatus uerò grauiter armatos accipit.

215 Si uis inimicum imbecillum reddere, peccatum rescinde:

Digitized by Google

reſcinde: nudatus enim alis, ut paſſerculus illuditur.

216 Væ impio: cum enim omnes illuminantur, ipſe ſolus manet in tenebris.

217 Væ blaſphemo: nam lingua ligabitur, & quo pacto Iudici reſpondere poterit.

218 Væ iniquo: ad Iudicem enim auſterum, & iuſtum, & legiſlatorem proficiſcitur.

219 Væ auaro: diuitiæ enim fugiunt, & excipit eum ignis.

220 Væ ſocordi: quæret enim tempus quod male inſumpſit.

221 Væ ſuperbo: cum enim ingreditur ſepulchrum, quis ſit edocetur.

222 Væ ſcortatoti: ſtolidam enim habet ſtolam, & è nuptijs eijcietur.

223 Væ conuiciatori, & unà cum ipſo ebrio, cum homicidis enim conſtituitur uterque, & cum mœchis puniuntur ſimul.

224 Væ delicias ſectanti: tempore enim exiguo tamquàm uitulus ad mactationem paratur.

225 Væ hyppocritæ: paſtor enim ipſum negabit, & ipſe aries lupus eſſe demonſtrabitur.

226 Beatus

Digitized by Google

226 Beatus qui angustam ambulat semitam: coronatus enim in cœlum ingredietur.

227 Beatus qui uoluptates calcat: metuunt enim Dæmones cum eo certamen suscipere.

228 Beatus uirtute purus, & anima simplex existens: mundum enim ille iudicare, nec uerò cum mundo iudicari futurus est.

229 Beatus qui vigilat in orationibus, & lectionibus, & opere bono: illuminabitur enim huiusmodi, ne obdormiat in mortem.

Finis Sententiarum Paraneticarum Nili Episcopi, & Martyris ex Græco in Latinum conuersarum.

Digitized by Google

Videsigitur quomodo sententiæ sunt Nili Episcopi, & Martyris, & non alterius, nam ex textu Græco perspicitur ex titulo, ex nomine, ex agnomine, ex dignitate, ex officio, ex similibus. Si enim titulus est Nili Episcopi, & Martyris, cur negari debent sententiæ esse Nili Episcopi, & Martyris. Videant alij si rectè digressi fuimus.

FINIS.

Digitized by Google

R. ADMODVM PATRI

F. PAVLO MINERVAE BARENSI

ORDINIS PRAEDICATORVM

Theologo Præstantissimo, ac Regni Neapolit. Prouinciali Vigilantiss.

IOANNES BAPTISTA MONTANARIVS

Iurisconsultus Neapolitanus, æternam precatur fœlicitatem.

MIRIFICE delectatus sum (R. Admodum, atq; Religiosissime Pater, & de quacumq; re literaria optimè merite) lucubrationibus tuis fœliciss imis, quibus humano generi non desinis ad salutem, studiosos iuuare non dedignaris ad vtilitatē: Religionemq; tuam sanctissimam nulli inferiorem, viris illustribus longè lateq; præditam in dies exornare contendis ad augmentū. Quæ doctrina in Salomonis Neomenijs (vt ab his exordiar) deest? Hebraica, Græca, Historiæ, scripturæ, Mathematica, Philosophica, Theologa enarrantur. Vt mirum sit in tam paruā chartarū congerie tot multiplicia, diuersiq; generis varia sic accuratè digredi. Sed errores neniasq; Hebræorum aliquot cum quanta efficacia euertis? Quas hæreses ibi non detestaris? Videris certè tamquàm alter Dauid,

Digitized by Google

qui vt impij Goliæ superbiam, audaciamq; torrētis lapide repressit, atq; proprio hostis gladio suū præcidit caput, sic opitulante eo, qui dat robur omnibus: ita & tu lapide fidei, inuicte illorum errores nugasq; eorum met armis conteris, & gladio verbi Dei confodis. Admiratus sum certè opus verè admirandum ob rerum difficillimarum tractationem: Quinimò illarum varietatim in vnum coentium adhuc stupeo. Opus (in quam) apud viros graues satis laudatum, atq; vsq; ad sydera (vt par est) sublatum: admirantes varios ingenij tui foetus; nec habet impugnatones nisi forte sciolos. Et vt hoc barbaro, vtar vocabulo, pedantes: quorum noui quendam, qui me ad risum mouit, reprehendens gramaticam falsam ex Typographorum in curia subortam (nam apertè perspicitur ex illorum negligentia, inscitiaq; in editionibus errores suboriri quàm plurimos) sed tabulæ erratorum in calce libri positæ, Orationisq; sensus silentium illi imposuere: Verum in oratione protni Reuerendissimi Generalis Beccariæ bonæ memoriæ, quanta eloquentia, quantaq; facundia polles? vbi etiā in historiis, & quidem grauissimis versatissimus apparet. At vt verum ingenuè fateat, & absq; assentione aliqua, scholiastæ, atq; in Nilum Episcopum, & inuictum Christi Martyrem commentaria me ad Ecstasim pertrahunt, ad admirationem rapiunt: ita quòd in me vltra non remaneat spiritus; ne dum ob diuersarum rerum varietatem, verum quia heroica heroicè tractas: quæ sanctitatem redolent, gloriam Dei pro-

propagant, hæreticorum audaciam frangunt, malorum hominum vitas ad emendationem incitant, bonorũ ad profectum perducunt, infirmorum tepiditatem ad bonũ inflammant: Fugant vitia, virtutes edocent, Christianum hominem moribus incorruptis imbuunt, à corruptis reuocant: spernere faciunt mundana omnia, & dant tandem vitam eternam. Foelix es ò Pater qui doctrinæ sanctæ totus es addictus, & quicquid laboris poterat impendi; contemptis omnibus terrenis, & caducis (& si nobilitate notissima decoreris; publicis sq; & priuatis actionibus sis implicitus) ad inquirendæ tamen veritatis studium te contuliſti, existimans multo præclarius, diuinarum humanarumq; rerum inuestigare, ac scire rationem: quàm struendis opibus, aut augenda nobilitate, aut cumulandis honoribus inhærere: Foelix Religio tua, in qua vt rubar splendidissimum emicas: & te commendant mores tui, integritas, modestia, benignitas, mansuetudo, affabilitas, & quæ sunt in homine virtutibus quibuscumq; prædito. Vt non immerito qui te norunt statim ad tui amorem pertrahantur: qui & virtutes tuas, & mores compostos tuos laudant, euehunt, extollunt. Absit adulatio. Habemus nos in legibus ff. de officio quæstoris l. r. illi opinioni standum est: quæ plurimorum testimonio probatur. Et de officio, & potestate Delegat. cap. prud. Integrum est iudicium, quod plurimorum sententijs, approbatur. Qua de re cum virtutibus moribus sq; incorruptis te cuncti prædicent, talemq; te semper nouerim: non adulatione tecum age-

re me reputes, sed veritate, reverentia, humilitate, atq; in Christo dilectione maxima. Cui innumeras habeo, reſero, & ago gratias, quod virum Religioſiſſimum, doctiſſimum, atque ſapientiſſimum nouerim: quod Dominum, patronum, & præceptorem habeam. Scis enim quanta te beneuolentia domus mea tota proſequitur: quantoq; te amore diligo, quantumq; tibi debeo: vt ſi ferreum pectus, vox tauri mihi adeſſet, & tempus ſuppeteret æternum: non ſufficerem ad laudum tuarum cumulum, & incrementum. Reliquum tamen eſt Religioſiſſimè, atq; amabiliſſime Pater, vt hanc Epiſtolam, quæcumq; ſit illa, cordis tamen mei nuncia, fronte bilari, facie ſerena (vt alias ſoles) libentq; animo recipias. Ex intimis namq; tui amiciſſimi præcordijs erutaeſt, prontaq; voluntate oblata. Quæ ſi meritis tuis impar redditur, meoq; debito non correſpondeat: ſcias, quod inopem me copia fecit. Nihilominus tamen rogatum te volo, vt animum meum quem ſincerum ſemper erga te noſti, ſic approbes, teneasq;: Speranis ſi immortalis Deus annuerit, me tibi gratiſſimum fore, ſicut & me tibi deuinctiſſimum fatear. Interea vale virorum integgerrime, atq; doctiſſime, meq; & domum meam, quæ tua quidem eſt: orationibus tuis apud altiſſimum non deſinas adiuuare, multum namq; indigemus ob rerum mundanarum fluxibilitatem varietatemq; Non enim te latet, qua nam ratione procellis vndiq; circumagimur. Iterum atq; iterum Vale.

Digitized by Google

PAVLI REGII VICI AEQVENSIS EPISCOPI,

AD R. P. F. PAVLVM MINERVAM Barensem, Regni Neapolitani Prouincialem dignissimum Ordinis Prædicatorum.

Hexastichon.

ETERNIS, quod hic sacra tua nomina libris
Nec non ingenij, fers monumenta tui.
Magnanimi cuncti populi sub Cœlo iacentes
Lucida te semper sydera aduſq; ferent,
Torus, Paule, tuo, mundus lætetur honore
Auges preclarum nomen in orbe tuum.

F. VINCENTII MALATESTAE è Camerota Episcopi Bethlehemite, & Coadiutoris Muri, Ord. Præd.

AD R. P. F. PAVLVM MINERVAM Barensem eiusdem Ord. Theologum præstantissimum, & Regni Neapolitani Prouintialem meritissimum.

Epigramma.

CAstalio defonce, alius gustare liquores,
Pergat, vt ardentem, pellat ab ore, sitim.
Alter Palladijs studijs sibi quærat honorem,
Alter Apollinea comparet arte decus.
Dummodo des nobis, Sacri, Tu Paule Minerua,
Ebibere æterno tempore, fontis aquas;
Perpetuam in vitam salientes, vndè virorum,
Exaleant omnem, corde leuare, sitim.

D.

Digitized by Google

D. FRANCISCI MONTANARII *Juris consulti Neapolitani, & Abb. S. Mariæ in Romitorio, Ad R. P. F. Paulum Minervam Barensem Ord. Prædi. Theologum præstantissimum.*

De præclaris in Nilum Episcopum, & Marty. Comment.

Carmen.

DOctrinam, eloquium, probitatem, Paule Minerua
Exponens Nili florida dicta refers.
Æmulus antiquis, terrarum, Patribus orbe
Tolleris affiduis laudibus, vtq; mares.
Priscum, quod sophiæ robur voluentibus annis,
Conciderat, nobis reddis, & omne decus.
Hæc felix ætas, reuirent, qua munera clara
Per te Paule, sacræ Palladis, atq; nitent.
Tam bonus es tandem sincero, vt pectore quinis
Te excipiat noscens, diligat, atq; colat.

R. P. F. ALBERTI MAZZAE *Neapolitani, Ord. Pred. Prædicator Generalis, Ad Authorem omnigenæ scientiæ doctiss. Exaſticon.*

QVi celebrare tuæ vellet, virtutis, honores
Hunc, foret eximij lingua Maronis, Opus.
Ingenio, quoniam doctrina, atq; ore diserto,
Exuperas cunctos, & probitate patres.
Hinc ego ne laudes minuam, quibus æthera cingis
Conticeo: venient, qui tua facta canent.

DE

DE R. P. F. PAVLI MINERVAE *insignis Theologi Commentarijs in Nilum,*

Io. Franciſci Marci Presbyteri Vetrani. Ad Lectorem.

Carmen.

DVcere ad optatum veræ, tutumq; ſalutis
Ad portum, vitam, qui ſine labe cupit.
Hæc legat aſſiduè reſerantia ſcripta Mineruæ
Nili dicta pij, quæ latuere diu.
Chryſolitis præſtant adamantibus, atq; pyropis,
His melius Scholijs, dulcius eſtq; nihil.
Namq; animum placidum, fauſtum, redduntq; ſerenum,
Virtutem tradunt, & ſcelus omne fugant.
Nectareos potans ſuccos libri optimè lector,
Auctoris clarum nomen ad aſtra feres.

ANNIBAL CARACCIOLVS *in laudem præſentis operis ad Lectorem.*

PÆgasèo; ex fonte optanti, ſorbere liquores,
Non opus eſt Montem Scandere Thæſpyadum.
Hic nam cum Paulo largitur ſacra Minerua,
Quas, voluit, ſancto tramite Nilus, aquas.
Pelle ſitim, propera; cytharam ſiuè pulſet Apollo
Pierideſue canant; dulcius ipſe bibes.

Digitized by Google

IOSEPHI BERNALLI
Neapolitani ſacræ Theologiæ doctoris,
Ad Authorem.
Tetraſtichon.

ESt Paulus doctrina, portus, atq; Minerua
Efficit, vtrumq; hoc nomine req; facis.
Sacra, ſacer Patrum Pater hic dum dicta recenſes
Humani, vires, ingenij, ſuperans.

AD DOCTISSIMVM THEOLOGVM,
Paulum Mineruam, Ord. Prædicatorum.
Cæſaris Leone Neapolitani Iuris Conſulti.
Epygramma.

In laudem ſubiecti Operis.

VT florum ſuccos per rura virentia paſſim
Mella, vt conficiat, ſædula carpit Apis.
Sic voluens veterum, tu, ſacra volumina Patrum
Colligis hinc, illinc, quæ meliora probas.
Ingenioq; tuo hæc ornans, ſuauiſſima cunctis,
Quæ ſatiant mentem fercula, Paule, paras.
Atq; iter oſtendis, quo, quis oſtendat olympo,
Sectaturus Ducem, per iuga celſa, Deum.
Perge, ornare tuis, præſentia ſecula, chartis,
Paule Minerua, omnis poſteritatis honos.

Digitized by Google

AD R.A.P.F.PAVLVM MINERVAM Barensem Ordinis Prædicatorum Theologum præstantissimum, & In Regno Neapolitano Prouincialem meritissimum.

Octauij San Marci Philosophi, Theologi, & Iurisconsulti Neapolitani.
Epigramma.

DVM septemgemino tumidus ruit æquore Nilus
Et pharia vndoso proluit arua pede
Plurima anhelanti volitans flamma incubat orbi
Quæ virides campis depopulantur opes.
Dumque vndat nostri meliori ditior vnda
Nilus, odorifero germina verè vigent
Nimirum tunc orbe leo furit igneus, at nunc
Sidereus pura luce Minerua præit.

Digitized by Google

IN LAVDEM ADMODVM Reuerendi Patris Fratris Pauli Minerua Barensis Ordinis Prædicatorum Prouincialis meritissimi.

Pauli Portarelli Carmen.

PAVLE tui quando sacri monumenta laboris
Assidue relego, quibus ardens niteris omnes
Vir generose tuis studijs, scriptisque iuuare
Lumine diuino, cœlesti ac numine plenus
Vera quidem fateor, veneror, te obseruo, tutumque
Summopere extollo, tollamque ad sydera nomen
Me viuet Aonidum quamuis diuertere in hortos
Intentus tamen euoluo pia scripta virorum,
Nec tantum Vatum numeros, & carmina miror,
Et cultum, grandemque stylum quam mirror, & opto,
Res nouisse sacros, sacros euoluere Patres:
Veram vbi doctrinam perdiscimus, atque salutem
Assequimurq. Deum, & læti penetramus Olympum.

FR. DO-

FR. DOMINICI DE LEOPOLI Poloni Lectoris Ordinis Prædicatorum de Auctore, & eius præclarissimo expositore.

EPIGRAMMA.

IMmenso quatuor voluentia flumina cursu
Principium ducunt arua beata tenus
Reddit vbi Cererem tellus inarata per annos
Annua, nec Dominum fallit oliua pium
Inter quæ Nilus qui septem guttura pandit
Fertilis Ægypti largiter arua rigat
Grande decus, columenque sacræ Pimpleidos vndæ
Æthereis vixit, sat copiosus aquis
Huic merito Nilus cognomen fata dedere
Nam letam vineam præbuit ipse Dei
Septeno quantas euoluit gurgite Nilus
Hic tantas vno fonte propinat aquas
Alma Panomphæi late dum semina spargit
Fœcundo, rorans, pectora rore virum
Viuens Pontificis sacro insignitus honore
Rexit commissum tunc sibi ritè gregem.
Moribus exemplum, præsul virtute corruscans
Et vitam duxit, religione vigens
Escam dilectis, pastor, quam tradidit agnis
Cœlitus accepit pascua sana dedit
Nectareum, exhibuit cælis stillantibus haustum,
Pocula dilectis delicioſa dedit
Post varios casus, & tot discrimina vitæ
Purpureo martyr sanguine tinxit humum
Fœcundas pura doctrina vt spargeret agnas
Præbuit in scriptis hæc documenta suis.
Quæ sapiens bibit, insignis pleno ore Minerua
PAVLVS doctrina, & religione pius.
Bari gente satus, nostro venerabilis æuo
Nec non Dominici religionis Honos.

Digitized by Google

Splendidus ingenio, prudens virtute refulges.
Clarus doctrina, religione micans.
Illustris fama, sed vita illustrior ipsa
Omnigenis viuens gratus vbique bonis.
Ille manu assidua diuina volumina scribit,
Impiger est, libros spargere, docti fluos.
Præsulis hic sancti posuit cælestia dicta
Ordine largifluo, perfluit atque modo
Socratico sermo consperfus rore refulget,
Illi nam dederat Diua Minerua melos.
Distribuit miserans aliis hic parta labore,
Quæ didicit, docuit, pocula sumpta dedit.
Quæ bibit infusus clemens effundere gestit,
Exuberatque suo iugiter amne fluens.
Scripsit vterque Pater, qua dogmata copia fandi
Dicere conceptus, quis rogo sermo valet?
Effudit liquido, quæ cælica pocula fonte,
Haud pleue versu sunt referanda breui.
Nectareos succos, patres, & læta propinant
Pocula: Nectareis mensa referta cibis.
Nectarei succi (Lector) dum pocula præbent,
Hæc cupido sapiens, impiger ore. trahe

AD

AD R.P.F. PAVLVM MINERVAM ORD. Prædicatorum Theologum præstantissimum, & Regni Neapolitani Prouincialem vigilantissimum.

Pauli Portarelli Carmen.

PAVLE Minerua tui Nili dum scripta tueris,
Explanasque breui cum pietate pari.
Niliacam calamo tollis super ethera gentem
Martyre qua tanto facta beata tumet.
Ille tibi è cœlo pro tanto, Paule, labore
Concedat votis premia magna tuis.

EIVSDEM AD EVNDEM in defensionem Apologiæ. Hexastichon.

DEsinat obnixè post hac contendere quisquam,
Ne in turpe erroris corruat ille notam
Vt putet hoc opus alterius quàm martyris esse,
Nili, quem nobis Niliaca ora tulit.
Qui mitra, & meritis clarus penetrauit Olympum,
Vt bene tam multis Paule Minerua probas.

DIA-

Digitized by Google

DIALOGVS INTER CHRISTVM, & hominem.

Quis tu qui hic pendes? mundi ex quo machina pendet
Quis nam (proh facinus) te crucifixit? Amor.
Non ne polo trudis tu demonas, obruis hostes?
Omnia vincentem siccine vincit Amor?
Sic me vincit amor, nec enim me vincula claui
In Cruce vel celo, sed tenet vnus Amor.
Cuncta lubens patior, tantum hoc me torquet, amantem
Quod me durus homo non redamare velis.
Si redamare velim, sat erit? sat, crimina tollet?
Tollam; cor igitur do tibi Christe meum.

Digitized by Google

LIBRI, ET AVTHORES QVI IN OPERE CITANTVR, VEL OPERI ADIVMENTO fuerunt.

A

ALbertus Magnus Philosophus, & Theologus Ordinis Prædicatorum.
Alexander de Ales.
D. Ambrosius.
D. Anselmus.
Ancharsis Scitha Philosophus.
Andronicus Philosophus.
Antiphon Philosophus.
Antonius Monachus cognomento Melissa.
Antonius Borbonius Poeta.
Apuleius.
Architas Tarentinus Philosoph.
Auerroes Philosophus.
Aristoteles Philosophus.
D. Augustinus.
Aulus Gellius.
Archelaus Physicus.

B

BArtholomeus Minerua.
Bessarion Cardinalis.
D. Bernardus.
Biblia.
Boetius.

C

CAnonici libri.
D. Cassiodorus.
Cato.
Catullus Poeta.
Cæsar Cardinalis Baronius.
Cecilius Sabinus.
Chrisippus Philosophus.
D. Ciprianus.
Cornelius Tacitus.
D. Clemens Papa primus.

D

D. DIonysius Areopagita.
Diogenes Laertius.
Donatus.

E

EPicureus Philosophus.
Aelianus Historicus.
Euripides Poeta.
Eustachius.
Eusebius Historicus Ecclesiastic.

G

D. GRegorius Papa.

H

D. HIeronymus.
Horatius Poeta.
Hierax.
Hugo de S. Victore.
Hesiodus Poeta.

I

IO: Andreas Iurisconsultus.
Io: Cal. Iurisconsultus.
Io: Cas-

Digitized by Google

Io: Cassianus.
Io: Damascenus.
Io: Scotus.
D. Isidorus.
D. Innocentius Papa.
Iuuenalis Poeta.

L

Lactantius Firmianus.
Labeon Iurisconsultus.
Leges Ciuiles.
Lucius Apuleius.
D. Leo Papa.
Lucanus Poeta.

M

Macrobius.
Margarinus de la bigne.
Martialis Poeta.
Menander Comicus.
Mutius Iustinopolitanus Episc.
Marcus Tullius Cicero.

N

Nicephorus Historicus.
Nicander Colophonius.

O

Origenes.
Ouidius Poeta.

P

Paulus Orosius.
Paulus Regius Vici equensis Episcopus.
Petrus Lombardus.
Petrus de Palude.
Petrus Ricordatus ord. S. Bened.
Philemon.
Policratus.
Plato Philosophus.
Persius Poeta.
Plinius.
Prosper.
Plutarchus.

R

Riccardus de Media villa.
Riccardus de S. Victore.

S

Saluſtius.
Seneca.
Solon.
Socrates.
Simonides.
Surius Historicus.

T

Titus Liuius.
Tybullus Poeta.
D. Thomas.

V

Vegerius.
Virgilius Poeta.

X

Xenocrates.
Xistus Senensis.

Z

Zeno Philosophus.

Digitized by Google

F. PAVLI MINERVAE BARENSIS ORDINIS PRAEDICATORVM LECTORIS THEOLOGI, IN CCXXIX. SENTENTIAS Paræneticas Nili Episcopi, & Martyris, totidem Scholia, seu Commentaria.

ΑΡΧΗ σωτηρίας, ἡ ἑαυτοῦ κατάγνωσις.

PRAECEPTIO PRIMA.

Initium salutis sui ipsius accusatio est.

SCHOLIVM, SEV COMMENTARIVM. I.

AB optimo principio exorditur author à sui scipsius hominis accusatione: in qua salutis initium prorsus consistere videtur. Scribitur enim alibi: iustus in principio accusator est sui: Quinimò, & Seneca (cuius statum simul tum sanctissime ad mortem reformationem scripserit) ad Lucillum scribens dixit. Initium est salutis notitia peccati, nam qui accusare se nescit: corrigi nō vult. Verum talem accusationem duplici quidem operatione fieri minime dubitandum est: mentis scilicet, & oris. Mente ad Deum, ore ad sacerdotem. Prima fit coram Deo solum, quando homo peccatorem se recognoscens, dolet: conteritur & flet offensa. Secunda in penitentiali foro coram sacerdote, Deivicem in terris gerente. De vera quidem accusatione intelligit sanctus iste, cum dicit: Initium salutis sui ipsius accusatio est; quando quidem

Prou. 18.

Epist. 28.

Duplex peccatoris accusatio.

A

Digitized by Google

doquidem ex suorum accusatione peccatorum summopere, tum
Prou. 28. orę gratiam Dei consequitur: vnde & gloriantẽ quam id quod præsupponit reliquum. Vnde scribitur, qui abscondit scelera
sua non dirigetur: qui autẽ confessus fuerit, inueniet gratiam.
Super Beati immaculati. Sed, & Ambrosius sanctæ Ecclesiæ doctor mellifluus aperte id docuit, dum scripsit. Qui se accusat, & si peccator sit, iustus esse incipit, quia nec sibi parcit, & Dei iustitiam cõfitetur. Sed
Immẽsa Dei clementia circa confitentem peccata. vide immensam Dei clementiam, quæ hominem multis sceleribus maculatum, multis coinquinatũ peccatis, cunctis immersum malis, omnibus plenum spurcitijs, humili sua accusatione immaculatum reddit, purum, innocentem, mundum, sanctum, ac iustum efficit, salutem atq; incolumem præstat non nisi quia peccatis se obnoxium facetur, & quamuis peccator sit, iusti tamen præconio condecorat, appellatq; non ob aliud, quia aperit cor suum ad confitendũ Domino. Accusat seipsum homo, Deus excusat: homo non cælat peccatum, Deus abscondit peccatum: homo detegit, Deus tegit: homo agnoscit delictum, Deus ignoscit: homo aperit, Deus operit: manifestat homo infirmitatem suam, Deus sanat: homo nudat, Deus vestit: subijcit se homo homini propter Deum, & iudicium suorum confitens facinus, extollit Deus supra sydera: quinimò & supra Angelos sanctum proclamans. o salubrem accusationem. Nil quidẽ salubrius poterat Deus præstare homini post lapsum, quàm indulgẽdo misereri, & miserẽdo indulgere, sanctificareq;, illudq; cõferre: quod
Io. c. 4. fieret in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Accusa igitur te ipsum, si peccator es, vt iustus tandem fieri incipias, quia initium salutis: sui ipsius accusatio est.

Βέλτιον εἶναι ἐμβαλεῖν λίθον, ἢ λόγον.

PRÆCEPTIO. II.

Satius est temere mittere lapidem, quàm verbum.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. II.

Linguæ malignitas. LVbrica est lingua omni serpente lubricior, quinimò & venenosa omni serpẽte venenosior. qui cum in foramine caput immiserit, totus immergitur; cũ momorderit, immane virus effundit; lingua similiter cum maledicere cæperit, nunquam satiatur; sed tota immersa,

hinc

hinc inde fœnum effundit virus. Quarè Hesiodus Poetarum prudentissimus linguam recondendam, non vulgandam, vt thesaurum, his docuit versibus.

Optimus vir hominis lingua thesaurus, & ingens
Gratia, quæ parcis mensurat singula verbis.

Nam si thesaurus manifestabitur dissoluetur, si expenditur, consumetur: si detegitur, subripietur. igitur vt remaneat, tres sibi necessariæ sunt conditiones, vt sit modestus, parcus & modulatus, Primo etenim perseuerabit, secundo cõseruabitur, tertiò durabit. Ita & lingua recondenda est magis quàm euulganda. At si euulgetur, vt gratiam in promendo sibi vendicet, tres itidem similes conditiones in se habere oportet, vt sit modesta, parca, & modulata; Primo namque euitabit dissolutionem, secundo garulitatem, tertio lubricitatem. Hoc est quod dicit author, satius est temere mittere lapidem, quàm verbum, quia lapides regulariter iaciuntur, verba verò recondi debent, vinculisq; de imo pectore, ac de corde aperto moueri, & gubernari. Vt autem generalis habeatur regula, ne verbum temere mittatur, scias tria præcipuè esse necessaria cuilibet homini præsertim Christiano in omni vita sua. Prudentiam, verecundiam & silentium. Prudentiam in animo, verecundiam in vultu, silentium in lingua. Prudentiam vt prouideat, verecundiam vt modeste se habeat; silentium vt taceat. Prudentia sine verecundia & silentio imprudentia est, verecundia absq; prudentia & silentio, præsumptio: silentium absq; prudentia, & verecundia, stultitia. Qui prudens est animo, potest esse inuerecundus vultu, loquax vero lingua: qui verecundatur vultu, potest esse imprudens animo, & loquax aliquando lingua, aliquando non: at qui taciturnus est lingua impossibile est, vt non sit prudens animo, & verecundus vultu; tamquam id quod hæc omnia includit. Ideo author dicit quod satius est temere mittere lapidẽ, quam verbum, quia cum verba signa sint earum, quæ sunt in anima, passionum: ob id verbi emissio signum erit, vel prudentiæ, vel imprudentiæ, vel verecundiæ, vel præsumptionis. Hæc quoq; de causa sententia nõ est intelligenda, vt iacet, nam satius est mittere verbũ absolute, quàm lapidem temere: cum verbum possit ad ædificationẽ esse, lapis vero ad proximi offensam: sed sic intelligenda venit, satius est mittere lapidem temere, quã verbum temere nam ex lapidis missione inconsulto nunquàm animã offen-

Linguæ conditiones vt gratiam habeat.

Necessaria Christiano in omni vita sua.

Lib. 1. Perih.

Digitized by Google

des, nec proximum, nec Deum: nisi aliquando, & per accidens: ex verbi vero temere semper, & per quam maxime. Vnde penituit me loqui semper (adagium sapientis est) tacuisse verò nunquàm: temere igitur verbum nunquàm est mittendum.

Xenocrates in laertio.

Τρυ ζοὶς παση, ὅτι σὺ θέλεις πάντας.

PRÆCEPTIO III.

Fac omnibus, quemadmodum tu vis omnes facere tibi.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. III.

IStria sunt quæ docent interius hominem ad benefaciendum, & ad malum euitandum, lex naturalis: sinderesis, & conscientia. lex naturalis nominat principia iuris, sinderesis habitū eorum conscientia applicationem legis illius ad facienda. quia lex naturalis regula est, & mensura actuum agendorum, vel omittēdorum, sinderesis habitus primorum principiorum moralium, conscientia actus scientiæ ad ea, quæ agimus. Præceptio omnia explicat, legem naturalem, sinderesim, & conscientiam. conscientiam quia conscientia instigat ad aliquid agēdum, vel non agendum, sinderesim quia remurmurat malo, & inclinat ad bonum: sed legem naturalem præcipue, quia illud solum est de lege naturæ, quòd ratio naturalis suadet: at ratio naturalis dictat, vt quod tibi non vis alteri ne feceris, & è conuerso, ideo dicens author fac omnibus quemadmodum tu vis omnes facere tibi: legem naturalem tibi proponit obseruandam, quæ vtique à te obseruari debet: cum in tuo corde scripta reperiatur, de quo deberi impossibile est, quo ad prima principia, & in vniuersali: licet quo ad conclusiones, & in particulari, possibile. Rursus quia lex naturæ omnium virtutum opposita prohibet, at tu teneris virtutes omnes persequi, vitia vero fugere. Quare cum quæ lex naturæ dictet quasi deriuata ex primis eius principijs, & si vim non habeant coactiuam per modū præcepti, postquam tamen lege diuina, atq; humana sancita fuerūt, vim coactiuam habent omnino, quia lex diuina præsupponit legem naturæ: sicuti gratia naturam. Igitur cum authoris præceptio similis sit

Lex naturalis, synderesis, & cōscientia quid.

præ-

Digitized by Google

præceptioni saluatoris, qui alibi dixit: quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite; teneris obseruare omnino naturæ præceptum: secus à peccato immunis minime eris, nam contra iustitiam naturæ facies. Vnde Aristoteles docuit: melius esse iustum, quod secundum naturam est: eo quod est secundum legem. Igitur si tibi nihil mali desideras, sed boni semper: similiter & proximo tuo desiderare debes; fac ergo omnibus, quemadmodum tu vis omnes facere tibi.. Magnorum moraliū lib. 1. cap. 41.

Δικαιον μᾶλλον ἔργον, ἢ λόγον ἄσκει.

PRÆCEPTIO IIII.

Iustitiam magis opere, quàm verbo exerce.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. IIII.

VNaquæq; ciuitas, seu regnum vt conseruetur: iustitia dubio procul indiget. Nam cum dilabatur discordia, infidelitate, grauamine, debilitate, infirmitate, mœstitia, intemperie, sterilitate, mœrore, ac demum inæqualitate: cōseruatur autem his oppositis, pace scilicet, tutamine, immunitate, munimento, cura, gaudio, temperie, fœcunditate, affluentia, solatio, & hæreditate; horum vero omnium cum sit iustitia effectrix: nam iustitia est filiorum hæreditas, pauperum consolatio, fœcunditas terræ, rerum omnium abundantia aëris temperies, hominum gaudium, lāguorum cura, munimen gentis, plebis immunitas, patriæ tutamen, & pax populorū; conseruabitur quidem ciuitas, seu regnum, seu respublica quælibet, iustitia. Vt igitur his omnibus affluant, iustitia opus est, quæ non verbo sed opere exercēda est. Ideo ad principes, & legum conditores, ad rectores, & huius generis similes dirigitur præceptio hæc: qui iustitiam verbo exequi videntur, opere autem nequaquam, ac propterea sunt causæ ruinæ populorum omnium. At peiores sunt qui nec verbo nec opere. Verum iustitia cum virtutum sit omnium præclarissima, atq; tuta & fida humanæ vitæ comes: opere non verbo exercenda est. Nam si verbo tantum exerces, nō opere, lingua iustitiam laudas, animo autem, & re vituperas: & tamen Ciuitas quibus dilabit, & quibus cō seruatur. Iustitia qd

Digitized by Google

men iustitia virtus est animi, qua tribuitur, quod cuiq; par est, non linguæ. Quod non absq; causa veteres libram ad scripsere iustitiæ, innuentes nec huc, nec illuc declinare posse iudicem. a. Declinabit tamen, si iustitiam nec verbo, nec opere, vel saltem verbo, nō opere exercuerit. si autem verbo, & opere, vel saltem magis opere, quàm verbo: lydium lapidem imitabitur iudicantem aurum, non ab auro iudicatū. Ceterum & ad vnumquemq; nostrum huiusmodi sententia venit proposita, obseruandaque. Quid enim est iustitia (inquiunt Cicero, & Anselmus) nisi animi libertas tribuens vnicuiq; suam propriam dignitatem? igitur verbo, & opere, vel magis operè quàm verbo, iustitiā exerce. Exercebis autem, si Deo obedientiam reddideris, si maiori reuerentiam, si pari concordiam, si minori disciplinam, si inimico patientiam, si regeno charitatem: si tibi deniq; sanctimoniam præstiteris. At sanctimoniam vtiq; tibi præstabis, si non peccaueris, quia etiam iustitia iuxta Hieronymum, non est nisi non peccare. sed non peccabis, si præcepta legis obseruaueris. Præceptorum vero legis obseruatio duplici quidem genere obseruationis custoditur, vt non eorum quæ prohibentur, facias: & cuncta quæ iubentur, impleas. Custodi igitur & hæc, quia sic iustitiam magis opere, quàm verbo exercebis.

Lib. 2. retho. veterum. In lib. cur Deus homo.

In epist. ad filiam Mauritij.

δικαιὸς οὐχ ὁ πολλοὺς ἐλεῶν, ἀλλ' ὁ μηδένα ἀδικῶν.

PRÆCEPTIO V.

Pius est non qui multorum miseretur, sed qui neminem iniuria afficit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. V.

PIus à pietate venit, pietas quoq; promisericordiæ actibus sumi consuenit, vnde Deus pius dicitur, quia testatur hos actus sibi fieri. Quare Cicero pietatem iustitiam aduersus Deos dixit, & Diuus Thomas (vt est specialis virtus) ad parētes principaliter, & ad patriam extendit; in quibus venium quoq; consanguinei omnes, ciues, amici, & similes. Igitur pius erit qui ad Deum,

Lib. 1. de natura Deorū.

2. 2. q. 80. art. 1.

Digitized by Google

Deum, ad parentes, ad patriam, consanguineos, ciues, amicos, pauperes: officium, pietatem & diligentem tribuerit cultum. Diligentem vero cultum exhibebit Deo, si quis eum iniuria minime affecerit; At non afficiet: si eum, (vt par est) rectè coluerit. Rectè autem colet: si interius, exteriusq; honorauerit. Quid enim est pietas erga Deum, nisi theosobia, (vt Græci vocant) hoc est cultus Dei interior, qui ad theologicas pertinet virtutes? Rursus quid est pietas, nisi religio, seu latria, quæ ad diuina pertinet seruitutem? sed exteriorem. Subinde cum pietas sit, per quam parentibus, patriæ, consanguineis, ciuibus, benenolis, pauperibus, similibusq; personis diligens tribuitur cultus: pius ille erit, si eos quoque iniuria minime affecerit, quia hæc est vera pietas: neminem lædere, non multorum misereri. Quid enim prodest te aliquorum misereri, deinde alios lædere? hoc quidem impietas est, non pietas: iniustitia, non iustitia. Menander Comicus dicere solebat: si iustus fueris, mores habebis tamquam leges, de probo viro mali nihil cogites: iusti mores iniuriam facere nesciunt. Et Philemon in Pataside inquiebat; vir iustus est, non qui non facit iniuriam: sed qui iniuria afficere potens, non vult. Igitur in illo vere reperietur pietas, qui nec nutu, nec verbo, nec opere lædit neminem: non qui multorum miseretur. Quandoquidem etiam alibi scribitor: viri misericordes multi inueniuntur, virum autem fidelem quis inueniet? nam de Christiana fidelitate interpretandus est etiam sacer contextus. Quæ consistit primo in exhibere dignum Deo famulatum, interiusque, exteriusque: deinde neminem lædere; sed quoscunque, vt possibile est, adiuuare. Si igitur pius es, & multorum misereris, vide si alios iniuria afficis, nec ne? si sic, mala pietas est, nec tibi proderit: quia hæc pietas impietate maxime mixta est. Sin autem, optima pietas est: quia vera absoluta pietate.

Pietas quid?

Viri iusti, & pij cõditiones.

Prou. 16. cap. 20.

Ζῆν ἄμεινον ἐστι σιβαδεῖ, καὶ δαρθεῖν, ἢ χρυσῷ ἔχοντα πλεῖν.

PRÆCEPTIO VI.

Satius est humi cubantem viuere, & bono esse animo, quàm perturbatum in aureo lecto.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. VI.

Quies qd? & quotuplex?

QVies priuatio motus est in illo, de cuius aptitudine est vt moueatur: non tamen motum. Hinc per metaphoram, & translationem diuiditur in eam quæ est corporis, & in eam quæ est animi seu mentis. Corporis quies proprie est, cum corpus quiescit per somnum dicta quasi qui tibi es, & nullo alio negocio destineris, quandoquidem cum aliquis dormit cæteris negocijs minime vacare dicitur: Improprie autem cum quis, & si non dormiat, remissior alijs, negligentiorq; viuit, vt sunt pigri, inertes & similes. Animi autem seu mentis est, cum quis à rerum internarum, externarumq; perturbatione alienus omnino redditur, quod dicitur proprie requies, seu tranquillitas, & hic quietus seu tranquillus. Sicut igitur duplex reperitur quies, ita & duplex perturbatio seu motus, scilicet corporis, & animi: illa namq; est cum corpus vndiq; molestias quæritur, hæc cum mēs animusq; vndiq; commouetur. Vtramq; quidem perturbationem tibi prohibet author, & vtramq; quietem tibi proponit, sed animi magis. Quid nanq; est perturbatio iuxta Diuū Thomam, nisi mutatio ordinis, & æqualitatis in ratione, & immoderata passione inferiorum potētiarum? cui concordat Cicero dicens: perturbationem esse auersa ratione contra naturam animi commotionem. Igitur perturbatio longe sit à te; quamuis in aureo decumbas lecto: quies vero prope, & intra te licet pauper & mendicus, quandoquidem animi quies cuilibet rei maxime præstat. Quod etiam Spiritus sanctus alibi docuit dicens: Meliorem esse panis micam cum gaudio, quàm domus plenam victimis cum iurgio. Et vere sic est. Quid enim proficit te esse pulcherrimum, sapiētem, doctum, diuitem, nobilem magnum Principem, Regem, Pontificem, summaq; nobilitate

Perturbatio duplex.

Quid sit perturbatio? 3. sent. dist. 15. q. 2. ar. 2. Lib. 4. tusc. quæst.

Prou. 17.

Digitized by Google

tate atq; dignitate cohonestatum, & in angustijs, vndiq; commorari? nihil quidem. Bene itaq; dicit Author: satius est humi cubantem viuere, & bono esse animo quàm perturbatum in aureo lecto, quia animi quies præponderat cunctis rebus quæ quidem in se, non nisi inquietudinem habent: illa vero tranquillitatem. Nulla etenim res quæcunq; sit in mundo satietatẽ sui habet, ac propterea neq; quietem habebit: & quanto magis in existimatione erit, tanto minus quietitudinis illi inerit. Melius est igitur humi cubantem viuere, & bono esse animo: quàm perturbatum in aureo lecto. Animi quies cũctis rebus præpõderat.

Ἡδὺς ἐκεῖνος ὁ φίλος, ὁ τὴν ψυχὴν διαθέμενος.

PRÆCEPTIO VII.

Dulcis ille amicus est: qui animam pascit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. VII.

DEVS dedit Deus homini vt subsisteret, animam & corpus: nam ex vtroq; componitur homo, & altero deficiente, desinit esse homo. Vtriq; quo etiam subsisterent, alimenta prouidit: corpori materialia: animæ spiritualia. Quandoquidem etiam iuxta Aristotelem, omne viuens quandiu viuit: indiget alimento suæ naturæ conuenienti; singuliśq; singulis assignauit archi triclinos: corpori terrenum, animæ vero cæleste. At præstat quidem pascẽs animam pastori corporis, quemadmodum anima potior est illo. Sed si duo eandem pauerint animã, alter virtutibus, alter vero vitijs: dulcis amicus est, qui virtutibus, quia dulcia subministrat; qui verò vitijs venefica sub dulcibus latentia. Amicitia nanq; (vt inquiunt Augustinus & Cicero) est omnium humanarum, diuinarumq; rerum cum beneuolentia, & charitate summa consensio. Dicebat quoque Augustinus: non est vera amicitia nisi eam conglutines inter hærentes tibi vera charitate. Igitur vbi abest charitas: abest & vera amicitia. Aberit autem si ab amico quæritur quod non quærendum est, si amico detur, quod minime dandũ est: si alimenta non conuenientia suæ naturæ subministrẽtur. Amicitia Lib. 1. de gene. & corru. Epist. 45. Lib. de amicitia. Lib. 4. cõfess.

Digitized by Google

quæ fundamento caret, vel si non caret, fundamentum tamen vitiosum est: non est vera amicitia. Experientia namq; comprobatum est: amicos in malo radicatos non sibi satis cõstasse; quinimo in malum redijsse finem, non nisi quia fundamentum malum fuit. Vera amicitia summũ certe bonum est, nam
Eccles.6. etiam iuxta Salomonem: qui inuenit amicum inuenit thesaurum; summum vero bonum in virtute ponitur, quia si in alio, non erit summum bonum: at virtus amicitiam parit, & continet: ergo sine virtute amicitia esse non potest. Ideo Aristoteles dixit: amicitiam tũc perfectam esse: cum fuerit propter
Epist.96. virtutem. Quarè bene scripsit Seneca ad Lucillum: amicitias sanctas colendas esse. Sed sancta quidem erit amicitia, si non propter bonum vtile, nec delectabile fuerit: quia vtrisq; cessantibus cessat amicitia: sed ob bonum honestum, nam hæc permanens est; & stabilis: duratq; in perpetuum: grata Deo, Angelis placida: sanctis amabilis: iocunda amicis. Si igitur amicum desideras, vel si habes: effice, vt talis vos amor regat, quo cælum regitur. Talis autem erit: qui animam pascit.

Θεον μὴ λόγοις τιμα, ἔργοις δὲ σέβου, ἀτιμία δὲ τίμια.

PRÆCEPTIO VIII.

Deum verbis quidem lauda, operibus cole: & cogitatione honora.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. VIII.

NOn potest esse homo ociosus, nam & si in tali genere is existere poterit: simpliciter tamen impossibile est, vt sit ociosus, nihil enim ociosum egisse Deũ,
Lib. cæli, & mundi. & naturã: author est Aristoteles. Quare vel loquetur, vel operabitur, vel saltem cogitabit: hæcq; multoties in
Homo quib' Deum offendit. malum vertit. Vnde regulariter his tribus quidem, Deum offendit homo: verbis, operibus, & cogitationibus: Verbis blasphemando, operibus paruipendendo: cogitationibus dehonorando. Nam verbis nõ sanctis blasphematur certe Deus, operibus prauis paruipenditur, cogitationibus peruersis dehonoratur. Cum igitur contraria contrarijs curentur, tribus

hisce

Digitized by Google

hisce met quoq; placandus est Deus, verbis, operibus & cogitationibus. Verbis eum laudando, contra blasphemiã, operibus colendo, contra parui pensionem; cogitationibus honorando, contra de honorationem. Quia à Deo tria recepit homo, corpus, animam & vtrumq;. Hoc certe operibus colendus est, illa cogitationibus: corpore vero verbis. Nã & opera sunt compositi, cogitationes animæ: verba vero corporis. Igitur debentur & hæc tria Deo, laus, cultus, & honor.

Ἱερεὺς φρόνησις, καὶ βίος, καὶ σύγζυσια πολλῶν.

PRÆCEPTIO IX.

Sacerdotem facit intelligentia, & vita, & morum integritas.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. IX.

Nihil excellentius, sublimius, vtiliusq; ecclesiæ suæ Christus conferre poterat, quàm sacerdotium: cuius ministros anthonomasice sacerdotes appellamus; quorum dignitas & excellentia nemini quippe adæquari poterit. Si namq; Regum fulgori compares, & principum diademati: si Ducum, & Imperatorum coronæ, perinde est, ac si aurum plumbo assimiles. Videmus etenim Regum colla, & Principum coronas sacerdotum genibus submitti, eorum dexteram osculari, orationibusq; commendari, sperantq; se posse consequi, quod eorum interuentu apud dominum postulant. Nec immerito, quippe qui speculatores à Deo dati sunt super populum, quos & sacrorum misteriorum dispensatores fecit: ac sacramentorum omnium ministros. Propterea Constantinus Imperator sacerdotes omnes Deos vocabat: tãquam à Deo institutos. Verum enim vero qui vel ex populo eligũtur, vel ex clero: præstantiores eligi debent, illustrioresq; charitate, & sanctitate, atq; in omni virtute eminentiores: tandem illi digne assumentur, qui à Deo vocantur tamquam Aaron; non qui per inuia, & inaquosa quærunt. Vt autem securi accedãt quicunq; sacerdotes ad quodcunq; Domini ministerium, digneq; hoc sacrosanctum officium pertra-

Sacerdotum dignitas, & excellentia.

Qui eligendi sunt in sacerdotes.

Digitized by Google

Sacerdotum cõditiones.

ctent (ſuppoſito ingreſſu legitimo, nam anathema erit dantiſ & anathema accipienti) tria in ſe ſacerdotes habere neceſſum eſt, intelligentiã, vitam, & morum integritatem. Intelligentiam vt intelligant, & ſciant, vitam, vt bonorum operum ſe præbeãt exemplum: morum integritatem, vt dignum Deo famulatum exhibeant. Nam ſine intelligentia indocti erunt, ſine vita ſcandaloſi: ſine morum integritate diſſoluti; abſq; intelligentia cæci, abſq; vita mortui: abſq; morum integritate tenebroſi. Igitur ſine intelligentia, vita, & morum integritate non erunt ſacerdotes. Si enim legem Domini qua pollere deberent, ignorant, nonne ipſi ſe arguunt non eſſe ſacerdotes Domini? Scribitur enim quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te: ne ſacerdotio fungaris mihi. & ſi dignitatem ſanctitate nõ comprobent, num ſimiles Iude non fiunt? bene quidem dicebat Gregorius Pont. cauſa ruinę populi eſſe malos ſacerdotes. Quis enim ſe pro populi peccatis interceſſor objiciet, ſi ſacerdos qui orare debuerat, grauiora committit? ſcribitur enim: lauamini mundi eſtote, &c. adiungit vitã primo, deinde morum integritatẽ: ad ſignificandum, quòd ſermo eſt de vita morum honeſtate compoſita, tam coram Deo, quàm coram hominibus. Secus aquæ baptiſmatis ſimiles erũt hi ſacerdotes: qua baptizantes, populi peccata baptiſmatis lauacro diluunt: ac propterea ad regni cęleſtis patriam tranſmittunt; ipſi vero vt aqua deorſum deſcendit: ita & vſq; ad abiſſos tranſmittuntur. Igitur ſi ſacerdos exiſtis, vel ſi non es, ſacerdos eſſe deſideras, ſeu ſperas, effice, vt in te ſint hæc tria: intelligentia: vita: & morum integritas.

Oſeæ 4. cap.

In regiſtro.

Iſaiæ 1. cap.

Κάλλιστον ἅπασι δίκαιον αἰσχρῶς.

PRÆCEPTIO X.

Peſſima res eſt, omnibus ſeruire turpitudinibus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. X.

PVlchritudo cum ſit bonum quoddam, idq; ab omnibus appetatur: illã quoque à cunctis appeti neceſſum eſt, bonum enim & pulchrum idem ſunt; Quare vnum ex rerum generibus conſtitutum eſt à Pythagora. Nemo igitur pulchritudinem non amabit, cum ſit bonum

Digitized by Google

bonum quoddam, turpitudo autem abhorrebitur: nam cum turpitudo proprie pulchritudini opponatur, quæ cum sit figura membrorum apta cum quadam coloris suauitate (vt inquit Cicero) ac ideo amabitur: illa erit figura membrorum inepta cum quadam coloris asperitate, ac propterea abhorrebitur. Trãsferuntur verò ambę ad mores siue bonos siue malos: Nam pulchritudo virtutes respiciet: turpitudo vero vitia & peccata; quia pulchritudo bonum quoddam est: turpitudo igitur malum quoddam erit. Cum igitur in mali genere turpitudo reponatur, colloceturq;: turpitudo non nisi vitia & peccata respiciet; ac propter hoc pessima res erit quibuscumq; seruire turpitudinibus. Vnde turpitudo primo ad illecebra carnis referetur, sicq; proprie erit actus circa illicita carnis, nam actus illius naturaliter turpes sunt: deinde ad quodlibet peccatum, & vitium: cum in quolibet peccato turpitudinem reperiri, necessum est. Author igitur turpitudinem sumit generaliter, excludendo naturalem, propter hoc inquit pessimam rem esse omnibus seruire turpitudinibus. Triplex igitur erit turpitudo, corporis: mentis, & compositi: turpitudo corporis opponitur pulchritudini eiusdem: mentis est, cum ad illecebra fertur, affectuq; in ea commoratur: compositi cum ad actus actualiter ponitur, cogitatusq; executioni mandatur. Prima nihil obstat, nam quemadmodum carnis pulchritudo multorum malorum causa est, tandem aut tempore consumitur, aut morbo defloresçit: ita è regione carnis turpitudo vt plurimũ multorum bonorum. At secunda & tertia abhominandæ sunt penitus: quia tales pulchritudines corpus, animã, bona tum interna, tum externa omnino deperdunt. Ob id dicit Author: pessima res est omnibus seruire turpitudinibus. Vide igitur & tu, quomodo ambulas, num turpitudinibus deseruis? si deseruis: desere, abhominare, detestare; Nemo enim naturalem turpitudinem amat, igitur & tu neq; moralem: si non, caute procede: ne omnino te suffocent; quia pessimæ sunt. Quod si vel corporis pulchritudinem, vel turpitudinem attendere velimus: ex ipsis quoq; documenta elicere operæpretium est. Inspice igit inspeculo, & vide si pulcher sis, vel turpis, si pulcher, fac ne corporis dignitatem malis cõmacules moribus: sed digna pulchritudine tua efficias. si vero deformis, faciei defectũ illustra probitatibus, virtutisq; laude turpitudinem tegas.

Pulchritudo quid. Lib. Tusc. q. Turpitudo quid.

Turpitudo quotuplex.

Digitized by Google

Λόγῳ μ' τὴν ἀρετὴν δίδασκε, ἔργῳ δὲ αὐτὴν κήρυττε.

PRÆCEPTIO XI.

Verbo virtutem doceto: opere autem eandem declara.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XI.

Virtus quotuplex.

VIrtus generaliter triplex esse decernitur, intellectualis: theologica: moralis. Intellectualis rationem respicit, theologica Deum: moralis appetitiuas vires in ordine ad rationem. Nam intellectualis est, qua ratio ipsa perficitur, theologica, qua mens coniungitur Deo: moralis, qua vires appetitiuæ perficiuntur ad obediendum rationi. De qualibet virtute potest esse sermo, tum intellectuali, tum theologica, tum morali. Si enim virtutibus præditus es, ostende te talem: nemo enim merces suas in abscõdito ponit. si vero doces Deum esse creatorem, gubernatoremq; vniuersi; bonum quod doces, opere declara. si namq; charitatem prædicas: eandem manifesta opere; si vitia detestaris, amplectere virtutes. Hoc est quod dicit Author, verbo virtutem doceto: opere autem eandem declara. Verum quia virtus iuxta Beatum Augustinum, est bona mentis qualitas, qua recte viuitur: qua nullus male vtitur: de virtutibus potissimè quæ vitijs oppositę sunt, explicanda est sententia. si enim bene vixerit homo, & bene docuerit: omnium iudex erit. Quandoquidem bene viuendo, (vt inquit Chrisostomus) & bene docendo: populum instruit quomodo debeat viuere, bene autem docendo, & male viuendo: instruit Deum, quomodo illum debeat condemnare. Paulus Apostolus prædicator gentium, & doctor veritatis mirabiliter docuit, vt qui prædicat non furandum: non furetur; non mechandum non mechetur: qui prædicat mãsuetudinem, non irascatur: humilitatem, non superbiat: castitatem, non luxurietur: charitatem tandem, eandem opere demonstret. Igitur si iram cohibendam, cupiditatem compescendam, libidinem refrenandam, charitatem amplectendam, doces, easq; opere declaras: profecto virtutem verbo doces, opere vero ostendis: quia virtus est iram cohibere, cupiditatem compescere,

Virtus iuxta B. Augus. lib. 2. de lib. arb. cap. 2.

Sup. Matth. cap. 23.

Ad Rom. 2.

Quid sit virtus?

Digitized by Google

scere, libidinem refrenare. virtus nanq; à viro appellata est, viri proprie maxime est fortitudo; vnde dicitur vir, quia in eo maior est vis, quàm in fœmina: nam fœmina dicitur mulier, seu mollis aer: quandoquidem mollitie maxima viget; à viro igitur quia fortitudine præditus, virtus nomen accepit, iuxa Firmianum de opificio Dei. Igitur qui virtutem habet, fortitudinem habere oportet, qua iram cohibeat, cupiditatem compescat, libidinem refrenet: quia virtus vim dicit, sic enim verbo virtutem docebit: opere autem declarabit.

Μὴ τὸ ἔχειν ἀρετὴν καλὸν νόμιζε, ἀλλὰ τὸ ὡς δεῖ.

PRÆCEPTIO XII.

Non habere virtutem præclarum putato: sed quemadmodum decet ea vti.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XII.

Virtutis laudes.

VIrtus maximum rerum humanarum bonum qua melior non est possessio, cum neq; diuitijs, vt Euripides cecinit, neq; securitati, neq; vulgi adulationi se submittat, quinimo neq; tempori quia nec eripi nec subripi potest (vt inquiebat Cicero) neq; naufragio, neq; incendio amitti, nec tempestatum, neq; temporum permutatione obuolui: exercenda est penitus, & optime. Quid enim prodest virtutem habere, sed quemadmodum decet ea vti, nescire? certe quo frequentius ea vti libet, eo magis crescit, fitque perfectior. Nam quemadmodum (vt exemplis in hac re vtamur) si quis carbones ore flans inde magnas elicit faces, ita virtutum semina animis insita, si excitaueris: hubertim luxuriare facies: idq; quantocius perfice, nam morantẽ agricolam sæpe fallit ager rumpere glebas. Itaq; præclarum putato non habere virtutem tantum: sed quemadmodum decet ea vti, id præclarum putato. Virtus namq; in actione consistit: sed optima; optima autem erit quotiescumq; virtute nõ ad te tantum, sed ad alios quoq; vsus fueris. Qui enim sic vtitur, is certe optimus est: quia quemadmodum decet ea vti, sic vtitur. Dicebat Cicero quod fructus ingenij, & virtutis omnisq;

Optimum exemplum.

Virtus in actione consistit.

præ-

Digitized by Google

præstantiæ tum maxime accipitur cum in proximum transfertur. Hoc dicere Vergilius voluit, dum alibi cecinit.

Lib.5.Aene. *Gratior & pulchro veniens in corpore virtus,*
Adiuuat.

Epist.76. Sed à Seneca reprehenditur: cum virtus nullo honestamento egeat, nam ipsa magnum sui est decus, & corpus suum cõsecrat: cum possit etiam ex parua domo vir magnus exire, atque ex deformi, humiliq; corpusculo formosus animus,& liber & magnus. Hæc vtiq; vera sunt naturali tantum considerata pulchritudine. At Poeta ille insignis inspexit nedum naturalem pulchritudinem: sed moralem simul naturali coniunctam sic certe gratior est virtus in pulchro corpore. Nã pulchrum bonum quoddam est: in bono verò cũ consistat operatio, quia bonum diffusiuum sui ipsius est, virtus vero in actione consistat; gratior est virtus in pulchro: hoc est bono & optimo corpore, hoc est supposito (sumit namq; partem pro toto) quia habens virtutem, secundum virtutem operabitur: & quemadmodum decet ea vti, vtetur. Quare famam extendet factis, quod etiam ipsemet alibi dixit: famam extendere factis virtutis opus esse. Quid, quod maior virtus est operari bona, quàm turpia non operari? Si igitur non habes virtutem, acquirere illam stude, si habes: rem præclarissimam habes, si non exerces: male habes; quia illa non vteris, si vteris quemadmodum decet ea vti; nempe ad bonum, & in bono: tunc putato præclarum esse quod habes.

Νόμον τιμῶν γγ'τ νόμον ζήσεις.

PRÆCEPTIO XIII.

Legem honorans, iuxta legem viues.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XIII.

Lex vnde dicitur, & quotuplex. LEx siue à legendo dicatur iuxta Isidorũ, eo quod publice legi debeat, siue à ligando, quia obligat triplex esse decernitur: naturalis, humana, diuina. Naturalis est ratio summa insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt: prohibetq; contraria. Humana est populi constitutio in qua maiores natu simu

Digitized by Google

simul cum plebibus aliquid fanxerunt. Diuina est hominum ordinatio ad Deum, quã Plato (vt ex thimeo, Phædro & Gorgia colligitur) prouidentiam vocat. Prima omnium gentium consensu constat: secunda moribus: tertia natura. Nam & lex naturæ iuxta Beatum Thomam participatio est legis æternæ, & impressio diuini luminis in creatura rationali: qua inclinamur ad debitũ actum, & finem. At non accipitur natura, quatenus ipsa distet simpliciter: quia ius, seu lex naturæ sic est eadem apud omnes, & communis omnium nationum: cum vbique non constitutione aliqua habeatur, sed naturæ instinctu; lex vero diuina non est eadem apud omnes; Verum accipitur natura pro naturali, quod à suo creatore imponit: sic etenim omne quod est in lege, & in Euangelio, ius naturæ dicitur: ac propterea lex diuina lege naturali constat. Lex verò humana hominum actionibus, & voluntate instituitur, promulgatur, formatur, moribusq; vtentium approbatur: quemadmodum moribus vtentium in contrarium abrogari solet; sicuti hodie pleraſq; abrogatas cernimus. Quæ lex dicitur etiam ius ciuile (& si hoc ab illa differat sicut genus à specie) quod quisque populus vel ciuitas sibi proprium constituit diuina, humanaque causa, quod Aristoteles sociale ad vitam appellat: vt ad libertatem, & æqualitatem sufficiens sit, vel secũdum proportionem, vel secundum numerum. Lex diuina est illa, de qua alias loquebatur Cicero, quæ scilicet neq; hominum ingenijs est excogitata, nec scitum aliquod populorum: sed æternum quidam, quod vniuersum mundum regeret imperandi, prohibendiq; sapientia: quod & in veteri, & in noua lege aperte videtur. Lex humana ab hominibus inuẽta & tradita est, quemadmodum scribitur de decem viris illustribus in vrbe Roma: qui ex Solonis libris leges trãstulerunt, exposuerunt, obseruãdasq; tradiderunt; quo malum à Republica expelleretur, bonum vero augeretur. Lex vero naturalis est, quæ apud omnes eandem habet potestatem, & vim. Igitur cũ triplicem habeas legem, naturalem: humanam: & diuinam: legem honorans, iuxta illam viues; tunc autem iuxta illam viues: cum legem honoraueris. qui.n. contra legem viuit: dehonorat certe legẽ, & dehonans legem: viuit contra legẽ. Omnis.n. lex siue naturæ, siue hominum, deriuatur à diuina: & nisi diuinæ legis imaginẽ gerat, inanis est lex: viuens igitur contra legem, dehonorat

Lex diuina. 1. 2. q. 91.

Lex humana. 5. ethic.

Lib. 2. de legibus.

Lex naturalis.

Digitized by Google

omnem legem: & dehonorans legem, vivit contra omnem legem. At legis lator vt lex honoretur, iuxta legem omnes viuere procurabit: idq; fiet maxime; si & ipse primo vixerit iuxta legem. sic enim & ipse honorabit legem, & exemplo Principis honorabit populus legem: quia & ille viuet iuxta legem. Et quãuis Princeps à legibus absolutus dicatur, idq; per vim coactiuam est: nihil hominus tamen si non obseruaueris, nec alij obseruabunt: vnde & lex à nemine honorabitur: quia nullus iuxta legem viuet. Igitur si iuxta legem vixeris: honorabis certe legem. viues autem, si leseris neminem, amaueris autem omnes: lex enim vinculum est perfectionis, sic docet Paulus Apostolus: perfectio autem in charitate cõsistit. Vive igitur iuxta legem: quia tũc dubio procul honoraueris ipsam legem.

Ad Coloss. cap. 2.

Ζῆσον ἐνόμως, ἵνα ζήσῃ τῷ τοῦ νόμου.

PRÆCEPTIO XIIII.

Hospes est, cui sordent mundana.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XIIII.

Quare homo sit hospes.

HOmo siue viuit, siue moritur: hospes certe est: si namq; ex hac discedit vita, tamquam ex hospitio, non tãquam ex domo discedit: si viuit, commorandi diuersorium habet. Hospes nullũ proprium habet: sed alienum est omne quod habet: si enim suum esset: non esset hospes, at eius vita instabilis est. Dominus proprium habet: ideo in suo cõmoratur. At quamuis ita appareat: nullus tamen proprium habet. Cui enim proprium erit, quod fortunæ instabilitati subijcitur? si proprium suum esset: profecto vel fortuna nihil iuris haberet, vel immune dominus redderet, tueturq;; sed videmus neminẽ posse resistere. Subinde si homo proprium haberet: secum deferret quocunq; vellet; at inspicimus nihil hominem secum deferre: sed potius illum ab alijs deferri: hospes igitur est homo, extraneus à domo: aduena in ciuitate, exul à patria. Igitur dum in mundo hoc sumus: peregrinamur à domino; dum peregrinamur, hospites sumus. Quod etiam Regius Psaltes consi-

Psal. 38.

derans,

Digitized by Google

derans, cecinit: aduena ego sum apud te, & peregrinus filius matris meæ. Verum hospes quidem manifestius ille esse cernitur: cui hospitij blandimenta, oblectamentaq; penitus sordescũt. Quemadmodum enim hospes est, qui ad patriam pervenire nitens, haud in hospicijs moratur: signum euidens hospitij blandimenta exhorrescere; ita qui in hoc peregrinatur seculo, ille vere hospes inspicitur: qui ad cælestem suspirans patriam, mundana hæc penhorrescit omnino; mundi huius illecebras detestatur penitus: cui vero hospitium placet, vellet, si posset perpetuo in hospitio commorari: quia hospitij blanditiæ mirum immo dum delectant; vnde voluntate, non re dominus videtur. At velit, nolit: hospes est, hospes fuit, hospes erit, relinquet tandem hospicij delicias cum dolore, & pœnis. Ecquis non videt se hospitem esse, cum nunquam in eodem statu permaneat: sed continuo hinc inde instar nauis in medio fluctibus agitari? Quid igitur moraris? hospes es: hospitem te ostẽde. Sed ostendes quidem, si mundi illecebras abhominatus fueris, si delicias calcaueris: si dulcia fugieris, si ad cælum quod verè est patria tua: toto pectore anhelaueris, sic quidem hospitem te manifestabis: quia ita tibi sordescunt mundana. Optimum exemplum.

Ὁ ξένων ἐκτὸς ζημιοῖ· ὁ γὰρ κατ' ἄλλα φθεγγόμενος, φθόνος πάσχων ὑφ' ἑαυτοῦ κακῶς.

PRÆCEPTIO XV.

Inuidus seipsum mulctat, qui enim aduersus alterum loquitur: seipsum inscius malis afficit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XV.

INuidia monstruosum animal, vndequaq; pessima est. nam præter id quod concremat cuncta virtutum culmina: cuncta pestifere bona deuorat, nihilhominus tamen (vt Prosper inquit) in suum authorem reciproca est de bono alterius tabescentis animi cruciatus. Vnde definit Seneca esse animi dolorem Inuidiæ malignitas. Quid sit inuidia in lib. de benef.

2. 2. q. 36. art. 1. rem ex alienis commodis. Diuus Thomas, & pleriq; esse tristitiam dicunt de bono alterius, quæ torquet, siccat, afflat, exossatq; inuidentes quasi tortor quidam ex tartareis victoribus ad mortalium exterminia missus: vt non immerito Augustinus de doctrina Christiana, inuidiam vitium diabolicum esse docuit: quo solo Diabolus inexpiabiliter est reus. Non enim diabolo dicitur, adulterium commisisti, furtum feci sti: mane in ignem æternum: Sed quia homini statim inuidisti. Igitur fugienda est. Quod si non propter aliud, saltem quia, inuidus seipsum mulctat: seipsum punit. Corpus namque inuidi macie scatet, habet in ore pallorem: acies eius nusquam recta: dentes rubigine liuent, pectus felle viret, lingua veneno suffusa est, risus abest: somno non fruitur, videt distorte, incabescitque videndo, carpit hominum actiones, sed totum hoc supplicium suum est. Nam & à seipso carpitur, seipsum discerpit, partemq; veneni sui bibit: sui ipsius denique tormentum est, vtq; dicit Horatius.

Inuidia vitiũ diabolicum.

Inuidi conditiones.

Epist. lib. 1. Epist. 2.

Inuidus alterius macrescit rebus opimis.

Quæ maior punitio? quæ maior mulctatio? quæ maior miseria? miserorum quidem est inuidere bonis: nam inuidere, alijs bene esse, tibi male esse: miseria est. ideo dicit author: Inuidus seipsum mulctare. Subdit deinde quod qui aduersus alterum loquitur, seipsum inscius malis afficit, quia qui contumelijs, conuicijs, detractionibus & maledictis alterum offendit: ignem oleo extinguere videtur, inimicique manibus ensem præbere. ob id quoque de inuido loquitur primo, deinde de eo qui aduersus alterum loquitur. quia quemadmodum inuidia ex superbia oriri certum est: ita ex inuidia detractio, vel aduersus alterũ maledictio. Si igitur inuidus eris: signum est, te esse superbum. Si detractor vel aduersus aliquem loqueris: signum est te esse inuidum. Fac igitur vnum, quia vtrique prouidebis: Tolle superbiam, quia tolles inuidiam: tollendo inuidiam, tolles detractionem, vel maledictionem: secus te ipsum mulctabis, teq; ipsum inscius malis afficies.

Digitized by Google

Πλοῦτον μήτε κολάκευε, μήτε ὕβριζε.

PRÆCEPTIO XVI.

Diuiti neq; adulare, neque eundem irrita.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XVI.

NVlla pestis pestilentior est adulatione: quippe quæ & si non corpora consumat, animam tamen deperdit; cum vitia quæ inadulato sunt: adulatoris opere non detegantur, expurgenturq; : sed magis foueantur; virtutes vero tollantur omnino. ligat enim adulator homines in peccatis, efficitq; vt tollatur iudicium veri; dulcibus quidem verbis in ore, in corde vero falsis & fictis: rationis obtundit acumen: & modicum illud luminis naturæ, quod adesse videbatur, ob nubilat, extinguitque. Quo fit, vt homo suos videre nequeat defectus, quinimo sub falsa laude maiora committat; ac propterea similes sunt adulatores consuentibus puluillos, atq; ceruicalia facientibus; ad hoc enim fiunt, vel vt sub cubito, vel vt sub capite iacẽtis posita, molliter quiescat. Adulatores male agentibus puluillos sub cubito, ceruicaliaq; sub capite ponũt: & est qui ex culpa corrigi debuerat, in ea fultus laudibus, molliter conquiescat: sed à Domino per Prophetam increpantur dum dixit: Veh his qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Sed non videt adulati adulatoris laudes simulatas esse? amplo dissensionis interuallo (vt inquit Alanus) dissibulantes à voluntate vultum, verbum ab animo, linguam à mente, loquelam ab intellectu? non cernunt venena esse, cum non dentur nisi melle circumlinita? heu pestis omni peste pestilentior: aduersa amicitiæ, opposita affabilitati, symbola mendacio, amica duplicitatis, inimica veritatis, scintilla diaboli, hostis domestica, animarum interfectrix, crudelior gladio persequtoris, pungens plusquam scorpio, deceptor magis quam syrenæ; ciuitatum, domorumque bonarum destructrix; coniuncta vanitati, disiuncta à libertate, honestateq;: contraria denique charitati; quæ immanior bestia, inter omnes

Adulationis malignitas.

Adulationis cõditiones.

Optimum exemplum.

De complãtu naturæ.

Digitized by Google

nes bestias? quæ ensis acutior inter omnes gladios? ideo prohibet author adulationem primo, quia falsa laus adulatoris, & simulata dilectio mentes à rigore veritatis emollit, iuxta Augustinum, & ad noxias cogitationes amoris ficti potius ostentatione perducit (inquit Cassiodorus.) Deinde irritationem prohibet: quia irritatio prouocatio est alicuius ad nocendum alteri quolibet modo. Vtramque præcepit ne diuiti fiat, quia adulatio est excessus delectandi alios causa lucri verbis vel factis iuxta Beatum Thomam: qui enim adulatur aliquid lucrari desiderat, ob id adulatores, mimi, assentatores, histriones, scurræ, & similes, in principum aulis plerumque versantur emolumenti causa, vt inde scilicet sibi proueniant in pecunijs, in muneribus, in cibis; vtque fauorem emereri possint quoquomodo: alludẽtes, arridentesque, ne dicam deludentes, atque deridentes. Quod quidem seruile est, docente Aristotele, omnes scilicet blanditores obsequiosos seruiles, & humiles esse. Et indignum certe est libero ingenio; nam virtutibus præditi, non erunt adulatores; adulator autem omnis virtutis inimicus est. Ideo benè prohibet, author, vt nemo diuiti adulari debeat, nam diuiti fit adulatio non pauperi, non enim habent à pauperibus, vnde munera emungant. At nescis adulationem ex se peccatum esse? & mortale, tunc cum quis adulatur alicui, vt ei fraudulenter noceat, corporaliter, vel spiritualiter; cum quis adulatione sua alteri occasionem dat mortaliter peccandi: cum quis aliquem laudat de aliquo peccato mortali: semper autem veniale erit. Est namque adulatio fallaci laude seductio; ac propter hoc peccatum est ex sermone vanæ laudis exhibitæ intentione complacendi: ideo laudare aliquem de quo non est laudandus, vel plusquam est laudandus, vel non eo fine quo fieri debet: peccatum est. Similiter diuitem irritari: non est prudentis ob diuitiarum potentiam. Scribitur enim, non contendas cum viro locuplete: ne forte è contra constituat tibi litem: benè itaque dicit Author, diuiti neq; adulandum esse, neque eundem irritandum.

Super Psal. 99.
Super Psal. 140.
Irritatio, & adulatio quid?
2. 2. q. 95. art. 1.
Lib. 4. ethic.
Adulatio est peccatum.
Adulatio quid sit?
Ecclesiast. 8.

Digitized by Google

Ρώννυσι μὲν οἶνος τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν λόγος θεός.

PRÆCEPTIO XVII.

Vinum roborat corpus, animam autem verbum Dei.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XVII.

INter liquores vinum nobiliſſimum, & præſtantiſſimum eſt, re, vſu, & varietate. re, quia calefacit corpus, nutrit membra: roborat vires, lætificat cor, multos deinde ſpiritus claros, temperatos, & in ſpiſſitudine, tenuitateque mediocres procreat: vnde datur debilibus, vt confortentur. Quare dixit Homerus, viro defatigato magnum robur vinum auget: & rurſus vinum, & farinam medullam hominum cecinit. Ideo volunt aliqui vinum dictum à ui, quod vim inferat vel menti, vel corpori. Vſu, quia non eſt gens ſub cælo ſaltem maior pars orbis, quæ vino non vtitur, vel ſimplici, vel mixto. Varietate, quia multa ſunt virorum genera: præcipua verò Phalernum, Græcum, Albanum, Lachrima, & ſimilia penè innumera: quinimo, vt ex Philoſophis aliqui rentur: tot vinorum genera eſſe, quot infirmitates, illiſq; correſpondentia. Verbum verò Dei tanquam quodam ſpirituale vinum calefacit mentem, nutrit potentias animæ, roborat vires ſpiritus: lætificat animam ipſam, iuxta illud, & vinum lætificet cor hominis. vita certe hominis anima eſt, ſed in corde præcipue reſidet vita: vnde læſo corde, læditur & vita: igitur ſicut neceſſarium eſt vinum corpori tanquam robur eius, vinum cordi tanquam gaudium eius: ita verbum Dei neceſſarium eſt animæ, quia præſtantiſſimum, & nobiliſſimum eſt re, vſu, & varietate: re, quia dat vitam æternam, vſu quia vbiq; terrarum fœliciter diffuſum eſt: iuxta illud, In omnẽ terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum. varietate quia ſenſibus ſcripturæ diuerſis, literali ſcilicet & myſtico, ac propterea allegorico, morali, & anagogico prædicatur, iuxta illud: extendens cælum ſicut pellem. Si igitur vinũ bibis vt corpus roboretur: bibe verbum Dei, vt anima ſanctificetur.

Vini præſtantia, & effectus.

Vinorũ differentiæ.

Verbi Dei magnitudo.

Pſal. 103.

Pſal. 18.

Digitized by Google

Σιτιοις χρῶ, οὐ τοῖς ἡδέσι, ἀλλὰ τοῖς ὠφελίμοις.

PRÆCEPTIO XVIII.

Cibis vtere non dulcibus, sed salutaribus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XVIII.

NEceſſe eſt vnumquodq; animal cibis ſuę naturæ proportionatis veſci, homo autem omnibus ferè veſcitur: Nam & herbis etiam quibus propriè animalia paſcuntur, paſcitur ipſe. Sed connaturale eſt dulcibus vti cibis: nam adagium cõmune eſt; dulcia eſſe amica naturæ: quia naturaliter dulcia magis placent. Nam & guſtum maximè delectant, atq; ſuauiter pertrahunt denuo hominem ad ipſorum ſumptionem, ipſis quidem prius ſumptis. Eſt enim ſapor guſtus obiectum, qui ex ſenſibus, maxime voluptarius eſt: ac propterea dulcedine maxime mouetur. Inde eſt quod dulcia maximè nos alliciunt. Dulcedo igitur ſaporis præcipua eſt qualitas, quinimo eſt ipſe ſapor: qui ex calore in craſſa ſubſtantia temperate generatur; ac propterea præ alijs ſaporibus naturæ ſocia, & amica. Nam alij ſapores, vel erunt vnctuoſi, vel ſalſi, vel amari, vel acuti, vel acetoſi, vel pontici, vel inſipidi: & huius generis pleriq;, ſed cũctis præſtat maxime dulcis ſapor, vt manifeſtum eſt, quia dulcedo eſt ſapor reficiens, quietans, & guſtum delectans. Quare experientia comprobatum eſt, dulcedinem deperditas in corpore reparare virtutes, debiles confortare ſpiritus, membra nutrire, clarificare vocem, lenire aſperitatem, gutturis canalia, & pectoris vitia aperire: cunctas vuæ, & gutturis immunditias abſtergere catharrum, & humoris ſuperfluitatem diſſoluere: vitalis ſpiritus organa ad debitam reducere conſiſtentiam: multaq; naturæ adiuuamina conferre. Quaſobres in cunctis ferè medicinarum, ſeu antidothorum generibus, vel zaccarum, vel mel miſcent, tanquam ea in quibus dulcedo maxime reluceat: collatiuaq; omnium iam antedictarum virtutum, non niſi quia dulcia ſunt conſocia, & maximè amica naturæ. Ecquis eſt, qui dulcia cõtemnit? pauci quidem, ne dicam nulli dulcia abhorrere videntur. Cæterum vniuerſaliter non eſt verum. Sed quo

Sapor guſtus obiectum.

Dulcedo qd.

Saporum varietates.

Dulcedinis effectus.

ad

Digitized by Google

ad gustum tantum, & cum moderamine. Ex continua namque dulcium comestione innumera ferè mala, si medicis credendum est, proueniunt: præsertim verò quia inflant, vacuitatibus implent, flauam bilem generant, putredinem inducunt, calculos gignunt, meatus obstruunt, & similia efficiunt: hac de re salutaribus cibis vtendum est: non autem dulcibus; vel dulcibus non quibuscumque, sed salutaribus. Verum spiritualiter intellecta præceptio hæc, (vt intelligi debet) dulcia videntur esse mundana omnia, atque peccata, cum dulcedinem mentibus, pariterq; corporibus præbere videntur. At cum non sint salutaria, quia inflant, cor malis affectibus replent, iram incitant, luxuriæ putredinem procreant, obstinationis & malitiæ calculum in vessica conscientiæ generant, quia vtiq; obstruunt meatus ad vitam æternam, & dulcedo momentanea est: nõ dulcibus vtendum est cibis, sed salutaribus; illis quidem qui ad brauium supernæ gloriæ peruenire nos faciunt; ac propterea cibis vtendum esse non dulcibus præcipit author: sed salutaribus.

Mala quę generantur à dulcibus.

Peccatorum effectus.

Τοῖς ὄχλοις πειράζουσι ἀρέσκειν, τῶν ὄχλων ὅμοιος ἔστω.

PRÆCEPTIO XIX.

Si conaris placere vulgo: vulgo similis fias.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XIX.

VLgo, qui proprie ignobilior populi multitudo est, à voluendo dictus: quod stultè huc, atq; illuc voluatur, minime placendi est; quandoquidem nihil est à virtute, vel à veritate remotius: quàm vulgaris opinio, sapientes insanos vocare solet, & insanos sapientes, falsum pro vero habet, & verum pro falso; Et si credimus Francisco Petrarchæ viro illustri: vulgus quod loquitur falsum est, quod improbat bonum, quod approbat malum, quod prædicat infame, quod agit stultum, quod cogitat vanum, & tandem quod laudat vituperio dignum est. Si igitur vulgarem fantasiam potius quàm optimam vitam sequi placeat: male ages; si autem & id omnino volueris:

Vulgus qd.

De remedio vtriusq; fortunę dial. 11 Vulgi conditiones.

D vulgo

Digitized by Google

vulgo adhęreas; idq; perficies: si vulgo similis fias. Cæterum
Dubium dubitatio exurgit non contemnenda, cur scilicet vt placeas vulgo, vulgo similem fieri tibi præcipit author: cum & id malum omnino sit, & Paulus Apostolus prædicator veritatis, & Doctor gentium constanter affirmet, quòd si hominibus placeret, Christi seruus non esset: cur itidem cum peccata omnia
Peccata omnia in populo reperiuntur. non nisi in populo reperiri manifestum est? furta, commessationes, ebrietates, adulteria, fornicationes, masculorum concubitus, mendacia, periuria, fraudes, lites, iurgia, blasphemiæ, superbiæ, iræ, rixæ, inuidiæ, detractiones, & similia pene infinita? numquid & præcipit author similia à te perpetranda esse, vt placeas vulgo; cum impossibile sit, vt nonnisi his placere possis? absit. At non est quidem præceptiua sententia
Dubij solutio. hæc, sed permissiua, & conditionalis: quod si præceptiua, conditionaliter profecto, ac permissiue præcipit. Quemadmodum si quispiam diceret, si vis Diaboli amicus esse, fac quod ipse vult, non quod tu vis: Non præcipit certe absolutè, vt Diaboli amicus fias, sed si amicus illius fieri desideras, necesse est suam, non tuam implere voluntatem. Igitur fias vulgo similis, si vulgo placere desideras; quia simile cum simili facile conuersatur; hanc ob causam simile placebit simili. Sicque loquitur author.

Τ̓πὲρ πάντα κατεχῶ τὸν σώμετί σου.

PRÆCEPTIO XX.

Super omnia autem mortifica corpus tuum.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XX.

Deus quę de dit homini.

QVatuor inter cętera dedit Deus homini, vt sibi inuicem bene consentirent: corpus, animam, sensum, & rationem; Corpus vt animæ subesset, sensum verò vt rationi obtemperaret: nam anima nobilior est corpore, ratio autem sensu: spiritualia equidem nobiliora sunt corporeis; ac ob hanc causam dominabuntur illis tamquam nobiliora, hæcque obtemperabunt ipsis tamquam inferiora; Quemadmodum in innocentiæ

statu

Digitized by Google

statu subdita erant ad inuicem: Obediebat quippe sensus rationi: caro spiritui: homo autem Deo. At inuidens Diabolus tantæ felicitati, tantæq; concordiæ: vltimum suum apposuit conatum, tantumque profecit: vt miser homo ceciderit, sicq; perpetrato peccato, Deoq; offenso, contra rationem insurrexit sensus, contra animam verò corpus, ac propterea contra corpus cœlum, contra omnia Deus: ita vt vsque ad hanc horam sit inter ea pugna atque rixa, raraq; victoria: nam semper ferè sensum vincere rationem, corpus verò animam compertum est. Tantæ verò ruinæ vnicum remansit remedium inter cætera, nempe vt corpus mortificetur, sensusque reguletur: si namque corpus non mortificaretur, sensusq; non regularetur: vnum semper contra alterum insurgeret; corpusque nec animæ obtemperabit, nec rationi obediet sensus. Hanc ob causam corpus à quo & sensus depẽdet: in primis mortificandum est, & super omnia. Si nanq; seruo magis quàm domino, vel æque vt domino blandiatur: in superbia quidem elatus, seruus rebellabitur domino: nam & scribitur: impinguatus, incrassatus, dilatatus, recalcitrauit. Corpus seruus est animæ, igitur mortificandum super omnia est corpus: ne contumax fiat animæ; peccatumque serui domino ascribatur; vnde dicebat Paulus Apostolus: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Quocirca fiet, vt castigato corpore, castigetur & sensus: ita vt quemadmodum corpus obediet animæ, ita & sensus rationi. Mortifica igitur super omnia corpus tuum hęremo, solitudine, vigilijs, oratione, inedia, cibi potusq; abstinentia; fac vt velit, nolit subditum sit animæ: quia sic sensus subditus erit rationi.

Diaboli inuidia homo mi ser effectus est.

Remediũ ruinæ hominis.

Corpus quibus mortificandum est.

Φιλόπονος ἄνθρωπος ὦ κύριε ὃ περισσεύει.

PRÆCEPTIO XXI.

Ille laboriosus est: cui non tempus superat.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXI.

TRia sunt in vniuersum, quę mensura aliqua mensurantur: Deus, Angelus, Homo: Deus æternitate, Angelus æuo: Homo tempore. Deus quia omnino immutabilis: Angelus quia simpliciter immutabilis, licet secun-

Dei, Angeli, & hominis mensura.

Digitized by Google

dum quid mutabilis: homo quia absolutè mutabilis. Deus cum mensuretur æternitate, non laborat; æternum enim sine labore est, ac ob id infatigabile: Deus æternus est ergo infatigabilis, quinimo & Boëtius cecinit:

Immobilisque manens, dat cuncta moueri.

Angelus etsi operationes eius naturales nunc temporis discreti, non continui mensurentur: ac propterea tempori subduntur omnino, quo tamen ad substantiam suam, supra tempus est, quod est numerus motus cœli: vnde non laborat; nam quo mensuratum, æuiternum est: æuiternum verò perpetuum; Angelus æuo mensuratur, ob id æuiternus, ob id perpetuus; perpetua autem sine labore existunt: Angelus igitur sine labore est. Et quamuis si stella adderetur orbi, cum labore ab Angelo moueri, author est Aristoteles: nihil hominis tamen id non ob aliud esset: nisi propter improportionem mobilis ad motorem; nam & finitæ virtutis Angelus existit. Homo autem cum vndequaque mutabilis cernatur, motui subijci necesse est, ac ob id tempori: igitur & labori; ergo necessum est, vt laboret: natus namq; est homo ad laborem; quinimo in pœnam peccati ad laborem deputatus est; Dixit namque Deus Adæ, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: deinde, In sudore vultus tui vesceris pane tuo. At tandem misertus Deus suæ facturæ, laborem quem homini in pœnam dederat: commutauit in præmium; hoc est, voluit, vt laboraret homo: & ex labore, fructus atq; præmium in sempiternum reciperet. Vt autem verè laboret, sciat tùc laborioſum fore, cum ei tempus non superauerit; nam cui supereſt tempus: laborioſus non est, sed ocioſus: quia partem tantum temporis absumit, non totum; qui verò totum, verè laborioſus est. Quinimo cum Deus sit æternus, animamq; fecerit æternam: vult, vt laborans homo sit æternus. Nam cum ob laborem det præmium, vt correspondens sit præmium labori: necesse est vt labor appropinquet æternitati, numquam autem appropinquet: nisi illi cui tempus non superauerit: si enim supereſt tempus, non adest æternitas: sed tempus; si non remanet tempus labori, iam consumpto tempore remanet æternitas. igitur si præmium æternum desideras, oportet laborare, laborabis autem: si tempus tibi non superauerit; si verò non supererit, iam æternitas adest, ergo & præmium æternum. Cæterum si expenditur, circa

Homo mutabilis.

Genes. 3. c.

Labor necessarius homini.

Digitized by Google

circa bona expendendū est: quia his magnum pollicetur præmium, qui scilicet bona agunt, non qui mala: nec his, qui non mala agunt, nec bona; similes namque erunt illi, qui mnam in sudario deposuit. Non enim sufficit mala non agere, sed requiritur etiam bona facere. Hi verè sunt laboriosi, hi quibus tempus non superat, hi soli beatitudinem consequentur, præmium namq; in bono labore consistit: sed bonorum laborum gloriosus est fructus: Ergo expende tempus, ita vt nihil tibi superet; quia laboriosus eris; quare merces tua magna erit in cœlo. Tēpus quomodo expēdendum.

Χριστιανὸς ἀνδρὸς μὴ τὸ σχῆμα ἀλλὰ τὸν τῆς ψυχῆς φρόνημα.

PRÆCEPTIO XXII.

Ne recipito Christiani hominis formam tantum: sed animi potius prudentiam.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXII.

PRudentia duplex esse perpenditur: carnis, & spiritus: prudentia carnis falsa est, prudentia spiritus vera: illa ad malum ordinatur finem; hæc ad bonum, & ad verum vltimum finem vergitur: hæc omnibus in gratia existentibus inest, illa peccatoribus tantum; quia malis acquisita medijs, licet prudentia acquisita, non potest esse in peccatoribus infrà vitæ naturalis terminos per se, sed tantum eius falsa similitudo. Reperitur tamen altera communis bonis, & malis, quæ profecto vera prudentia est, sed imperfecta: quoniam ad particularem dirigitur finem: vt cum bonum quod capit quis pro fine, non est communis finis totius humanæ vitæ, sed alicuius particularis negocij; vt prudens negociator: prudensque nauta, quemadmodū docet Diuus Thomas; vel cùm quis rectè consilia tur, & bene iudicat super pertinentibus ad totam vitam, sed non efficaciter præcipit: hæcq; in iuuenibus minime reperiri cum ob temporis paruitatem, tum quoque ob inexperientia m maxime consentaneum est. De hac non loquitur author, Prudentia quotuplex. 22.q.47. art. 13.

cum

Digitized by Google

cum ob singularium variabilitatem non sit omnino certa, atque cum bonis malisq; communis existat: peccatum esse non potest: Quod si de hac loquitur, non hæc tantum recipienda est: sed animi potius prudentia: Propriè autem de falsa, & vera loquitur, primam prohibet, secundam amplectendam admonet: primam prohibet dum dicit: ne recipito Christiani hominis formam tantum: secundam præcipit, dum subiungit; sed animi potius prudentiam. Prima fugienda est omnino, quia prudentia carnis est inimica Deo: odiosa Angelis: grata Diabolo: periculosa hominibus: ac propterea peccatum esse mortale. Est namq; qua quis inordinatè afficitur, vel studium adhibet ad carnis delectationem consequendam; quod si in illa finem totius vitæ constituit: mortalis quidem criminis reatum incurrit: secus venialis: Quid quod ex hac prodeunt astutia, fraus, dolus, superflua temporalium sollicitudo, sollicitudoque futurorum anxia; quæ omnia peccata sunt? Secunda verò amplectenda est penitus, cum sit virtus dirigens ad rationis normam vniuersa, quæ cogitat homo: quæque agit: ac nihil præter rectum, vel laudabile facit: quam sequuntur memoria, ratio, intellectus circumspectio, prouidentia, docilitas, cautio, solertia. Hanc igitur recipito, non illam tantum quæ imperfecta est: nec aliam penitus quæ ficta est; quia est simulata prudentia: quæ non est prudentia, sed duplex iniquitas; est enim iniquitas, & simulatio. Hoc est quod dicit Author: ne recipito Christiani hominis formam tantum. Dicit formam, idest figuram seu superficiem, ac si diceret: noli esse Christianus secundum superficiem seu iuxta apparentiam tantum: quia tunc prudens simulator eris: ac ob id carne prudens, non spiritu. Recipito igitur animi potius prudentiam.

Prudētię carnis cōditiones, & diffinitio.

Prudentiæ carnis filię.

Prudētię spiritus diffinitio, ac effectus.

τέλος ἀντιλήπτου οἰς ἓν, ἁμαρτία.

PRAECEPTIO XXIII.

Culpam transferre in Deum non culpandum: peccatum est.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXIII.

DEus nec causa culpæ est, nec culpam committit: Non est causa culpæ, quia cum non sit causa peccati, nec causa culpæ erit: cum peccatum culpæ rationem in se includat. Quod si in plerisque sacræ scripturæ locis legitur, Deum esse causam mali, causam peccati, & similia, intelligi debent sententiæ omnes, permissiuè: seu non est causa peccati quoad deformitatem actus: erit tamen quoad actum: & quamuis deformitas sequatur actum, & ex actu procedat deformitas: nihil hominus tamen actus quia naturalis, à Deo est: deformitas verò quia contra naturam, ab hominis malitia tantum, omne autem quod legi naturę repugnat, peccatum est: in Deo igitur culpa esse non potest: Nec etiam culpam committit, quia culpa voluntaria inordinatio, vel priuatio boni est, consistitque in auersione à Deo, quomodo igitur Deus à seipso auertitur? Deus quicquid fecit, diligit; peccatum odio habet: quomodo igitur peccatum fecit? nec etiam potest facere: quia tunc non esset Deus: Nam dicitur peccatum, quatenus voluntas à debito deficit fine: tenditque in malum; voluntas diuina cum sit idem quod sua natura, quæ est summum bonum, erit & illa quoque bonum optimum; ac ob id ab omni malo aliena; igitur non peccabilis: quia derogat summæ bonitati. Quare cum peccatum actum deficientem dicat, & Deus in nullo deficere potest, ergo peccatum nec fecit, nec potest facere, ac propterea dicitur nihil. Culpa igitur nemini nisi nostræ voluntati ascribenda est; qui enim propria voluntate deflexit: ille tenetur ad culpam: culpa igitur non transferenda est in Deum, qui non peccat, neque peccare potest; sed in eum qui deliquit, & delinquere potest; igitur iniuriam facis Deo si culpam transfers Deo inculpabili: Ergo culpam transferre, in Deum non culpandum, peccatum est. Culpam verò transferunt in Deum, qui dicunt Deum causam esse cuiuscumq; mali quomodolibet: hi verò sunt blasphematores, qui facile Deo attribuunt, quod attribuendum minime est, culpam præcipue, sed hoc solo priuatur Deus nempe peccato: igitur culpã transferre in Deum absq; culpa existentem, peccatum est maximum.

Deus nõ est causa culpę.

Quomodo Deus est causa mali.

Culpa quid.

Deus nõ potest facere peccatum.

Culpa cui debetur.

Culpã transferre in deũ, peccatũ est blasphemiæ.

Culpa

Digitized by Google

Culpa igitur teipsum cum in peccatis natus sis, & in peccato viuis: non autem Deum.

Ω τῶν κ πλάσαντος, μέγας ὁ κίνδυνος.

PRAECEPTIO XXIIII.

Aurium, & linguæ magnum est periculum.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXIIII.

DEVo præ cæteris dedit Deus homini ad gloriam suã, quæ profecto nedum ad corporis ornamentum, & naturæ necessitatem maxime necessaria erant: sed ad animi candorem, mentisque præstantiam; aures scilicet, & linguam. Nam & si has, & similes, animalibus præstiterit: ad explendam tamen victus necessitatem, inferendasq; ventri copias dedit: vnde & lingua præsertim cibos conglobat, deprimit, ac in ventrem transmittit: homini verò vt recte rationis promptuaria essent, & suauissimæ orationis latibula. Itaque dedit homini Deus aures, & linguam: aures, vt audiret: linguam vt loqueretur: aures vt audiret bona, linguam vt proferret meliora: aures vt audiret verbum Dei: linguã quo laudes eius expromere posset. At quia superuenit inimicus homo, qui superseminauit zizaniam, heu quot obscęna per aures intrant, linguaq; quot maledictiones, impertinentiaq; profert varia: ideo si hæ non bene custodiantur, illorum magnum est periculum: quia per aures vana ingredientur, per linguam verò maledicta proferent. Sed nescis causam ruinæ mundi totius, aures, & linguam extitisse? nisi serpentem parentes nostri audissent, haud tam miserè cecidissent, & nisi serpens locutus fuisset, certè non audissent; at poterant non audire resistendo, meliusque eis fuisset, si nõ audissent. Quare & ambos Deus reprehendit: marem quia mulieris vocem audiuit: fœminam quia serpentis. vide ergò quanta recit auditus cum sermone, perspice; si illarũ magnum est periculum. Et quamuis dices duas naturam nobis dedisse aures, vnam verò linguam, vt plura audiret homo, quàm loqueretur; ac propterea Senecam virum illustrem ad Lucillum scripsisse

Aures, & lingua inæqualiter insunt homini, & animalibus.

Homini cur Deus dedit aures, & linguam.

Causæ ruinę totius mũdi aures, & lingua fuerunt.

Digitized by Google

ſcripſiſſe: vt in hoc incumberet quo libentius audiret, quàm loqueretur; auribus frequentius vteretur, quàm lingua: id comparatiuè ſcripſit. Melius namque eſt aliquando loqui, quàm multa audire,& minus malum eſt multum audire,quàm loqui multum. Abſolutè tamen melius eſt, & ſecurius parcè audire, parciuſq; loqui: Qui enim aures obturabit ſuas, bene audiet: & qui tacebit, optimè loquetur. Qui neſcit ſurdeſcere, neſcit audire: & qui neſcit tacere, neſcit loqui. Refrenandæ igitur ſunt vtræque; quia ſæpe loquitur lingua per aures: Niſi enim audiret homo, non tanta proferret incompacta; ex quibus poſtmodum pericula multa, tum animæ, tum corpori accidere neceſſarium eſt; rari enim ſunt, ne dicam nulli, qui quod audierint,tacebunt. Compeſce igitur vtraſque: quia illarum magnum eſt periculum.

Lingua ſæpe loquitur per aures.

φόβον ἴχε θεὸς, καὶ πόθον, καὶ καταρὸν θεὸς πάντας τῷ μαρτυρίῳ τοῦ συνειδότος τιέχηται.

PRAECEPTIO XXV.

Timorem & deſiderium Dei habeto: & puro conſcientiæ teſtimonio erga omnes vtere.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXV.

Nihil tantum à peccato nos terret,& abſtrahit:quantum Dei timor: nec tantum in peccatum nos inducit, quantum abſque timore Domini viuere; Eſt namque timor Dei veluti gladius, & acutus enſis, omni quidem immani gladio acutior,continuè vibrans ſuper capita noſtra: ecquis non timeret? vnde & Regius Pſaltes in ſpiritu à Domino petebat: vt cõfigeret timore ſuo carnes eius: ſciebat namque Dei timorem potiſſimum remedium eſſe ad peccata vitanda, omneſque carnis illecebras edomandas: ac propterea ad ſupernam conſcẽdere patriam. Quare triplicem aſſignant Theologi timorem, quatenus Deum reſpiciunt: ſeruilem, filialem, & initialem. Seruilis eſt cum quis timore pœnæ peccatum derelinquens,Deo inhæret: Filialis cum quis timore culpæ ad Deum conuertitur: Initialis cum quis propter

Pſalm.118.

Timor quotuplex.

Timor ſeruilis,filialis,& initialis qd?

E vtrum-

Digitized by Google

vtrumque Deo seruire incipit. Vnusquisque autem laudabilis est, inæqualiter tamen, sed filialis optimus: quia quemadmodum nobilior est filius seruo, ita timor timore: filiorum verò est timere offensam patris. De vnoquoque intelligit author, sed de filiali præcipue: nam & alij imperfectione mixti sunt maxima, præsertim seruilis; quia bonum quod facit homo timore pœnæ, non faceret, si impunè posset non facere; ac ideo qui timore pœnę non peccant, mali fere reputantur: quia peccarent, si non esset pœna. Verum timor Dei filialis cum sit verus timor, mentem corrigit: ac ideo quod in opere fieri videtur, primum fit in corde; quia non timore pœnæ, sed amore iustitiæ facit, quicquid homo facit: perfecta quidem charitas foras mittit timorem seruilem, non autem filialem, ac propterea tales boni sunt: quia non existente pœna, adhuc non peccarent. Vnde & quidam Poëta cecinit,

Timor filialis verus, & optimus.

Horatius epist.

Oderunt peccare boni, virtutis amore:
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Timor igitur filialis optimus est, quandoquidem ex hoc oritur in anima desiderium Dei: vnde & amor quoque, iuxta illud: Cupio dissolui, & esse cum Christo; & illud: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Author igitur idcirco adiungit desiderium, quasi diceret: habeto timorem Dei, quia habebis & Dei desiderium: Nam ex sancto, & bono Dei timore oritur in anima omnino desiderium eius, ac propter hoc amor, desiderium etenim voluntatis actus est: ac propterea amor. Timendus est itaque Deus dilectione, & diligendus timore: quia dulcis, & rectus est Dominus; ergo ob dulcorem diligendus, ob rectitudinem timendus. Verum enim uero quia bona quæ agimus, bonum est ad proximi ædificationem, & Dei gloriam absque ostentatione bonis manifestare operibus, ob id subiungit: vt puro etiam conscientiæ testimonio erga omnes vtamur; quia conscientia bene actæ vitæ testis est; vnde & prouerbio dici solet: conscientia mille testes. At recta acta vita erit, si Deum timueris, si illum desideraueris, si denique hæc omnia puro conscientiæ testimonio omnibus manifestaueris. Igitur time Deum, desidera illum: & vtere conscientia bona; nam timore, & desiderio, seu amore Dei excitatus: legem eius custodies, ob id quoque puro conscientiæ tuæ testimonio erga omnes vteris.

Psalm. 41.

Conscientię purę testimonium omnibus exhibendum.

Digitized by Google

Αὐτὸν ἐφισᾶναι τὸν θεὸν πᾶσι, ἐν οἷς πράττεις ἕκαστος.

PRÆCEPTIO XXVI.

Deum ipsum semper præsentem adesse existima in omnibus, quæ agis.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXVI.

TRia profecto dat Deus rebus quibuscumque: esse: virtutem: & operationem. Esse, vt subsistent: virtutem, vt conseruentur: operationem, vt agant: Nam esse facit subsistere, virtus conseruare, operatio autem agere. Ex his habetur, Deum esse vbique, quia cum hæc omnia cunctis impartitur locis: tum quoque quia loca omnia mirabiliter replet; non formaliter, quia id corporis est: sed effectiuè, & causaliter. Igitur erit Deus in locis omnibus per essentiam, per præsentiam, & per potentiam. Quia essentia respicit esse, præsentia conseruari, potentia verò operari. Quandoquidem essentia Dei est causa essendi alijs, præsentia causa conseruationis, potentia verò causa operationis. Igitur in omnibus quæ agis, Deum præsentem semper existima: quia Deus vbique est per essentiam, præsentiam, & potentiam: & sic rectè ages. Minimè quidem ambigẽdum est Deum præsentem esse vbique lotorum, vel si quid vides: vel si quid non vides. Vnde ex Philosophis nonnulli dixerunt: Deum esse mentem vniuersi; & quicquid vides totum Deum esse: & quicquid non vides, totum Deum esse. Alij verò Deum esse animum per immensas mundi partes, omnemq; naturam commeantem, atq; diffusum. Cicero docuit, quod nihil obscurum Deo esse potest. Secundus Philosophus Adriano Imperatori respondit: Deum, inter cætera, esse insopitum oculum: omnia continentem. Thales Milesius interroganti si lateret Deum homo iniustè agens; respondit: sed nec cogitans. Ideo bene scripsit Seneca ad Lucillum: sacrum intra nos spiritum sedere, bonorum, malorumq; nostrorum obseruatorem, atque custodem. Et Aristoteles dixit, Deum bene videre præsentia, præterita, & futura; & rectè quidem omnes

Rebus omnibus quæ dat Deus.

Deus in omnibus inuenitur locis.

Antiquorum sententia de Deo.

Lib. 2. de natura Deorũ.

Epist. 40.

Lib. de bona fortuna.

Digitized by Google

Deus vnde dicatur Deus.

dixerunt. Quare & si Deus à dando dicatur, quia dat quicquid cõmodum est: vel quia ei nihil desit: rectius tamen (prout nostro deseruit negotio, dicitur ἀπὸ τοῦ θεωρέω, quod est video, & speculor: quia peruigil omnia contemplatur, & videt. Quapropter & Paulus Apostolus Athenienſibus prædicans, Deum non longe esse ab vnoquoq; nostrum docuit: adducens & illud Arati Poëtæ; in ipso viuimus, mouemur, & sumus. Præsens igitur est Deus rebus quibuscumque: & intime inuenitur in omnibus. Nam cum rerum omnium esse sit proprius Dei effectus, agentis, omniaq; conseruantis: & agens quodcunq; cum coniungitur, ei in quod immediatè agit, coniungitur: ergo Deus intime, atque in omnibus inuenitur rebus immediate, nedum virtutis immediatione: sed etiam suppositi; quin imò omni immediatione vtriusque: cũ sua virtus sit sua substantia. Vide ergo si quid agis, si rectè agis: nam & si à nemine hominum videaris: scias, Deum supernum inspectorem minime te latere. Fœlices quidem nos, si præceptionem hanc ante oculos continuè haberemus: numquam tantę maiestati, tot offensas inconsideratè moliremur. Si namque quispiam præsente Rege, vel Præside, aut cuiuscunque magnæ authoritatis viro, nihil efficeret, quod illorum oculos offenderet: quantò magis homo, si in omnibus quæ ageret, Deum ipsum semper præsentem existimaret? Delinqueret certè nunquam. Existima igitur Deum in omnibus, quæ agis, semper præsentem esse: & non peccabis.

Actuũ c. 17.

Deus præsẽs est rebus omnibus, & quomodo.

φεῦγε τοῦ ἐπαινεῖσθαι, ἄρχωσι ἢ τοῦ ψέγεσθαι.

PRAECEPTIO XXVII.

Fugito laudem, & caueto vituperium.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXVII.

Omnis excessus, & defectus vituperabilis.

EXcessus omnis, seu defectus, siue naturæ, siue moris, quicumque sit ille; cum virtutis limites, quæ in medio consistit, egrediatur: non est laudabilis, sed vituperabilis. Summus qnidem naturæ calor pernicioſus est, ex sua nempe maxima raritate, vnde & mortem inducit: sicuti è contra summum frigus ex sua

Digitized by Google

ex sua maxima densitate, constipationeque; nam frigidi est constipare, calidi verò rarefacere. Quare orbis loca quæ vel summo calore vigent, vel summo frigore: cum Philosophi, tum quoque Cosmographi (vt in Mappis est videre) inhabitabilia arbitrati sunt: & docuerunt. At sunt & rationes naturales, & mathematicæ, quas in præsenti ne deuiemur à fine, adducere nō licet. Similiter in moralibus vitiosus est excessus, vtmanifestum est: præterquam in vera charitate; & vitiosus est defectus, nisi in vitijs. Quare proverbio dici solitum est; extrema esse vitiosa; quia vnum excedit, alterum verò deficit; ac propterea non laudabilia: quæ verò ad mediocritatem appropinquant, laudabilia sunt: quia virtutis naturam quæ in medio consistit: indicant. Vnde Aristoteles dixit: medium in omnibus laudabile: & rursus docuit, quanto magis aliquid ad medium accedere: tanto melius esse; & quanto magis distare à medio, tanto peius: quem Martialis imitatus, ad Flaccum ita cecinit,

Excessus in charitate laudabilis.

Ethic. 2. & 4. Politico.

Illud quod medium est, atque inter vtrumque, probatur.

Epigr. lib. 1.

Et Ouidius dixit: Medio tutissimus ibis: & rursus: Iter vtrumque tene; & iterum: Inter vtrumque vola. Hoc est quod dixerunt antiqui Græci; omne superfluum intempestiuum: quoniam sermo antiquus est, quod & mellis nimium, est bilis. Itaque cum extrema sint vitiosa, ideo Author prohibet laudem, & vituperium, dicens: Fugito laudem, & caueto vituperium; quia sunt extrema, ac propterea vitiosa: Mediocritas enim est quid optimum, cum summa quidem pericula inducere apta sint, extrema verò conuitium habeant. Sed dices, laudari profecto bonum est, nam laus est sermo elucidans virtutis magnitudinem; iuxta Aristotelem, & Beatum Thomam: virtus ergo cum sit optima, optimum verò laudabile: optimum erit laudari; non igitur fugienda est laus. At id quamuis sit verum, nihil hominus tamen melius est esse laudabilem, quàm laudari: quia si lauderis, falsè poteris laudari: at si es laudabilis, quamuis non lauderis: quinimo si conuitiaris, laudaris. Rursus ob imminens periculum quoque, fugienda omnino est à fidelium mentibus. Qui enim in se laudari appetit, superbus esse conuincitur: sicuti econtra esse humilem, est nolle laudari se: superbia verò fugienda est penitus. sed nescis altiora vim ventorum magis sentire, subiectaq; esse fulminibus, tonitruis:

Metamorph. lib. 2. & li. 8.

Laus quæ.

Lib. 1. & 3. Reth.

Super Pf. 17.

vnde

Digitized by Google

vnde & sæpe destruuntur radicitus; caue igitur ne perdaris. Vituperium itidem cauendum est: quia vituperatio à vitio nomen trahere creditur: Vnde vituperium & si iuxta humanam opinionem quemcumque respiciat defectum, soli tamen culpæ debetur: culpa uerò cauenda omnino est: igitur & vituperium. Quare scribitur alibi, Curam habe de bono nomine. Vis igitur vtrique prouidere? recole quod Diuus Augustinus alias docuit, nempe ibi à vanitate remotam esse laudationem vbi etiam vituperatio ab offensione secura est. Bene itaque dicit Author, vt fugias laudem: & caueas vituperium.

Ad Dioscorum.

Χαίρον τῶν ἀρετῶν ἥνικα πρὸς πίστ. ἀλλὰ μὴ ἐπαίρου ποτὲ προσανάγιον ἐν τῷ λιμένι χειμῶνα.

PRÆCEPTIO XXVIII.

Gaude quando virtutem exerces, verum ne efferaris: ne quando in portu naufragium accidat.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXVIII.

AD omnes dirigitur præceptio hæc, sed præsertim vel ad eum, qui ex deteriori iam melior esse cœpit: vel ad eum, qui in bonis, melioribusque profecit. Perfectus enim es, vide ne perfectione tua glorieris: labitur certè perfecti anima, etsi quibuscunque sit virtutibus prædita, inani gloria: quinimo si gloriatur vanam gloriam contemnere, quamuis reuera contemnat, adhuc in portu naufragare certum est; quia dum gloriatur intus de gloria: non contemnit gloriam; quia si contemneret, non gloriaretur. Si verò nouiter ad meliorem transieris vitã, & de acceptis virtutibus adhuc extolleris, error est peior priore; quia leuius iacebas per vitiorum lapsum: quàm nunc, dum grauius corruis per inanem gloriam. Quisquis ergo es in via Dei, vel incipiens, vel proficiẽs, vel perficiens; te vtiq; gaudere oportet, cum virtutẽ exerces: quia virtuosus bene vtitur quibuscumque. Gaudes deinde re optima constante, & perpetua: nam verum gaudium nõ erit, si ei iunctum fuerit desinere, & in contrarium verti: virtus verò nunquam desinit: nec in contra-

Vanæ gloriæ periculum.

Gaudendum est de virtutis exercitio

Digitized by Google

contrarium vertitur, sed possessio eius æterna est. Accedit, q virtutis laus in actione consistit, igitur quando virtutem exerces, gaude: quia rei optimæ, & æternæ exercitio gaudes. Cæterum propter bona operari ne te extollas, ne res digna æterna retributione, vili pretio venundetur: cum pro recto opere laudem quæras transitoriam: hoc enim est in portu naufragare. Sicut enim nauta ex lõginquo nauem mercimonijs multis plenam, in loco aliquo vehens, dum in portu eam saluam dirigere credit: cum vltra debitũ arbores extulerit, tetenderit incompositè antennas, velas citra modum aperuerit: ecce ventorum flatibus vndiq; agitata; tandem in portu impingens, concutitur, frangitur, in mille minutias resoluitur: diuitiæ tandem à mari absorbentur. Sic viro contingit Christiano, dum nauem animæ suę bonis operibus, virtutibusq; oneratam, in cœlo saluam, incolumemq; adducere putat; superbiæ tandem, vanæq; glorię inflata tumore, impingit in portu, concutitur, quatitur, in mille minutias resoluitur, omnia denique merita in portu mortis iure meritò amittit. Ideo dicit Author vt gaudeas, quando virtutem exerces: sed sine vanæ gloriæ tumore, ne in portu aliquando naufragium accidat. Diuus Ambrosius docebat, non esse tanti gaudij excelsa, hoc est virtutes, tenere, quanti mœroris est, de excelsis corruere: nec tantam gloriam sequi post victoriam: quantam ignominiam post ruinam. Cautè igitur ambulandum est in via Dei. Optimum exemplum. In pastorali.

Ὅτον ἐν τῷ νόμῳ προκόπτεις, ἀκλείπτως ἀπ' τελειότητος γινώσκε.

PRÆCEPTIO XXIX.

Quanto magis in lege proficis: tanto magis te abesse à perfectione intelliges.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXIX.

Nusquisque tenetur ea scire, quę sibi competunt; nedum quia scientia in vniuersum mentis perfectio est, vnde bonum eius: verum etiam, quia omnis ignorans malus: viro autem Christiano ea quæ ad salutem expediunt. Sicut enim non peccat, qui naturaliter scire non potest, ita è conuerso peccat, qui

Digitized by Google

Homo vt sciat, quid facere debet.

qui scire non studuit: quod sibi conuenit. Debet igitur homo vt sciat, duo facere: discere,& meditari: Quod enim nescitur, lectione discitur,& quod scitur: meditatione colitur. Hæc qui facit, ad perfectionem tendit, nam sic sciet Deum esse ipsum. Vtraque enim cognitio necessaria est ad salutem, quia ex prima amor Dei procedit, ex secunda timor Dei oritur, ex quibus perfectio. Ignorans igitur Deum, desperabitur: ignorans seipsum, extolletur. Igitur qui vtramque cognitionem habet, proficit in lege: quia lex Christi in amore Dei,& proximi fundata est. Ideo qui vtramque habet, omnium cognitionem habet: qui neutrã, nullam; ac propterea non incepit esse Christianus. Si igitur vtramque habes, proficis quidem in lege, quæ in dilectione fundatur: quæ dilectio in Euangelica lege habetur: Quare de lege Euangelica loquitur Author, quæ virtutes omnes docet: præcipuè verò charitatem, quæ vinculum est perfectionis. Vitæ etenim Christianæ perfectio, etsi iuxta virtutes omnes attendatur, potissimum tamen iuxta charitatem, quæ forma illarum est, attenditur. Quandoquidem si à charitate eminus quis fuerit, à virtutibus omnibus etiam longè se inueniet: si autem cominus, etiam virtutibus cæteris prope. Charitas enim si adsit: omnia quoque adsunt: si absit, omnia pariter absunt, quia re quacunque charitas pretiosior: luminosior: firmior: vtilior: securior: atque nobilior reperitur. Igitur tunc virtutes habebis, cum charitatem toto amplexus fueris pectore: si verò & hanc tenueris, tunc proficies in lege, quia charitas plenitudo legis est. Cum verò in lege te proficere senties, tunc à perfectione te abesse intelliges: multiplici profecto de causa: tum quia homo incipiens semper debet esse secundum estimationem respectu maiorum: tum quia charitas in præsenti potest augeri,& minui: tum quoq; ne remissior, tepidiorq; viuat, putans se ad perfectionis cumulum deuenisse, ac propter hoc nihil amplius operandum remanere: tum etiam ne extollatur, sciens se perfectum esse; amittatq; merita omnia: ideo dicit Author, quanto magis in lege proficis, tanto magis te abesse à perfectione intelliges. Insuper perfectum est cui nihil deest; at multa desunt etiam homini iusto; quia etsi in hominum extimatione perfectus iudicetur, oculis tamen Dei aliquid habet imperfectionis. Debet igitur qui in lege proficit, nondum ad perfectionem se peruenisse credere, quamuis

Vitæ Christianæ perfectio in charitate cõsistit.

Homo proficiés in lege, à perfectione abesse se intelliget,& cur?

Digitized by Google

quàmuis ab alijs laudetur ob perfectionem: sed imitari certè conuenit pictorem, qui elaboratam picturam adhuc ad perfectionem minimè deductam, etsi viderit ab alijs laudari, adhuc considerat, & limat, & quanto magis laudari audit: tanto amplius eam meliorando non cessat; sic qui in lege Christi proficit, quanto magis proficit: tanto magis se à perfectione abesse credet; quia sic perfectus erit. Optimum exemplum.

Πάσης πράξεως τὸ τέλος πρὸ τῆς ἀρχῆς ὑπόταξε.

PRÆCEPTIO XXX.

Vniuscuiusque rei finem, ante initium considera.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXX.

FInis à finiendo dictus, cum quelibet res suo finiatur fine, quem Cicero vltimum, & extremum operationum nostrarum appellauit: maximè in primis à nobis expetendus est; cum sit præstantissimus agentium, ac in se efficientis quoque rationem habeat. Imprimit enim sui amorem, & inclinationem in operante, tum quoque quod vniuersæ res in finis adeptione perficiantur. Vnde à Græcis τέλος dicitur, ideſt perfectio à verbo τελέω, quod est perficio; perficit namq; operantem mouendo cum ad operandum, medijsq; tribuens bonitatem, & amabilitatem. Hac de causa ante initium maximè considerandus est, cum ob nobilitatem, tum quoque quia finis est causa agendarum rerum; ex fine etenim vniuersa operatio habet originem; si namque finis rectus erit, seu illius recta erit intentio, studiosa quidem erit operatio: si verò prauus, seu praua fuerit illius intentio, praua itidem erit operatio. Ideo Author præcipit vt ante cuiuslibet rei initium finis consideretur: vt scias ex fine specificari actionem. Quare & Aristoteles scripsit cognitionem finis vtilem esse in arte: sicut signum sagittæ. Verum enim uero quomodo finis ante initium considerandus est; si dubio procul posterior initio deprehendatur? principium que prius fine existat omnino? At considerandum est, finem priorem quidem principio, principiumque prius fine, Lib. 1. de finibus. Finis agentium præstantissimus. Ex fine omnis operatio sortitur speciem. Lib. 1. Ethic.

Digitized by Google

Finis quomodo prior, & posterior.

sed inæqualiter: illum quidem priorem in intentione esse principio: in executione verò posteriorem, hoc autem origine, & natura prius illo; ac propterea ante cuiuslibet rei perpetrandæ initium finis primo intendendus est, quo dignè, laudabiliterque exequi possit. Si quis enim pergens ad furtum, consideraret furti finem esse laqueum, & tandem Diaboli societatem: à furti quidem peccato penitus se abstineret. Similiter si quis homicidiũ perpetraturus animaduerteret se offendere Deum: proximum: rempublicam: seipsum: numquam certè hominem occideret. Optimum quidem consilium, & remedium esse arbitror ad peccatorum euitationem scire finem peccati esse mortem, finem verò innocentiæ vitam æternam. Bene itaque dicit Author vt vniuscuiusque rei finem ante initium consideres: quia non peccabis.

Νύκτωρ καὶ μεθημερὰν πρὸς τὴν ἡμέραν τὴν ἐσχάτην ἀποβλέπε.

PRÆCEPTIO XXXI.

Die, noctuque ad vltimam horam respice.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXI.

Quatuor nouissima hominis.

AD quatuor respicere continuò debet homo, ad mortem: ad iudicium: ad infernum: & ad gloriam. Vnde ponuntur & hæc nouissima hominis in remedium euitationis peccatorum: si memorentur, iuxta illud: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Ad mortem igitur primò respicere debet homo, vt viriliter substineatur: ad iudicium secundò, vt timeatur: ad infernum tertio, vt euitetur: ad gloriam quarto, vt appetatur. Ad mortem, quia vltimum terribilium: ad iudicium, quia vltimum exterminium: ad infernum, quia vltimum supplicium: ad gloriam, quia vltimum præmium: Nisi homo conuertatur ad Deum amore, vel timore, namquàm amplius conuertetur: nisi conuertatur terribilitate mortis, futuri exterminio iudicij, igois perpetui gehennæ, ac beatitudinis gloria; quo enim conuertetur? ideo ponuntur tria tantum terribilia, vnum verò suaue: quia homo potius timore, quàm amore

Digitized by Google

amore ad Deum conuertitur. Verum diu, noctuq; ad vltimam horam præcipuè respiciendum esse præcipit Author, quia prima est in ordine: à qua ad reliquas progreditur. Nemo namq; vel ad vitam, vel ad interitum, vel ad iudicium deueniet: nisi moriatur. Sed quod faceſcit negocium viris sanctis, est: quia vltimum est terribilium, atque in eius hora quamplurima imminent homini bella, inter quę tria sunt præcipua: Demonum scilicet, sensuum, & examinis: Demonum infestatio, sensuum defatigatio, & examinis terribilis discussio. Infestant mirum in modum Demones morientem, iuxta illud: Tu insidiaberis calcaneo eius, ipsumque triptici tentationis iaculo feriri nituntur, Fidei, præsumptionis, & desperationis: Fidei vt negetur, præsumptionis vt glorietur, desperationis vt diffidatur: Fidei, vt destructo fundamento, totum corruat ædificium; præsumptionis, vt de bonis glorians; amittat bona; desperationis, vt peccatorum suorum recordatus, de misericordia Dei diffisus, desperetur. Defatigantur quoque sensus duplici pœna, corporis scilicet, & mortis: corporis, quia languet: mortis, quia separatur anima. Examinatur denique moriens ad vnguem, vt dicitur, de multis, præsertim verò de anima, de corpore, de tempore amisso, ac propterea de cogitationibus, de locutionibus, de operibus, de omissionibus, & similibus penè innumeris. Quid igitur dormis, cum de tua tractetur salute? respice diu, noctuque ad vltimam horam; crede mihi, quia bene tibi erit.

Bella quæ imminent homini morienti.

Μὴ ἀμελήσῃς περὶ τοῦ, ἐν παρὰ τῶν ἁγίων θεωρῆς.

PRAECEPTIO XXXII.

Ne conuerseris isti, quem à bonis vides culpari.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXII.

HOmo inter animalia omnia maximè societate delectatur, vt non immeritò à consortio, & concordia dictum existimauit hominem Mirabellius, licet ab humo deriuatum docear Varro: alijq; ab humanitate. Quare Aristoteles scripsit hominem solitarium aut Deum esse, aut bestiam, aut nullo

Societate delectatur homo.

Lib. 1. Polit.

Digitized by Google

Sup 8. Ethic. indigere, aut nulli conuenire; alluditq; huic Aueroes, dicens: Homo est animal non solitarium, sed politicum, & communicatiuum. Igitur cum sociabiles sint homines, societas talis erit quales homines: Nam bonorum bona erit societas: malorum pessima: bonorum verò, & malorum anceps, quando quidem coniunctis malis, bonisque, aut pares redduntur: aut cito separantur ab inuicem: diuersitas namque rerum numquam potest habere concordiam. Vis igitur & scire tu cum quibus conuersari debes, an boni sint, vel mali, vide si à bonis laudantur, vel culpantur: si laudantur, boni erunt: poteris igitur & tu conuersari: si culpantur, mali: poteris igitur & tu talium fugere societatem. Bene itaque dicit Author, ne conuersaris isti quem à bonis vides culpari: quia boni sunt iniquorum iudices, vnde & te quoque iudicabunt; quinimo, teipsum condemnas iniquum esse. Qualis enim quisque est talium, certe consortio delectatur. Quod si ab iniquis culpari prospicis, quia cum bonis commoraris; sine eos loqui; à turpibus enim propter bonum culpari: laudari est: quemadmodum à turpibus laudari, turpe est: non secus ac si laueris propter turpia. Nam sicuti cum bonis conuersari laudabile est; ita cum malis vituperabile; & quamuis Magnus Gregorius, non multum laudabile dicat, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis, intelligit laudabiliorem esse bonum esse cum malis bonum, & non corrumpi, quàm bonum esse cum bonis, quia non potest corrumpi. Vnde & alibi præcepit, ne infirmi se pravis associarent, ne mala quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent: delectentur imitari. Igitur si vides aliquem culpari à bonis, qui verè, non qui apparenter boni sunt, qui ex zelo, non qui ex vindicta loquuntur: qui ex charitate, non qui ex malignitate mouentur: ne conuerseris illi, quia tu quoque culpaberis.

Societatis discrimen.

Animaduersio in cõuersatione.

Lib. 1. moral.

Τνδ' ἂν μηδενὶ βλάβην, ἐν οἷς πράξεις, ἢ λέγοις, ἢ φιλοσοφοῖς γράμμασι.

PRÆCEPTIO XXXIII.

Studeas nemini damnum dare, his quæ seu facis, seu dicis, seu cogitas.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXIII.

QVemadmodum offenditur Deus ab homine tripliciter, operibus, verbis, & cogitationibus: ita & homo ab homine offenditur factis, dictis, & cogitationibus: factis, mala inferendo: dictis mala exprimendo: cogitationibus mala machinando. Nam omne quod ab homine exit, vel in bonum, vel in malum: aut efficitur: aut dicitur: aut cogitatur. At præcipit Author, vt ſtudeas nemini damnum dare his quæ ſeu facis, ſeu dicis, ſeu cogitas: quia homo homini ne dum damnum inferre non debet, vel ſubtrahendo quod eſt ei debitum, vel etſi non ſit ei debitum: alias tamen poterat eſſe ei debitum: verum nec ſtudere quomodo inferre poſſit facto, verbo, & cogitatu: quia vndequaque illicitum eſt. Malum etenim nulli debet inferri, at damnum malum eſt: ergo nec damnum debet dari. Et quamuis diſtinguantur ad inuicem vt damnum ſit rei; vnde damnum (inquit Beatus Thomas) eſt ex hoc quod aliquis minus habet, quam debeat habere: malum verò ſit hominis: nihilominus tamen coincidunt adinuicem: ita vt omne damnum malum ſit, & omne malum, damnum. Quare ſi quis cauſa damni fuerit quomodolibet, vel iubendo, vel conſiliando, vel conſentiendo, vel palpando, vel recurrendo, vel participando, vel non loquendo, vel nõ obſtando, vel non manifeſtando: ad totius reſtitutionem penitus tenetur. Quid igitur damnificas proximum in his, quæ ſeu facis, ſeu dicis, ſeu cogitas? ſtude nemini damnum dare: quia contra charitatem certè ages, & contra iuſtitiam: quinimo contra naturã. Dedit namq; Deus homini pietatis affectum ſimul & humanitatis: vt homo hominem diligeret, foueret, tueretur. Diligeret corde, foueret opere, tueretur ore. At qui nocet, beſtijs immanibus immanior eſt: humanæque naturæ deſtructor. Nullum quippe animal in ſuam impetit ſpetiem: quinimo in indiuiduum conſeruare illam nititur; ab hoſtibus defendit: ſimul deinde gradiuntur, commorantur, comedunt, bibunt, imbecillibus cibum procurant, auxiliumq; præbent. Quòd ſi rixantur, conquieſcunt tandem: eiuſdem ſpeciei eſſe animad uertentes. Homo autem omni beſtia peior, odit, perſequitur,

Homo ab homine quibus offenditur.

22.q.62.ar.4

Modi diuerſi damnificandi.

Damnificans proximũ contra charitatem, iuſtitiã, & naturam agit.

Homo damnificans peior omni beſtia.

Digitized by Google

quitur, maledicit: factis, dictisue, & cogitatibus damnificat; quod si euertere posset, destrueret tandem: sicuti multoties destruit. Et tamen Stoicorum quoque sententia arridet, omnia quæ in terris gignuntur, ad vsum hominum creari: homines autem hominum causa esse generatos, vt ipsi inter se alijs alij prodesse possint. Itaque contra charitatem, contra iustitiam, & contra naturam agis: si proximo damnum inferas his, quæ seu facis, seu dicis, seu cogitas. Stude igitur nemini damnum dare.

Μὴ λυμαίνου χεῖρι ἀνθρώποις τὸν βίον. τὸ γὰρ χόρτινον ἄνθος, ὡς ψυλλαφᾷς, μαραίνεται.

PRAECEPTIO XXXIIII.

Ne læteris floridus vitæ, flos enim gramineus cum attrectaueris: flaueſcit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXIIII.

Vita florida iocũdiſſima.

INter cætera dona, quæ hominibus in hac vita natura præstare potuit: nullam iocundius, lætiusq; videtur florida vita. Hanc si habes, omnia habere videris: nihil verò, si ista desit. Ideo lætantur homines cum illam habeant, etiam si multa desint: dolent verò si illa careant; etiam si cuncta habeant. Quid enim proficit te omnibus abundare, vitæ autem floriditate carere? Verum enimuero considerata huius vitæ miseria, breuitateque: potius flendum est, quàm lætandum. Hanc ob causam Author præcipit, ne læteris floridus vitæ: redditq; causam; quòd cum hominis vita flori gramineo assimiletur, isque attrectatus, flacescat: similiter & floridus vitæ flacescet temporis mutabilitate, fortunæque reuolutione. Non debet igitur lætari homo, vbi tristitiæ materiam, potius quàm lætitiæ reperit. Quamuis enim florida vtatur ætate, nescit fortasse gemendo nasci, iterumque & plorando mori? Itaque medium extremorum naturam induere, cum sit necesse, si floridus sis vitæ, vel ætatis, vel fortitudinis, vel pulchritu-

In hac vita potius flendũ est, quàm lætandum.

Digitized by Google

ciritudinis: scias florem gramineum flaccescere, cum attrectaueris. Nam & Menander Poëta iuuentutis vigorem nihil à flore differre putauit. Quinimo Horatius cantãdo docuit; In Epodo, Ode penultima.

Iuuentus fugit, & verecundus color,
Relinquit ossa pellem amicta luridam.

Dicit igitur flos, quia nihil corruptibilius flore: dicit gramineus: quia prope fœnum. Omnis autem caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Tam enim fœnum, quàm gramen, & quælibet herba, mane quidem oritur: vespere decidit, induratur, & arescit. Vnde Psalmista cecinit, Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat: vespere decidat, induret, & arescat. Sit tibi in exemplum Epulo, qui cum vitæ floriditate lætaretur, contrectante eum morte, tamquàm testa aruit: omniaque versa sunt in contrarium; ita vt sepultura quoque Diaboli sepultus fuerit. Quid igitur lætaris floridus vitæ existens, cum iuuentus in senectutem, fortitudo in imbecillitatem, pulchritudo in deformitatem, vita in mortem in dies transit: & vnum in alterum conuersi, necesse est omnino? lætare si vitam tuam, ad Dei gloriam expendas.

Vita hominis quibus assimiletur.

Psalm. 89.

Exemplum de Epulone.

Ἐν τοῖς λυπηροῖς δ' χαρίσει, καὶ ὁ ζυγὸς τῶν ἁμαρτιῶν κουφιζεται.

PRÆCEPTIO XXXV.

In tristibus gratias age: & iugũ afflictionum leue erit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXV.

OMnis tribulatio vel est animi, vel corporis, vel rei familiaris: quamuis vnaquæque in animo terminetur. Si animi, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco. Si ab intrinseco, à natura erit: vt sunt naturaliter tristes. Si ab extrinseco aliunde, nempe ab arte erit. Si corporis, vel infirmitatis: vel persequutionis cuiuscumque. Si rei familiaris, vel circa diuitias, possessiones, domos; vel circa parentes, filios, affines, amicos, & cęt. his communiter humanum genus premitur, vel Dei permissione: vel hominum improbitate: vel Demonum malitia, vel temporum instabilitate. Hæc tribulationum genera tristia

Tribulationum discrimen, & origo.

Digitized by Google

triſtia vocat. Author: quia triſtem faciunt hominem. Sed vt leuius ferre poſſis, dat documentum: vt gratias agas Deo rerum omnium prouiſori: quia ſic afflictionum iugum leue erit.

Beatæ Melaniæ patientia in triſtibus.

Quemadmodum Beata illa Melania illuſtris fœmina, de qua Hieronymus ad Paulam ſcribens, dicit: quòd duobus filijs, & viro, vno, eodemq; die infeliciter orbata: tot infortunijs in momento oppreſſa, noluit deſperare; ſed ad Chriſti pedes prouoluta, dicebat. Expeditius tibi ſeruitura ſum Domine: quia tanto me onere liberaſti. Ad virorum confuſionem, qui à ſexu fragili, à fœminis ipſis ſuperari ſe faciunt, cum tamen fœminis naturaliter ſint fortiores, nam dicunt viri à viribus. Nec credas vel viri odio, vel filiorum tædio, vel fœminea libertate ſanctam illam in id prorupiſſe: aut re uera ſic credidiſſe; ſed amore Dei accenſa, patientiæ virtute induta, mundi inſtabilitate edocta, afflictionum iugum leuius tulit, gratias agens Deo: ſatius eſſe iudicans ad ſalutem, diuinæ ſe conformare voluntati, quàm ſeculi huius triſtibus frangi.

In triſtibus gratiæ ſunt Deo referendæ.

Age igitur & tu gratias Deo, ſi tribularis: conſiderans ideo illos hic perturbari; vt in hac, non in alia perturbentur vita: illos hic premi, vt in virtutibus creſcant; more ignis, quem quanto flatu premis, vt extingui aliquando credatur; tanto in altioris flammæ incendio exurgere conſpiciatur: illos hic vulnerari, quos ad æternam Deus præparat ſalutem. Imitare itaq; & tu in triſtibus ſanctos, ſanctaſque, gratias agens Deo: quia ſic afflictiones leuius feres.

Ἐν τοῖς πειρασμοῖς ἀσφαλίζου. πολλοὺς γὰρ καὶ μείζονας ἤλεγξαν.

PRÆCEPTIO XXXVI.

In tentationibus ſis fortis: multos enim etiam maiorum arguerunt.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXVI.

Hominis hoſtes.

TRes ſunt hominis teterrimi hoſtes, Mundus, Caro, & Diabolus. Primus circumſtans, ſecundus abſorbens, tertius deuorans. Nam & vnuſquiſque talia iacet iacula: Mundus oblectamenta: Caro illecebras: Diabolus

Digitized by Google

bolus omnium ſuggeſtiones malorum; quia mundus blanditur: caro incitat: Diabolus ſuggerit. Blanditur quidem vt capiat: incitat, vt abſorbeat: ſuggerit, vt deuoret. Hæc etenim eſt mundi natura, leniter ſuos capere: carnis, dulciter abſorbere: Diaboli, deuorare immaniter. At vt omnes vinci poſſint, (nam & vinci poſſunt) fortitudine, atque conſtantia opus eſt: non ea, quæ complexionis vigore, membrorum robore, abundantia cibi, atque bellicæ artis experientia fulcitur: quæ fortitudo corporum eſt; ſed ea quam Dominus Apoſtolis tradidit, dicens: Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente: ea ſcilicet, quæ in mentis conſtantia conſiſtit: ea quæ ſpiritus eſt: quæ denique oſtenditur in reſiſtendo carnis concupiſcentijs contrariantis ſpiritui, & in reprimendo, quod maius eſt, ne inſurgant: & tandem quæ in omnium inimicorum ſpiritualium telis euertendis fundatur. Nam multos maiorum arguerunt, & quidem clariſſimorum: Dauidem ſcilicet, Salomonem, Petrum, & cęteros: quia imbecilles, quia imprudentes: quia negligentes. Quanto igitur fortiores ſunt hoſtes, eò & Dei fiducia fortiores debent eſſe reſiſtentiæ. Nec terrere te debet vel hoſtium audacia, vel præſumptio, vel impetus, vel ſæuitia, & huiuſce generis ſimilia: neminem enim offendunt niſi volentem. Verum enimuero cum ex ſe natura ſit fragilis, imbecillis, atque caduca, quibuſdam etiam indiget, ceu ductoribus: quæ ſi obſeruaueris, dubio procul vinces. Itaque vt euites, triplici opus eſt remedio: aſperitate: conſtantia: & reſiſtentia. Aſperitate contra blanditias: conſtantia contra incitationes: reſiſtentia contra ſuggeſtiones. prima fiet, vt non capiaris: ſecunda, vt non abſorbearis: tertia, vt non deuoreris. Sicque prima vinces mundum, ſecunda carnem, poſtrema Diabolum. Sis igitur fortis in tentationibus.

Hoſtes quibus vinci poſſunt.

Remedia ad vincendum hoſtes opportuna.

Μὴ μίμῳ τὴν τοῦ θεοῦ μακροθυμίαν. κοινὸν γὰρ ἔστι φάρμακον.

PRAECEPTIO XXXVII.

Ne incuſa Dei longanimitatem: commune enim eſt pharmacum.

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXVII.

ABstrusa est sententia, & explicatu difficilis: non solum quia longanimitas virtus est, qua habetur animus tendendi in aliquid distans in longinquum (vt docet Beatus Thomas) & talis in nobis est. Nam & de Deo scribitur, non esse longe ab vnoquoque nostrum: & Pauli Apostoli testimonio Aratus Poëta cecinit, quòd in ipso viuimus, mouemur, & sumus: & Homerus 11. Iliados dixit, Dij autẽ adsunt & nobis; verum etiam quia ratio assignata non est propria. Quid enim officit, quod ideo incusanda minime est Dei longanimitas, quia pharmacum est commune? quomodo enim coeunt? Quid intelligit Author per hanc præceptionem? At dicerem, salua tamen meliori interpretatione, quod Dei longanimitas, ipsius tarditas est vel ad puniendum malos, vel ad succurrendum bonis. Hanc ob causam ne incusa Dei longanimitatem, hoc est, tarditatem: quia pharmacum, ideſt medicina communis est vtrobique. Non enim malos statim Deus punit, sed expectat, vt resipiscant tandem: tarditatem certè supplicij grauitate compensat; nec bonis cito succurrit propter augmentum meriti: hæc est Dei longanimitas. Quarè ne incusa tarditatem ipsius, sed patientiam habe, iuxta illud, Expecta Dominum, & viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum: quia tandem bonis succurret, & malos puniet. Hoc namq; est pharmacum commune siue ad vitam, siue ad interitum. Vel dici potest, quòd cum longanimitas magis cum magnanimitate, quàm cum patientia conueniat: sensus erit; ne incusa Dei longanimitatem, ideſt magnanimitatem. Magnanimitas enim, authore Aristotele, virtus est, quæ circa magna versatur. Quocirca Diuus Thomas habet, magnanimitatem animi intensionem importare, vel ad magna absolutè, vel secundum proportionem: & rursus ait, esse virtutem ad maxima tendentem secundum rationem. Itaq; cum multa magnanimitati tribuantur: proprium tamen, & præcipuum illius est, verè se non sentire percussum, cum percutiatur: In magnis enim fera, & magnà ad latratum canum lenta respicit. Cum igitur Deus offendatur continuò, videntque

1.2.q.70. ar. 3. 22. q.136. art.5.

Actuũ c. 17.

Dei longanimitas quid.

Deus cur nõ statim malos punit, & bonis non cito succurrit.

Psalm.26.

4.Ethic. Magnanimitas quid. 22. q. 129. art.1.& ar.3

Proprium magnanimitatis.

Digitized by Google

que plerique Deum non curare, ac si non esset offensus (quod quidem ad magnanimitatem pertinere necessum est; magnos enim magna, & non minima decet, at magnum est de offensa non curare) præcipit Author non esse incusandam hanc Dei longanimitatem, hoc est, magnanimitatem: vt scilicet offensus, non videatur offensus; quinimo offensarum obliuiſci, & iniuriarum immemorem se ostendere: quia ex nimia ipsius bonitate procedit: præsertim cum pharmacum sit commune: non enim personarum acceptor est Deus: ac ideo nec tui; erga quem magnanimus quoque se ostendit Deus in iniuriarum illatione. Ne incusa igitur Dei longanimitatem, quia pharmacum commune est.

Μισῶ τὸ ἀνώμαλον τοῦ βίου, ἐπ' αὐχῶ δὲ τὸν θεὸν μὴ διαβάλλε.

PRAECEPTIO XXXVIII.

Inæqualitatem vitæ odio prosequere: propter eam verò Deum ne criminator.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXVIII.

MVndi huius inæqualitas omnibus profecto manifesta est. Numquam enim stabilis, semper autem inconstans, & variabilis: nunquam permanens, sed fragilis: perfidus: lubricus cernitur. Quos clarificat, non perpetuò fouet: quos deserit, non perpetuò premit. Quod dignis adimit: concedit impijs. Innocuos cladibus afficit: immeritos auget honoribus: euertit bonos: erigit impios: iustos pauperie aggrauat: indignos diuitijs beat: fauet iniustis: odit iustos. Aufert iuuenes, retinet senes: aufert bonos, retinet malos: Non habet discrimen: nec recta iudicat. Deridet simplicem, magnificit duplicem: conturbat innocentem, consolatur iniquum: spernit probum, honorat improbum: paruipendit humilem, timet superbum: blasphemat deuotum, sed dissolutum moribus laudat. Absoluit nocentem, condemnat insontem: homines deinde absque religione, & sanctimonia vsque ad sydera extollit:

Vitæ inæqualitas, & malignitas.

Digitized by Google

religiosissimos verò grauioribus malis afficit: liberum seruum facit, & ex summo infimum: & qui imperare consueuerat, nunc alterius imperio obsequi præcipit. Tandem omnia confundit, omnia miscet, omnia euertit; diuidens tempora iniusto arbitrio. Heu infelicem vitæ inæqualitatem. Hinc occasionem sumpsit Epicurus ille negandi Dei prouidẽtiam, (vt Lactantius Firmianus scribit) omniaque à casu, & à fortuna euenire autumans, ob rerum inæqualitatem. Videbat namque bonis semper mala accidere, iniquis semper bona ex sententia suppetere: bonos vndique conturbari laboribus, exilijs, charorum amissionibus, miserijs, deiectionibus: malos contra bonos insurgere: honoribus affici: augeri potentia: incommoda vel minora, vel nulla sentire: homines in primis pios, atque sanctitate maxima præditos, malis grauioribus premi, innocentiam minus tutam, scelera impunè committi. Videbat (inquam) sequire mortem absque morum defectu, absque ordine, ac annorum discretione: alios, infantes rapi: alios, iam robustos interire: alios in primis adolescentiæ flore immaturis funeribus extingui: alios verò ad senectutem peruenire; & similia quoque multa incompacta cernens ob hanc vitæ inæqualitatem: omnia fortunæ, & casui subiecta dixit, nihil autem diuinæ prouidentiæ. At tu signaculo Sanctæ Trinitatis insignitus, hæc videns: duo facies, quæ docet quoque Author facienda. Inæqualitatem vitæ odio prosequere, non nisi quia inæqualitas est: quia recedit à recto, quia obliquè incedit: quia omnia confundit; & propter hanc Deum ne criminator, quia nullatenus Deus criminandus est: potissimum in his, quæ odio prosequenda sunt; vitæ autem inæqualitas odio prosequenda est. Criminatur quippe Deum, qui hæc omnia prospiciens, casui, & fortunæ tribuit omnino vt Epicurei; nescientes nihil diuinam subterfugere prouidentiam: quamuis respectu nostri casu euenire dicantur. Odio itaque prosequere vitæ inæqualitatem, & cum hæc diuinæ subdantur prouidentiæ: Deum ne criminator, quia indicia Dei abyssus multa; futurumque seculum expectatur: in quo reddetur vnicuique quod suum erit.

Lib. 4. c. 17. Epicurus cur negauit Dei prouidentiam.

Deum qui criminatur.

Quod

Προσέχωμεν ἑαυτοῖς, καὶ ἄλλους οὐ σκωλύομεν.

PRÆCEPTIO XXXIX.

Attendamus nobis ipsis, & alios non reprehendemus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXIX.

INter cætera quæ sibi Deus Opt. Max. reseruare placuit, nobisque interdixit, iudicium certè interius, exteriusque est: reprehensioque circa aliorum facta. solus namque Deus intima, & secreta circumspicit, occulta cordium, & abdita penetrat; ac propterea discussio, iudicium, atque reprehensio ad ipsum pertinet. Homo autem cum ea quæ foris sunt, videat: non debet circa ea, quæ minimè sibi competunt, se intromittere; non conuenit (inquam) aliena vsurpare: quinimo & ea, quæ videt, cum incertum sit vel quo animo fiant, vel qualia futura sint: prohibetur quidem iudicare, ac circa talia reprehendere. Plerumque enim conuertitur ille, quem desperauimus: deficit, quem præsumpsimus; cum hic pessimus, ille optimus euadat. Multoties quoque acta mala apparent: & tamen bono fine conquiescunt. Exempla innumera habemus, sed hominum malitia ea est, vt omnia in deterius iudicent: aliorumq; facta quomodolibet reprehendũt, obloquunturq;. Heu miseram hominum conditionem. Temerarijs iudicijs plena sunt omnia. Nec Deum timent, nec propriè vacant saluti: nec honori proximi attendunt; sequitur ergo necessario, vt tales damnentur. Cum enim temerè iudicent, atque reprehendunt: consequens est, vt fama, (qua nihil precioſius) lædatur; cui cum non fiat satis: damnationem sequi necesse est. Noli igitur alios reprehendere: noli detrahere: noli iudicare, si non vis errare. Attendamus nobis ipsis, videamus facta nostra, reprehendamus nostra: finamus aliena. At cur reprehendere non debemus alios, si reprehensibiles fuerint, sed attendere nobis ipsis præcipit Author, cum fraterna correptio sit charitatis actus? Est namque admonitio charitatiua fratris de peccatorum emendatione ex fraterna charitate procedés, iuxta

Deo reseruata.

Nota.

Iudicij temerarij malignitas.

Fraterna correctio quid.

Digitized by Google

4. sent. dist. 19. q. 2. art. 1. iuxta Beatum Thomam: Aut si publicè quis peccauerit, nonne publicè arguendus erit: iuxta illud Apostoli; Publicè peccantem, publicè argue? quemadmodum qui occultè peccat, secreto quoque arguendus est? At intelligenda est præceptio de iniqua reprehensione: atque accusatione iniusta. Nemo enim de factis aliorum intromittere se debet, si ad eum, vel ex officio non spectet, vel conscientiæ stimulus non vrgeat ex charitate. Quis enim es tu, qui alium iudicas, & reprehendis? sed quod alios iudicamus, & reprehendimus, nostrum est certè vitium: non eorum qui iudicantur. Quemadmodum enim baculus in aqua immissus, curuus, perfractusq; videtur, idq; non baculi defectus est, sed oculi: ita quoque si de rebus perperam iudicamus: nostrum est vitium, non rerum quæ iudicantur. Vis igitur alios reprehendere: dilige, & dic quicquid voles: hoc est cum charitate procede. Bene dicebat D. Augustinus, quicquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus: non charitas corrigentis. Hæreamus igitur securitati, attendamus nobis ipsis: & alios non reprehendemus.

Quis debet reprehendere.

Optimum exemplum.

Super epist. ad Galatas.

Πολλὰ γὰρ ἐν ἡμῖν, ἀφ' ὧν τοῦ ἄλλους σκώπτομεν.

PRÆCEPTIO XXXX.

Multa enim in nobis sunt: propter quæ alios taxamus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXX.

Cõditiones fraternę correctionis vt liget.

VAnquã fraterna correctio sit charitatis actus, & re uera perquammagnus: vt tamen locum habeat, ligareq; possit, quamuis sit in præcepto, multa quidem requiruntur: quorum si vnum deest, tollitur correctionis necessitas. Primò, vt peccatum de quo quis reprehenditur, sit mortale. Temeritas certè esset, & vanitas, vt de re minima quis reprehendatur. Quod enim modicum est, & leue, ratio apprehendit vt nihil: & de minimis non curare prætorem in ore omnium ferè versatur. Huius generis plerosque inuenies, qui grauia omittunt, leuia verò iudicant, atque reprehendunt. Deinde

Digitized by Google

Deinde vt res de qua reprehendendus est, sit certa: Imprudentis namque hominis est, de nihilo, vel de re dubia perperam iudicare, vel reprehendere. Subinde, vt coram te reprehendas: nam coram alijs reprehendere, non corrigentis est, sed proditoris, & confundentis. Rursus, vt qui reprehendi debet, sit in spe emendationis: si namque desperatum scires: fatuitas esset corrigere. Hæc & pleraque similia, quamuis vera sint: præcipua tamen conditio, & ad correctionem necessaria est, vt qui reprehendit, integer sit ab his præsertim, de quibus reprehendit. Improbi certè hominis est, in alio quicquam arguere, quod adhuc reprehendit in seipso; numquam infirmum medicum vidimus, alium curare ægrotum. Ideo Author præcipiens ne alios reprehendamus, subiungit: Multa enim in nobis sunt, propter quæ alios taxamus. Assignat quidem causam Author cur alios non reprehendere, seu taxare non debemus, (ly enim dicit causam) nempe, quia in nobis sunt multa: propter quæ alios taxamus. Quas ob res qui aliena corrigere molitur, mundus debet esse à vitijs: ab his potissimum, propter quæ alios taxat. Reprehendit Apostolus huius generis plerosque, dicens. Qui prædicas non furandum, furaris: non mechandum, mecharis, &c. curandum igitur est, ne cum alijs prædicauerimus: ipsi reprobi efficiamur. Quare dicebat, & optimè, quidam Poeta.

Medetur alijs, ipsus vlceribus scatens.

Sed & pientissimus Saluator noster prædicabat: vt quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? certè oculus puluere aspersus, maculam alicubi existentem minimè perspicere potest: quia impeditus. Manus quoque luto plenæ sordes alias nequaquam tergere poterit: quia sordidæ. sic & nos sceleribus plurimis imbuti, aliorum facta nec reprehendere, nec curare valebimus: quia dicetur nobis; Medice cura teipsum. Optimum igitur consilium est, vt si multa in nobis sunt, propter quæ alios taxamus: attendamus nobis ipsis, & alios non reprehendamus.

Præcipua fra terne correctionis conditio.

1. ad Corint. cap. 19.

Exemplum optimum.

Perquis

Ψαλμὸς ἔστω τοι ἐχῆς ἐν τῷ στόματί σου. θεὸς γὰρ ὀνομαζόμενος φυγαδεύει τοὺς δαίμονας.

PRÆCEPTIO XXXXI.

Psalmus precationis sit tibi in ore tuo: Deus enim nominatus fugat Demones.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXXI.

Finis creaturæ rationalis.

RAtionalis creaturę finem esse coniungi Deo, nemo ex Sanctis est, qui id negare præsumpsit; quinimo Sacræ ad plenum testantur Scripturę. Quemadmodū enim omnia propter hominem fecit Deus: ita & hominem propter seipsum Deum; vt cuncta ad hominem ordinari, homo agnosceret: hominem verò ad Deum solum; ac ideo Deum finem hominis confiteretur: hominem verò finem omnium. Cæterum cum in futura vita, id futurum sit omnino (modo dignum se fecerit homo) placuit etiam Altissimo, vt in præsenti quoque id fieret: vt scilicet homo quamuis mole detineretur corporea, habitaret etiam in cœlestibus: Deomet coniungeretur. Id verò oratione, & laudibus fieri, conspicuum est omnibus. Nihil quippe est in hac mortali vita, quo possimus Deo familiarius coniungi, quàm in laudibus ipsius. Id autem rectè expendetur, si psalmus precationis fuerit nobis in ore nostro.

Psalmus qd sit, & eius discrimen ab hymno.

Psalmus canticum est, quod Dauid Rex sanctissimus cantabat, vel alios canere faciebat ad Chelyn decem chordarum: quod psalterium nominatur. Vnde differt ab hymno; quoniam hymnus propriè dicitur, qui voce fit naturali: psalmus autem qui in aliquo instrumento. Quemadmodum Ecclesia hodie vtitur, in præcipuis diebus psalmos ad organum canēs: cęteriśque adiunctis musicis instrumentis; sæpe verò Deiparæ Virginis canticum ad Vesperas: Simeonis ad Completorium: & Zachariæ ad Laudes: & si vt plurimum voce naturali tam in festis, quàm in profestis diebus. In ore itaque illum esse oportet, ne dum quia canticum lingua canitur, verum quia

Digitized by Google

quia Deus in psalmis nominatus fugat Demones: Et quamuis semper deuotè vocatus, expellat; nihilominus tamen in psalmorum concentu specialiter; vt noctis tenebras lux fugat: sic Deus tartareas omnes illas legiones; ex quo sequitur animæ coniunctio ad Deum. In psalmis cuncta Dei opera, singula quoque Christi mysteria incarnationis scilicet, natiuitatis: vitę: mortis: resurrectionis: & ascensionis: sicut in Euangelio, ita & in psalmis (si intenta mente perscruteris) lucidè tanguntur. Igitur cum Christi incarnatio, Demonis hamus fuerit: Natiuitas Christi, mors Demonis: Vita Christi, confusio Demonis: Mors Christi, sepulchrum Demonis: Resurrectio Christi, perditio Demonis: Ascensio denique præcipitium Demonis; consequens est, quòd psalmus precationis in ore hominis deuotè assumptus, fugabit Demones; ac propterea coniungitur Deo, qui psallit, cum psalmorum virtute fugetur Demon. Vnde & D. Augustinus aiebat, psalmum demonstrare excelsa, esse spem salutis: regni cœlestis dare desiderium, ipsumq; regnum Dei super terram conferre. Sed & Magnus Basilius psalmorum virtutes, miris extulit encomijs, dum dixit: Psalmum Demonem fugare, Angelos ad adiutorium salutis imitare: scutum esse in nocturnis terroribus: diurnorum requiem laborum: tutelam pueris: iuuenibus ornamentum: solamen senibus: mulieribus aptissimum decorem: Dum quoque subiunxit, quòd deserta habitare facit, vrbes societatem docet, incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, & perfectis firmamẽtum stabile. Cęterum de virtute, laude, & vtilitate psalmorum lege D. Augustinum, quia egregiè loquitur. Itaque si hæc omnia cupis, sed præsertim vt fugetur Demon, & coniungaris Deo: psalmus precationis sit tibi semper in ore tuo.

In Psalmis cuncta Dei opera, & omnia Christi mysteria enarrantur.

De laude, & vtilitate psalmorum. In Hexameron lib. 9. Psalmorum virtutes.

Προσεχὴ μετὰ νήψεως, γρηγόρως, ἵνα μὴ τὸν θεὸν αἰτοῦμεν, οἷς αὐτὸς οὐκ ἀρέσκεται.

PRAECEPTIO XXXXII.

Oratio cum sobrietate fiat: ne à Deo petamus, quæ ipsi non grata sunt.

H SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXXII.

Vi re indiget aliqua, neceſſe eſt, voluntatem ſuam ei oſtendere à quo impetrare ſperat, id quod deſiderat: illiq́ue manifeſtare ſui cordis intima: opus eſt tandem, vt ab eo qui abundat, poſtulet. ſic enim fiet, vt facilè impetrata cõcedat. Cum igitur multis & nos iudigeamus, Deus verò abundet perquammaximè: ille orandus eſt, vt votis annuat noſtris, illi noſtræ manifeſtandæ ſunt indigentiæ, vt prouideat, vt ſuccurrat, vt conſoletur. Et quamuis omnium ſit conſcius rerum, iuxta illud: Scit enim Pater veſter cœleſtis, quia his omnibus indigetis: placet tamen ſibi, quinimo inuitat, & præcipit, vt petamus, dicens: Petite, & accipietis: vtq́ue in his etiam quibus indigemus, ad diuinum eſſe recurrendum auxilium, ſciamus. Verum enimuero ſi à Deo petantur, quæ ipſi non grata ſunt, non bene petitur. Quare alibi ſcribitur: Petitis, & non accipietis: eò quòd malè petatis. Malè igitur petunt, qui quæ ipſi non grata ſunt, petunt. Vnde & Diuus Thomas, orationem dicit eſſe petitionem decentium à Deo; & verè ſic eſt. Quis enim à Rege peteret, quæ non grata ſunt Regi? præſertim ſi ſciret non eſſe grata Regi, quæ petit? Imprudentis certè hominis eſt petere non grata Deo. Hanc ob rem Author inquit: vt oratio cum ſobrietate fiat; hoc eſt cum temperamento aliquo. fiet autem tunc, cum à Deo, quæ ipſi grata ſunt, petuntur. Sed dubium non contemnendũ exurgit. Sobrietas circa potum inebriatiuum propriè attenditur, iuxta Diuum Thomam: vnde ſobrius eſt, qui in cibo, & potu eſt temperatus; quaſi ſine ebrietate: quo circa ſobrietatis nomine, temperantia quoque ſignificatur. Quomodo igitur orationi Author attribuit, vt ſcilicet cum ſobrietate fiat? Vel circa omnem materiam largè ſumpta ſobrietate, vnde dicitur ſobrius, quaſi briam, ideſt ſeruans menſuram: num igitur ſobriè, & temperatè orandum eſt? & tamen Sacræ teſtantur literæ pluribus in locis, ſine intermiſſione orari debere: Eccleſiaq́; teſtatur ſine intermiſſione oraſſe Deum pro Petro carceribus mancipato. Sed explicandum eſt ly cum ſobrietate, hoc eſt, cum cautela, & moderamine. Oratio namque, vt Al-

Deus cur orandus eſt.

Matth. 6. c.

Lucæ 11. c.

Deus inuitat nos ad orandum.

Iacõb. 4.

22. q. 83. ar. 1

22. q. 143. Sobrius quis ſit.

Digitized by Google

vt Altissimo placeat, nonnullis exornari debet conditionibus: sed prudentia præcipuè; vt scilicet temporalia hac lege petantur, si expediant. Hoc est, quod subiungit Author: ne à Deo petamus, quæ ipsi grata non sunt. Temporalia quidem non grata sunt Deo, quia distrahunt à perenni, & æterno fine: ob id illa non nisi sobriè petere debemus. Nihil enim in oratione absolutè à nobis petendum est: nisi in ordine ad beatitudinem. Hoc quippe maximè gratum est Deo, quia petimus præcipuum quod petendum est: nempe vt Deo vniamur. Temporalia verò non nisi vt necessaria, & quatenus necessaria petenda sunt: quia aliter non sunt grata Deo; quandoquidem minimè nos Deo vniunt: sed potius disiungunt. Rectè igitur dicit Author, vt oratio cum sobrietate fiat, ne si sine sobrietate oremus: petamus à Deo, quæ ipsi non grata sunt, ac propterea non exaudiemur.

Orationis præcipua conditio.

Temporalia quomodo à Deo petenda sunt.

Ἀεὶ μνημόνευε τοῦ θεοῦ, καὶ οὐρανὸς ἡ διάνοιά σου γινέσθω.

PRÆCEPTIO XXXXIII.

Semper recordare Dei: & Cœlum sit cogitatio tua.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXXIII.

DEum esse, nemo negauit, nisi insipiens: Quinimo Philosophus ex quintuplici via naturaliter id ostendit; ex motu scilicet, ex ratione causę efficientis, ex possibili & necessario, ex gradibus qui in rebus inueniuntur, ex rerum tandem gubernatione. Esse verò authorem omnium ne dum ex fide habemus, sed ex Philosophis plerique autumarunt. Rursus esse totius vniuersi rectorem ex Sacris elicitur literis, & ex antiquis nonnulli docuerunt. Esse subinde benefactorem hominum, continua docet experientia. Omittamus, quòd ex nihilo nos fecerit, quòd à Diaboli potestate nos liberauerit, quòd continuò gubernet prouidentia sua illa generali: quid dicemus de particulari, quam vnusquisque (si intimè penetrauerit) in se prospicit? sacer certè intra nos spiritus est, videtque quid opus est nobis: dat omnia, quia seipsum dat: est enim totum

Philosophus quomodo indagauit Deũ esse.

Dei munificentia erga hominem.

Dei amor.

Digitized by Google

totum nobis Deus. ſi eſurimus, cibus eſt; ſi ſitimus, potus eſt; ſi in tenebris ſumus, lux eſt; ſi nudi, veſtis eſt; ſi infirmi, medicus eſt; ſi febribus æſtuamus, fons eſt; ſi debiles, virtus eſt; ſi pauperes, diues eſt; ſi iniqui, iuſtitia eſt; ſi peccatores, miſericordia eſt; ſi obſtinati, infernus eſt; ſi viatores, via eſt; ſi morimur, vita eſt; ſi grati, merces eſt maxima; ſi ingrati, punitio eſt magna. Cum igitur Deus totũ nobis ſit: grati erimus, ſi illius recordabimur: ſi verò obliuiſcemur, ingratitudo erit maxima. Ingratus quidem eſt, qui non reddit: ingratiſſimus, qui obliuiſcitur. Ergo qui reddit, gratus eſt: qui recordatur, gratiſſimus. Igitur, vt coram eo tot beneficiorum genera conferenti gratiſſimus inueniaris, quiq; domum ſuam, tuam fecit: ſemper recordare Dei; & cœlum domus tua futura, ſit cogitatio tua. ſi enim momentum nullum eſt, quo Dei bonitate, & miſericordia non vteris, vel frueris, cur momentum debet eſſe nullum, quo eum præſentem in memoria habeas?

De Deo ſemper eſt cogitandum.

ſemper certè de Deo cogitandum eſt: tempus namque in quo de Deo non recordaris, hoc te perdidiſſe puta. Si magnum eſſe credis videre Cœlum, atque Solem, ſi ſtupes imaginando quantus ſit illius fulgor, tot ſyderibus inter ſe lumen immiſcentibus, ornati, cur non illius virtutem, prudentiam, poteſtatem, munificentiam, & erga te liberalitatem maximam meriris ante, cuius opera miraris? Cur ibi non eſt cogitatio tua, vbi nulla ſerenum vmbra turbabit, & æqualiter ſplendebit omne cœli latus? vbi erit denique locus tuus? Heu perniciosam hominis ingratitudinem, obliuionemque, non recordare Dei largiſſimi donatoris? & Cœli omnium locorum nobiliſſimi, atque locupletiſſimi? Quid igitur rerum caducarum recordaris? quid de obſcœnis cogitas? quid terrenis inhias?

Quotuplex malũ emergit ex Dei obliuione.

Quid boni ab his habes? nullum certè. Quinimo triplex homini emergit malum ex Dei obliuione: Gratiæ diuinæ amiſſio; ſubiectio diabolicæ poteſtatis; & magna culpæ deformitas. Nam qui Dei obliuiſcitur, neceſſum eſt, vt Deus obliuiſcatur illius; eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur & vobis; ac propterea tria mala incurrere oportet: amiſſionem ſcilicet diuinæ gratiæ: ſubiectionem diabolicæ poteſtatis: & magnam culpæ deformitatem. Ideo vt gratiam diuinam habeas, vt diabolum conculces, vt deniq; ab omni inquinamento corporis, & animæ mundatus, glorioſus appareas in conſpectu

Digitized by Google

ſpectu Domini: neceſſaria eſt ſemper recordatio Dei. Et Cœlum quoque ſit cogitatio tua: quia ibi peculiari maieſtate ſedet Deus; quamuis vbique reperiatur: ibiq; futura eſt manſio tua, quia futuram inquirimus: ibique eſt beatitudo tua. Et bene inquit Author, cogitatio tua, quia cogitare eſt conſiderare rem ſecundum partes, & proprietates ſuas. Cogitare igitur debes Cœlum ſigillatim, & ad vnguem. Duo igitur facturus es, vt hæc tria euitare queas inconuenientia; recordare Dei: & cogitare Cœlum. Nam ex primo recuperabis gratiam: ſubijcies tibi Diabolum: & mundaberis à peccato. Ex ſecundo autem conſequeris gloriam, quæ eſt in Cœlo. Cogitare quid ſit.

Χαλινον τον ὀφθαλμον. ὁ γαρ οὐκ ὁιδας, ρεμβεται.

PRÆCEPTIO XXXXIIII.

Cohibe oculum, cum enim non attenderis: circumuoluitur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXXIIII

DVo circa ſenſum viſus communiter attenduntur: viſio, & circumuolutio. Oculi namque, ſiue viſio fiat intromittendo (vt Ariſtoteli placuit) ſiue extramittendo (vt Plato faſſus eſt) vel vident, vel videndo circumuoluuntur. Eſt enim viſus non forma oculi, ſed anima, ſecundum quod ab ea fluit viſus: indeque circumuolutio. Vnum prohibet Author, nempe oculorum circumuolutionem, non viſionem: quia Deus oculos dedit homini, vt videat: non vt circumeat. Vnde & Dauid cecinit, Delectaſti me Domine in factura tua: ecce viſio. Alibi verò dixit, Auerte oculos meos ne videant vanitatem: ecce circumuolutio. Quinimo alibi Spiritus ſanctus prohibuit oculorum circumuolutionẽ, & eſt vnum ex ſeptem ſibi diſplicentibus: oculorum ſcilicet ſublimitas. Vnde & alias, à muliere compta auertendos eſſe oculos admonuit. Prohibet igitur Author oculorum circumuolutionem, non viſionem: nam hæc neceſſaria, & vtilis eſt naturæ: illa verò pernicioſa. Circa viſum quæ attenduntur. Pſalm. 91. Pſalm. 118.

Digitized by Google

perniciosa. Quare nec fœminas quoque videre prohibet Diuus Augustinus in Regula, sed appetere, vel ab ipsis appeti, velle: quod ab oculorum circumuolutione oritur, criminosum esse docuit. Ecquis ab oculis omne malum tam animæ, quàm corporis procedere negabit? Certè sicut inter sensus omnes, nobiliores, præstantioresque sunt oculi, ita & Principes sunt ad nocendum in sensibus. Quandoquidem cum oculus turpiter videt, auris turpia audire desiderat: fauces turpia turpiter gustare: nares inaniter odorare: tactus procaciter illicita tangere. sunt namq; sensus connexi, ac adinuicem coniugati, vnus alteri submiistrans. Sed ne dum sensibus nocent, quinimo animæ potentijs: atque in ipsa anima principes sunt ad nocendum, quia sunt omnino causæ spiritualis mortis animæ: Nam & scribitur, Oculus meus deprædatus est animam meam. & alibi, mortem intrasse per fenestras nostras: hoc est per oculos. Cohibe igitur oculum, ne circumuoluatur, quia intueberis, quod non licet concupisci: quod tandem erit ruina animæ, corporis, sensuum, & potentiarum omnium.

Omne malũ ab oculis *p*-uenit.

Thren. c. 1.

Hierem. c. 9.

Θεὸς δυγλώσσης. πολλάκις γὰρ προφέρει, ἅπερ ἄμεινον ἱρύπτειν ἦν.

PRÆCEPTIO XXXXV.

Parcè vtere lingua: sæpe enim profert, quæ melius fuisset celari.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXXV.

TRia sunt quæ hominem deperdunt omnino (cæteris etiam omissis) pudenda, venter, & lingua. Pudenda Venere, venter gula, lingua loquacitate. Nam luxuries consumit hominem: esca interimit: loquacitas in mille vitæ discriminibus ponit. At quidem maius est in mille vitæ discriminibus hominem poni, quàm consumi, & interimi. Quandoquidem si luxuries consumat hominem: esca interimat: paulatim hæc faciunt & suauiter; quinimo ab his liberari posset, & adiuuari. Sed si loquacitas aderit, in mille periculis collocabit hominem, statim, repente, atque absque remedio aliquo, mille vulneribus saucians: ita vt quot verba inconsulta prolata, tot enses:

Hominem quæ deperdunt.

Ex loquacitate pericula multa.

Digitized by Google

enses: tot gladij: tot vulnera: tot mortes: non niſi (vt dicit Author) quia ſæpe profert, quæ melius fuiſſet celari. Quare non immeritò à lingendo deduci docuit Hugo, quinimo etiam à mordendo, ab attrahendo, à ligando, à labendo, & à fallendo, quia lingit, mordet, attrahit, ligat, labitur, & fallit: lingit adulatione, mordet detractione, attrahit mendacio: ligat conuitio, labitur errore, fallit hallucinatione. Ita vt quamuis liget, labeatur, & fallat: ligari tamen, teneri, & corrigi nequaquam poteſt. Ideo parcè vti lingua præcipit Author, quia cum ſermonem emiſeris, non rurſum reſumes. Cui alludit Horatius Poëta, dicens. Lib. 2. de anima. Linguę ethymologia.

Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.

Quod & alij dixerunt, manet irreuocabile verbum. Hanc ob cauſam pœnitebit te dixiſſe, quæ melius fuiſſet celari. Quid igitur faciam, dices, vt hæc effugere poſſim? Triplici quoque remedio vti neceſſum eſt: Caſtitate, abſtinentia, & taciturnitate: Caſtitate contra pudenda: abſtinentia contra ventrem: taciturnitate contra linguam. Nam prima comprimes Venerem: ſecunda gulam: tertia loquacitatem. At dices, quòd tanta eſt linguæ omnium maxime volubilis incontinentia, vt difficilius ſit tacere, quàm loqui. At dicam nil videri facilius, quàm tacere, hac cautione, vt animus linguam præcurrat: non lingua animum. ſic profecto parcè vteris lingua: nec proferes, quæ non melius fuiſſet celari. Remedia contra pudẽda, ventrem, & linguam.

Γυμνασον τῇ μελετῃ τοῦ νομου, τουτ' ἐστι διανοιαν. ἐκτελει γαρ ὁ λογισμὸς τοῦ παντρόπος, συνεχῶς μελετώμενος.

PRAECEPTIO XXXXVI.

Meditatione legis mentem colito: extirpat enim malas cogitationes continuè frequentata.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXXVI.

INter ſcientias, quæcumque ſint illæ, nulla nec illuſtrior, nec ſanctior apparet: nec pinguior, nec dulcior, neque profundior reddi poteſt ſcientia verbi Dei: quæ eſt ipſamet lex, ſeu ſcriptura nobis à cœlo reuelata, tradi- Scriptura diuina cunctis ſcientijs illuſtrior, & à quibus.

Digitized by Google

traditaque. Quæ enim leges, quæ scripturæ, quæ mandata, quæ disputationes, quæ scientiæ legi Dei comparari possunt? Nec artificiosa Aristotelis argumentatio, nec Tullianæ eloquentiæ flumina, nec Quintiliani flosculi, nec Platonis mira dicendi copia tantillæ scripturæ parti æquiparari possunt. Est quidem illustris ab Authore, qui est Deus: à modo procedendi nempe lumine reuelato infallibili. Est sancta à Spiritu sancto, qui est Sanctus Sanctorum: à materia, quia de Deo, de Angelis, de beatitudine, & cęteris huiusmodi penè innumeris digreditur: ab effectu, quia docet veritatem, arguit falsitatem, eripit à malo, inducit bonum, & perducit ad perfectum. Est pinguis, omnes in se continens delitias; nobiliores quidem manna Hebræorum: quicquid enim volueris ex ipsa comedes; ac propterea dulcior melle, preciosior nectare, & ambrosio redditur. Profunditate verò ita viget, vt nec proprio sensu capi potest, nec vna explicatione contentatur. Nam quanto magis in scriptura assiduus fueris, tanto ex ea vberiorem capies intelligentiam. Non enim (vt inquit Hieronymus) in verbis, nec in superficie, neque in sermonum folijs, lex, seu scriptura latet: sed in sensu, in medulla, in radice rationis. Ideo monet Author, vt meditatione legis mens coli debeat: scit enim & ipsius dignitatem, & vtilitatem legendæ quidem sunt scripturæ, in quibus est lex, quinimo sunt ipsæmet leges: numquàm de manibus deponendæ sunt, semper mente iugiter voluendæ. Nam mentem erudiunt, à terrenis desiderijs cor reuocant: ad cœlestem patriam inuitant, à mundi vanitatibus abstrahunt, ad amorem Dei perducunt. Hoc est quod dicit Author: Extirpat enim malas cogitationes continuè frequentata. Mens quippe quæ idem realiter est, quod intellectus, & non nisi actuum diuersitate distinguitur: (nam quatenus intellectus dijudicat, vel mensurat: mens appellatur; dijudicare enim, vel mensurare, actus intellectus est applicantis principia certa ad examinationem propositorum: sicuti intelligere est cum quadam approbatione dijudicatis inhærere, iuxtà Beatum Thomam) Mens igitur ista à metiendo dicta, quæ est nobilior animæ vis, est sicuti tellus: quod si incultum erit, continuo producere non desinet, nisi herbas malas: spinas scilicet, tribulos, & similia: at si terra colatur, extirpantur quidem herbæ malæ, vt bono

Scientiæ diuinæ pingue do, dulcedo, & profunditas.

Super epist. ad Galat.

Scripturæ diuinę effectus

p. p. q. 79. art. 9.

sata

Digitized by Google

sata semine: reddere posset fructum centesimum tempore debito. Ita mens, si inculta remanserit, malas proculdubio cogitationes procreare non desinet. At si colatur, non nisi assidua, continuaque legis meditatione: malas profecto extirpabit cogitationes, bonæque emergent. Quid enim est cogitatio iuxta Riccardum, nisi animi respectus ad euagationem pronus? & si iuxta Augustinum, sumi possit pro quacumque intellectus operatione. Et rectè legis meditatione mens colitur, quia meditatio intuitus est in inquisitione veritatis occupatus: veritas autem est conformatio rei ad intellectum, seu mentem. Ergo legis meditatione mens excolenda est. Colito itaque mentem legis meditatione, vt à malis cogitationibus libera prorsus reddatur: bonis verò immersa, ex scripturarum scientia conregnet in cœlo cum Christo, qui est Dei virtus, & Dei sapientia.

Lib. 2. de cõtemplat. c. 4. Libro 14. de Trinit.

Τὰς ἀρετάς ἱερύττε. μάρτυρας δὲ τοῦ βίᾳ πολλοὺς, κτῆτται.

PRÆCEPTIO XXXXVII.

Virtutes tuas celato: testes verò vitæ tuæ multos acquirere stude.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XXXXVII.

NVllum peccatum viris sanctis, & perfectis ita molestum, & infestum est, quantum vanagloria: Tum quia non propriè de malo nascitur, vt cętera vitia, sed de bono, & de virtutibus: gloriatur enim quis de humilitate, de castitate, de misericordia, & cæteris operibus bonis; nam si quis de superbia, de luxuria, & similibus glorietur, non est gloriari, sed vituperari: de quibus verificatur illud, Lętantur cum male fecerint. Tum quoque cum careat sibi opposito, per quod destrui deberet. Cuncta namq; vitia contraria habent bona, per quæ superantur: inanis verò gloria sola suum interfectorem non habet; res quidem mira, sed verissima. Ideo per bonum non fugatur, sed potius nutritur: vnde & bonum ipsum inficit tandem. Has ob res Saluator

Vanægloriæ peccatũ infestum.

Vanagloria non habet suum contrarium.

Digitized by Google

noſter in Euangelio quoties ad bonum diſcipulos inuitabat,
Matth.c.5. toties ab inani gloria reuocabat: dicens. Cum facis eleemoſinam noli tuba canere: neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.
Matth.c.6. Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus: & multa his ſimilia inuenies: quia ſciebat Magiſter noſter Chriſtus monſtruoſum hoc animal inſtar Hydræ Herculis in medio virtutum inſidias ſuas ponere: ac propterea omnia bona deperdi. Cauendum eſt itaque viris ſanctis, ne bona quæ faciunt, ad oſtentationem faciant. Ideo & Author quoque monet, dicens: Virtutes tuas celato. Duo itaque in hac præceptione iubet Author facienda, vnum quidem celãdum:
Bonũ celandũ eſt, teſtes boni acquirendum. alterum verò acquirendum. Celandum bonum: acquirendum teſtes boni. Celandum bonum, ne vanæ gloriæ ſuperbia quis inflatus, pompam vanæ laudis appetens: amittat boni meritum. Acquirendi teſtes boni, vt teſtes videntes virtutes illius, optimoſque vitæ ſuæ mores: laudent Deum, extollantque operantem. Hoc eſt quod dicit, acquirere ſtude multos vitæ tuæ teſtes: atque virtutes tuas celato. Prohibet vehementer
Ad Galat. cap.5. Apoſtolus gloriam vanam, dicens: non efficiamur inanis gloriæ cupidi; quia peccatum eſt maximum. prohibet etiam Author, dicens, virtutes tuas celato, quia peccatum eſt peſſimum. Inanis enim gloriæ cupidus eſt, qui virtutes ſuas palam facit, qui oſtendit bonum cunctis quod agit, vt bonus à cunctis dicatur: vt ſanctus, & venerabilis ab hominibus prædicetur: vt à nemine contemnatur: vt à quibuſcumque honoretur. Hoc autem peccatum eſt peſſimum. Prohibet itidem Chriſtus in Euangelio hypocriſim tamquàm inanis gloriæ filiam: hanc ſimiliter prohibet hic Author. Verum opera bona vt teſtibus manifeſta ſint, conſulit Saluator ad Dei gloriam,
Inanis gloriæ cupidus quis ſit.
Matth.c.5. & proximi ædificationem, dicens: vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Hæc itidem admonet hic Author, dicens: teſtes verò vitæ tuæ multos acquirere ſtude. Vt igitur in ſpirituali vita valde proficere poſſis: duo à te facienda ſunt: quæ ſi feceris, vinces inanem gloriam. Primum erit, vt bonum quod agis, caue ne ad oſtentationem agas: deinde vt hoc bonum abſque oſtentatione factum: proximo ſit manifeſtum ex ſe, non à te. Sic enim virtutes tuas celabis: & teſtes vitæ tuæ multos acquires.
Nota.

Miron.

Digitized by Google

Μίσει τὰς ἡδυὰς δ ταρκός. ῥυπερὰν γὰρ μετὰ τοῦ σώματος ἡ ψυχὴ ἐργάζονται.

PRÆCEPTIO XLVIII.

Odio prosequere carnis voluptates: sordidam enim animam cum corpore efficiunt.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XLVIII.

INter animalia omnia hominem præstare cæteris nulli dubium est: tum quia seorsum ab illis conditus est: tum quoque quia ficto corpore, inspirauit Deus in eo spiraculum vitæ, deditq; in eo spiritum perennem; Cætera verò interitura condidit, subiectaque homini, tamquam rationis expertia: Ille verò ex tot animantum generibus, atque naturis, solus rationis particeps; tamquam Deo similis: ad imaginem quippe Dei factus est homo. Quod etiam non ignorauit Cicero, quamuis rerum diuinarum expers; dum dixit, hominem animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij: præclara quadam conditione a Deo solo generatum. Hunc igitur hominem sic nobiliter conditum, sola carnis voluptas iumentis insipientibus, suibusque fœtidis similem efficit: nam sola irrationalia secundum carnem viuunt; si igitur secundum carnem vixerit homo, illis quidem coniungitur: ac propterea sordidus efficietur: sed mirabile quidem est, carnis voluptates sordidam efficere animam, quę tamen spiritus est: & vt sic expers certè sordiditatis cuiusque, similiumque affectionum; & tamen veriſſimum est carnis voluptates, vt inquit Author, sordidam efficere animam cum corpore. Quomodo autem id fiat immanifestum est. Mundatur quidem ab originali peccato ad aquæ tactum inuisibiliter homo: in vnoquoque etiam Sacramento sub tegmento visibilium diuina virtus salutem secretius operatur; ita ab oppositocarnis voluptatibus coinquinari hominem veritas docet: quomodo autem id fiat, patet inuisibiliter fieri. sufficit, quòd sordidam cum corpore efficiunt animam ob vtriusque

Homo præstantior cæteris animalibus.

Lib. 1. de legibus.

Carnis voluptas sordidũ facit hominem.

Homo inuisibiliter carnis voluptatibus coinquinatur.

Digitized by Google

adinuicem colligationem: est enim tota anima in toto,& tota in qualibet corporis parte, concurrente etiam voluntate peruersa, nam sine hac nullum peccatum est, nullæ sordes reperiuntur: & ex effectibus quibusdam perspici potest. Quid igitur carnis voluptates amas? nescis sordidam cum corpore efficere animam? Neminem quippe credo lutum amare, vt sues, qui continuò volutantes se in illo, sordidi emergunt, deformioresque solito in conspectu hominum apparent. Voluptas carnis lutum est, quia caro terra est: scribitur enim, Terra es, & in terram ibis. Delitiæ autem aquæ sunt, in quibus voluptuosi merguntur: ex terra verò cum aqua mixta, fit lutum: igitur in voluptate se volutantes sordidi corpore, etsi non videantur, suibus peiores: sordidiores verò anima efficiuntur. Voluptates namque inimicę sunt virtutum omnium, quandoquidē maiores animi partes à virtutibus detorquent: ergo summergunt animum in vitijs: Igitur voluptuosi anima sordidi fiunt. Quare dicebat Eusebius, intemperantiam corrumpere animam,& corpus: Quod sanè voluptatis gratia fit: vtque ei gratum fiat: coget illum à quo habetur turpissima quæque facere. At peius est, quòd voluptas famem sui habet, (vt scribit Hieronymus) & transacta non satiat: quia alimentis perpetuis nescit impleri, inquietumq; semper relinquens hominem. Est namque voluptas vt ventus, qui nauem absque gubernaculo huc, illucque vagantem, quassat: & gubernatori inobedientem reddit. Ita quoque voluptas agitat animam, cogens, menti immorigeram esse, tamquam sine gubernaculo rationis: & tranquillam esse non permittit, vt tandem periclitari cogatur. Igitur odio prosequere carnis voluptates, illecebrasque omnes: quæ ne dum corpus, sed ánimam quoque deturpant, inquietant, summergunt, & tandem interimunt.

Gen.3.cap.

In epist. ad Damasum Papam. Exemplum de voluptate.

Μόνα δίδου τῷ σαρκὶ ὅσα χρήζει λαβεῖν, οὐχ ὅσα ἐπιθυμεῖ.

PRÆCEPTIO XLIX.

Corpori solum quantum indiget, impende: non quantum cupit.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XLIX.

INter bona exteriora nullum melius ſanitate: vel enim pulchritudine flores, vel fortitudine viges, vel ſimilibus extrinſecis bonis: ſi ſanitate cares, & his carere neceſſum eſt. Quid enim prodeſt pulchritudinem, vel fortitudinem habere languentem? Dum langues, languent certè & pulchritudo, & robur: dum ſanus es, omnia iſta florent. ſi ſanitatem habes, hæc omnia ſimiliter habes: etiam ſi deformis, & imbecillis eſſes; præſtat enim ſanitas, & pulchritudini, & robori: nam abſque ſanitate, neque robur, neque pulchritudo poteſt eſſe. Hanc ob cauſam à cunctis deſideratur: pro hac habenda exercentur homines vndique, & quæcumque agunt: ipſius cauſa agunt. Nec mirum, ſanitas namque ſtatus eſt corporis actiones omnes ſuas probè obeuntis, ex adæquatis humoribus cauſata. Sed mirum certè eſt, ab omnibus hanc appeti: & tamen dum habetur, ſpernitur: medijsque contrarijs, nempe ingluuie, intemperantia, incontinentia, ſimilibuſque, craſi, & temperamento oppoſitis, quærunt: quinimo medijs, nedum ſanitatis, ſed ipſius vitę interfectricibus acquirere conantur. Numquam vidiſti ob crapulam, & intemperantiam hominem diu viuere: ſed certè propter abſtinẽtiam pleroſque & vidiſti, & legiſti diu vixiſſe. Teſtatur D. Hieronymus ad Iouinianum ſe legiſſe quoſdam morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes proſcriptione bonorum ad ſimplicem menſam, & pauperes cibos reductos, conualuiſſe: res quidem mira, cum medicinam non habeat, ac ob id inſanabilis credatur. Vnde & Poeta cecinit.

Sanitas res precioſa.

Sanitas quid ſit.

Habetur de cõſec. diſt. 5. c. legimus.

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram. Ouidius.

Nihilominus tamen credendum eſt tanto Authori, & reimet ob temperantiæ, & abſtinentiæ virtutem. Vnde & Valerius Maximus id confirmans, dixit: Bonæ valetudinis quaſi quædam mater eſt frugalitas. At noſter Author docet, vt corpori ſolum quantum indiget, impendas, non quantum cupit. Aurea certè ſententia, in parietibus proculdubio, in veſtibulis, in foro, in domo, in ianuis, in ingreſſibus, & ante omnia in conſcientijs ipſis ſcribenda: quinimo & in memoriæ armariolo reponenda; vt non tantum oculis cernatur, ſed vt ſentiatur

Libro 2. de inſt. antiquis.

Digitized by Google

sentiatur corde,& exequatur operibus. Si enim corpori quantum cupit,impenderis, illud profecto perdes: tum quia deteriora cupit, meliora relinquit: tum quoque quia non satiatur; si quantum indiget, superstes conseruabitur. Abstinentes frequenter diutius viuunt:intemperati verò è contra citius moriuntur; nam ex ciborum superfluitate mortales frequentius incidunt ægritudines, inde mortem: quia sæpe franguntur stomachi vires, abundat sanguis, augetur colera: inde ægritudines plurimæ, inde mortis pericula. Quid? nonne docuit Spiritus sanctus quod occidit plus esca,quàm gladius? Quid, quod quanto magis cibis veteris, eò magis ventrem corrumpis, & tanto amplius quoque sensum obtundis? Quid quod abstinentes fortiores sunt gulosis? quinimo his, qui vincunt in campo? Nam & si fortis sit victor hostium, victor tamen voluptatum fortior: quia ille corporis robore vincit hostes; hic fortitudine corporis, & animæ vincit voluptates, hostes vtriusque. At gulosus quoque eneruatur viribus omnino, vt continua docet rerum experientia. Igitur si corpore, & anima sanus esse desideras, tibi tantum cibi comedas, quantum sustentatio corporis, non quantum desiderium carnis exposcit. At cum corpus non solum cibos appetat, sed & multa rationi, & animæ contraria, nociuaque: si affluant; ipsi ne impendas quantum cupit, quia omnium affluentiam desiderat, sed quantum indiget.

Abstinentes diutiusviuũt intẽperatis.

Abstinentes fortiores gulosis.

Μὴ ἀγάπα τὸ τρυφᾶν. φίλιαν γὰρ πρὸς τὸν βίον ἐμποιεῖ ἔχθρα δὲ πρὸς τὸν θεὸν ἐξ ἑκατέρου τίκτεται.

PRAECEPTIO L.

Delicate viuere ne eligas, amorem enim huius vitæ conciliat: inimicitia autem aduersus Deum ex vtroque nascitur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. L.

Amore nil vtilius, & odio nil molestius.

SIcuti in hac vita nil suauius,nihilq; vtilius est,quàm amari: ex quo multa bona amato prouenire conspicuum est omnibus; quinimo mundus totus ex amore perseuerat: nisi enim in mundo amor esset, non satis sibi consta-

Digitized by Google

constaret: Ita nil acerbius, molestiusque quàm odio haberi: ex quo multa damna sequi necessum est, vt continua docet rerum experientia. Quare non immeritò priscus ille Philosophus litem, & amicitiam rerum principia constituit: quia sciebat ex hac cuncta crescere, sicuti ex illa cuncta destrui. Igitur quanto maior erit amator, tanto maior æstimari debet res amata: nam illi maiora succrescerent cõmoda: & si odiens maior erit: maius certè incommodum ei qui odio habetur, eueniet. Inimico namque Regis maius damnum emerget, quàm hosti priuati hominis: amico autem maius bonum, quàm illius priuati ciuis; potentior enim est Rex ciue. Quare nullus (nisi iudicio sit priuatus) ea efficeret: quæ vel Regi sciret displicere: vel saltem suspicaretur, an Regi placerent, sequeretur certè in rebus his dubijs tutiorem partem. At nemo nec potentior, nec maior Deo reperitur: ergo amicitia Dei optima erit, inimicitia verò pessima. Quamuis enim Deus omnia diligat, & nihil odit eorum, quæ fecit: nihilosecius cum ab ipso homo se auertit, illius inimicitiam statim incurrit. Et quamquam multa sint, quæ nos à Deo disiungunt omnino, nempe peccata, quoniam non nisi peccatis à Deo auertimur: duo tamen sunt præcipua, quæ Dei inimicitiam nobis maximè pariunt, quæque efficiunt, vt alia etiam committantur: viuere scilicet delicatè, & huius mundi amor. A delitijs namque, & ab huius vitæ dilectione, omnia peccata veniunt. Odio mundum prosequere, quia odies quæ in mundo sunt: fuge delitias, quia fugies illecebras omnes, atq; dubio procul cuncta peccata. Ama delitias, ama mundum: quia omnia peccata amabis, & cuncta quæ in mundo sunt, diliges. Igitur duo præcipua sunt, quæ inimicitiam Dei nobis causant: viuere delicatè, & amor vitæ huius. Hoc tamen vltimum est effectus primi. Impossibile namque est, vt quisquis inter seculi voluptates positus, à vitijs illibatus remaneat. Igitur vitæ huius amorem ex primo sibi conciliabit. Vtrumque ergo tamquàm causa inimicitiæ Dei, expellendum à nobis est. primum labore, secundum spretu: primum continentia, secundum odio: primum mortificatione, secundum suijpsius abnegatione. primum, quia non decet sub capite spinoso membrum fieri delicatum: secundum, quia qui vtuntur hoc mundo tamquam non vtentes, sint: Mundi enim huius figura iam

Optimum exemplum.

Quæ inimicitiã Dei nobis pariunt

D. Bernardus.

Digitized by Google

Primę ad Corinth. cap. 7. iam præterit, inquit Apoſtolus; Itaque ne eligas delicatè viuere, ne amorem huius vitæ tibi conciliet: ob quæ inimicus fias Deo. Hoc eſt, quod dicit Author: inimicitia autem aduerſus Deum, ex vtroque naſcitur; ſcilicet ex delicatè viuere, & ex vitæ huius amore.

Ἀποστρέφῃ πῆ ἐν τῷ βίῳ χαρὰν. αὐτο γὰρ ὀλισθαίνει καὶ σκολιζει τοῦ πεχοντας.

PRÆCEPTIO LI.

Auerſare in vita gaudium, ipſum enim lubricum eſt: & præcipitat exultantes.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LI.

Gaudium quid ſit. 4. ſent. diſt. 49. q. 3. art. 1. GAudium, quod eſt animi affectio alicuius præſentis boni opinione concepta: ſeu iuxta Beatum Thomam, paſſio concupiſcibilis ex coniunctione perfectionis appetitæ prouenies ſecũdum interiorem apprehenſionem ſenſus, vel intellectus, quod præſentis quidem vitæ eſt: auerſandum omnino præcipit Author, non niſi quia lubricum, & quia præcipitat exultantes. Mundi namque huius gaudium, non eſt gaudium: ſed initium futuræ triſtitiæ. Gaudio enim iunctum eſt non deſinere, nec in contrarium verti: hoc autem deſinit, & in contrarium vertitur. Gaudium verum eſt permanens, atq; ſtabile: hoc autem non manet, ſed inſtabile eſt. Quod etiam Martial. epigram. lib. 1. ad Iulium. Poeta Ethnicus cecinit, dicens.

Gaudia non remanent, ſed fugitiua volant.

Verum Gaudium prudentia magna præditum eſt, at mundanum ſolet mentis arcana aperire, & apèriendo amittere, vt Lib. 28. moral. inquit D. Gregorius. Gaudium verum haud dolore miſcetur, ſed mundi huius gaudium patet dolore miſceri. Quid, quod ſi vis lumine claro cernere verum, tramiteq; recto carpere callem (vt inquit Boetius) neceſſum eſt inter alia pellere gaudia. Ideo ſi hæc regnant, mentem nubilam fieri, vinciq; De conſol. lib. 1. metro vltimo. frenis,

Digitized by Google

frenis, oportet. Quare melius est tristari, quàm gaudere. Et quamuis naturaliter fugiamus tristia, appetamusque delectabilia: cum tamen nec loco, nec tempori, nec hominis statui gaudium conueniat, dolendum est magis, quàm gaudendum. At si dixeris, nimium dolorem hominem occidere, dicam & gaudium quoque nimium occidere: quinimo citius hominem mori in gaudio, quàm in tristitia inuenies: citiusq; gaudium interficere, quàm dolorem. Adsunt & rationes naturales. Occidit plus gaudium, quia cor ex lætitia dilatatur: fitque vt à corde calor transeat ad exteriora, vnde prouenit subito mors. Tristitia verò, paulatim occidit: nam dum homo vehementer tristatur, retrahitur calor naturalis ad interiora, exhalat deinde ad exteriora: ex quo impeditur nutritio in membris; indo sequitur illarum consumptio, & per temporis processum lethica. Citius itaque moritur homo in gaudio, quàm in dolore. Quod & confirmat Diuus Augustinus, dicens: Multi res aduersas timent, prosperas non timent: periculosior tamen est res prospera animo, quàm aduersa corpori: Prius enim corrúpunt prospera, vt inueniant, quàm frangunt aduersa. Igitur cum inter duo mala, maius sit euitandum, minusq; eligendum; maiusq; malum sit mori statim, quàm diu: id verò ob tristitiam accidat; illud ob gaudium: maius malum est gaudere, quàm tristari. Ideo omne gaudium auersari præcipit Author, quia lubricum, & quia præcipitat exultantes: gaudium, inquam, nonnisi præsentis vitæ: vbi non est verum gaudium: sed si in vita quoque gaudendum erit, fac vt verum sit gaudium. Verum tamen erit, si sit rectum: si sit continuum: si multiplicatum: si moderatum. Verum quidem erit, si pax, & iustitia teneatur. De iustitia namq; tamquam à fundamento nascitur pax: de pace gaudium. Vis igitur verè gaudere, amplectere iustitiam: assequere pacem. Vis etiam verè gaudere, bene viue: bona enim vita verum gaudium habet: gaudium quippe quod nõ datur impijs, sed ijs qui Deum verè colunt, quorum gaudium Deus ipse est: & ipsa est beata vita gaudere à Deo, de Deo, & propter Deum, vt inquit Augustinus: ipsa est, & non altera: bona quidem vita gaudium est de veritate: hoc enim est gaudiũ de Deo, qui est summa veritas. Noli igitur auersari gaudium de Deo, auersare gaudium mundi, quia lubricum est, & præcipitat exultantes.

Melius est tristari, quã gaudere.

Gaudiũ plus occidit, quã tristitia.

In lib. 50. hom.

Verum gaudium.

Libro 12. confess.

Digitized by Google

Πλούτον ἐὰν μὴ ἔχεις, εὐέρπιζε· εἰ δ' οὐκ ἔχεις, μὴ συνάγε.

PRAECEPTIO LII.

Diuitias si habes, distribue: si uero non habes, ne colligo.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LII.

1. Polit.

De doctrina Christ. & habetur 1. q. 3. totum.

DVplices in vniuersum sunt diuitiæ, iuxta Aristotelem: naturales, & artificiales. Naturales, possessiones sunt rerum: artificiales, possessiones sunt pecuniæ (licet Diuus Augustinus dicat, totum quicquid homines habent in terra, omniaque quorum domini sunt, pecuniam vocari: seruum, scilicet, vas, agrum, arborem, pecus; quicquid horum est, pecunia dicitur) sed ideo pecuniam vocatam esse, quia antiqui quicquid habebant: in pecoribus habebant. Res autem sit quomodolibet, manifestum certè est, quod siue diuitiæ sint rerum possessiones, siue pecuniæ; quòd vndequaque malæ sunt: non nisi quia impediunt charitatem principaliter alliciendo animum, & distrahendo. Alliciunt namque animum terrenis, distrahunt à cœlestibus: alliciunt caducis, distrahunt ab æternis: alliciunt fragilibus, & perituris: distrahunt à perpetuis, & sempiternis: Ideo difficile est inter illas charitatem seruare, facilè autem perdere: & licet vt virtutibus deseruiant, bonæ sint: quia tamen impediunt, malæ reputantur. Quis enim ignorat diuitias causare sollicitudinem, elationem, amoremq; earum, quæ omnia mala sunt? sed quis est nescius, aurum materiam esse laborum: periculum esse possidentium: eneruationem esse virtutum: malum esse dominum, & seruum proditorem, vt inquit Augustinus? sed quid? si diues es, aut liberalitate fulges, aut parcitate obnubilaris: si liberalitate, eademmet diuitias perdis, dando huic, vel illi: si parcitate, eadem quoq; diuitias putrescere facis, tenacitate consumens te, & alios. Ideo si diues fueris: non eris immunis à delicto. Igitur si diuitias non habes, ne colligas, quia sollicitudinem, elationem, & amorem earum colliges: insuper & afflictiones, anxie-

Diuitiæ malæ sunt.

Diuitiarum effectus.

De verbis Domini.

Ecclesiastici cap. 11.

Digitized by Google

anxietatesque multas; quinimo paupertatem, concupiscentiam infinitam: inquietitudinem, & metum. Paupertatem quippe, quia qui vult esse diues: pauper esse arguitur. Concupiscentiam, quia qui diuitias desiderat, rem infinitam desiderat: cum diuitiarum desiderium in infinitum crescat. Vnde & quidam Poeta cecinit.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Iuuenalis satyra 13.

Ex his deinde inquietitudinem, & metum prouenire necesse est omnino. Quandoquidem aut non habitas concupiscit homo, vt habeat: aut adeptas timet, ne amittat. Igitur qui cor ad diuitias inhiat, nec securus esse poterit: nec tranquillus. Ergo si diuitias non habes, ne colligas: si habes, bene distribue: quia bene distributæ, bonæ sunt: retentæ, malæ. Bene autem distribues, si fuerint adiumenta virtutum, si bene vsus fueris: si effeceris, vt in cœlestes euadant thesauros. euadent autem si pauperibus subueneris: si miseros foueris: si seruos Dei paueris. si verò pauper esse nolueris, appropinqua ad Deum: sic enim diues, non pauper semper eris.

Ὅπλον γὰρ τὴν νηστείαν, τεῖχος τὴν προσευχὴν τοῦχος, καὶ λουτρὸν τὰ δάκρυα.

PRÆCEPTIO LIII.

Armaturam enim ieiunium, orationem murum: & balneum lachrymas esse putato.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LIII.

TRia sunt (vt cætera etiam omittamus) quæ hostem impediunt, ne hominem offendat. Armatura, murus, & balneum. Armatura in campo, murus in castro, balneum in lucta. Qui enim in campo decertaturus est, armatura se munit: qui in castro, murorum fortitudine: qui in lucta, balneo liquidarum rerum, quo hostis dum in inimici amplexu eum in terra prosternere putat: tamquàm anguilla è manibus exiliens, delusus, victusque remaneat. Sic & in bello spirituali triplici rerum bellicarum genere indiget, qui pugnaturus est: Hostis tribus impeditur.

Digitized by Google

armatura, muro, & balneo: Armatura ieiunij, muro orationis, & balneo lachrymarum; Quia & tres sunt hominis hostes: Caro, Diabolus, & Mundus. Contra carnem, armatura ieiunij: contra Diabolum, murus orationis: contra mundum, qui semper gaudet, balneum lachrymarum. Nam & caro ieiunio maceratur: Diabolus oratione premitur: mundus lachrymarum effusione deluditur. Bene itaque dicit Author, vt ieiunium, armaturam putes, orationem murum, & balneum lachrymas. fiet enim, vt ieiunio victa carne, oratione fugato Demone, & lachrymis deluso mundo: primo sanctis Angelis assimileris: secunda beatis in patria: tertia beatis in via. Nam & Angeli non manducant: beati in patria semper orant: beati verò in via semper lachrymantur.

Impedimentum contra hostes hominis spirituales.

Ὅσα δ' ἡμάρτες, πάντα μετὰ σταγμῶν μίμνεσο. γίνεται γὰρ ἐντεῦθεν τῇ ψυχῇ διηνεκὴς κατάνυξις.

PRAECEPTIO. LIIII.

Quæcunque iniquè fecisti, omnia cum gemitibus recordare: oritur enim hinc animæ continua compunctio.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LIIII.

Necessaria ad delenda peccata.

AD delenda quidem peccata, duo præter alia, sunt maximè necessaria peccatori: gemitus, & animę compunctio. Gemitus, quia quemadmodum res fœda, & turpis, nonnisi aqua lauari, & mundari potest: ita & anima peccatis inquinata, nonnisi gemitibus ablui, & mundari. Quia gemitus pœnitentes emundat: Diabolum effugat: conciliat Christo: consociat Angelis: cœli ianuam aperit: & ostium inferni claudit. Et bene inquit gemitibus, & non gemitu, quia non sufficit solus: sed plures requiruntur ad animæ compunctionem. Et bene, iterum, gemitibus, & non lachrymis, quia in plus se habent gemitus, quàm lachrymæ: lachrymæ enim partes gemitus sunt, gemitus verò totum quodam: totum autem maius

Effectus gemitus.

Digitized by Google

ius est sua parte. Et rursus benè gemitibus ait, & non fletibus, seu planctibus: quia gemitus dicitur quasi geminatus luctus, & planctus: quia continuus requiritur, & non interpellatus; non ob aliud, nisi quia hinc oritur assidua animę compunctio. Gemitus namque ex cordis dolore oritur; quamuis sæpe in aliquibus, præsertim fœminis ex fictione. Ergo si est assiduus, necesse est animam compungi: cùm in corde principaliter resideat anima. At compunctio ista necessaria maxime est ad peccatorum remissionem: nam ea est, quæ facit animam amare, & reiterare lachrymas, cupere pœnitentiam, contemnere terrena: & desiderare cœlestia. Vt autem hanc habeas, præterita mala mirum in modum à te plangenda sunt. Hoc enim est, quod dicit Author, quæcumque iniquè fecisti, omnia cum gemitibus recordare: quia hinc oritur animæ continua compunctio. Quare quemadmodum & compunctio duplex est, ita & gemitus. Nam quædam est, qua anima Deum sitiens, prius timore compungitur, post amore: prius in lamentis sese afficit (vt inquit Gregorius) deinde in amore cœlestium gaudiorum sese summergit: ita & gemitus, quidam est compunctionis: quidam deuotionis. Primum docet Author, quia primus ad peccata abluenda ordinatur: secundus ad cœlestia desideranda. Verum cum ex primo progrediatur etiam ad secundum, in primis de primo gemitu, & de prima compunctione: deinde de secundo, & de secunda.

Compũctio necessaria est ad peccatorum remissionem.

Compũctio duplex.

Gemitus duplex.

Περὶ ποιᾶς οὖν τοῦτο πάσχουσι, οὗτοι γὰρ ἡμῖν τὸν κύριον καταλλάσσει.

PRÆCEPTIO LV.

Pauperes foueto: ipsi enim iudicem nobis conciliant.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LV.

QVemadmodum tres sunt integrales pœnitentiæ partes, contritio, confessio, & satisfactio: ita & tres quoque proportionaliter sunt satisfactionis: nempe ieiunium, oratio, & eleemosyna. Ieiunium contra crapulam, & ebrietatem: oratio contra accidiam: eleemosyna contra auaritiam. Nam

Pœnitentiæ partes, & satisf. tionis

Digitized by Google

Nam quod gula peccauit homo, ieiunio certè corrigere debet: quod bonorum omissione, & malorum opere deliquit, oratione recompensare: quod auaritia, & furto, eleemosyna; quia contraria contrarijs curari debent: & ars arte deludi. His tribus vniuersaliter satisfacit homo pro criminibus. At si inter se hæc tria considerabimus, præstantioremque cæteris, nobilioremque inueniemus eleemosynam. Si namque ieiunio concupiscentia extinguitur, oratione propitiatio Dei quæritur: eleemosynis tamen peccata redimuntur, simulque, vt inquit Leo Papa, per omnia Dei imago in nobis renouatur. Subinde facilius ieiunatur, quàm oratur, nam inuenimus plures naturaliter ieiunantes, quamuis sine merito, & non orantes: faciliusque ieiunantes, & orantes, quàm eleemosynam præbentes. Quid quod in eleemosyna omnia ista includuntur? si namque ieiunas, tibi eleemosynam facis: si pro te oras, vel pro alijs; tibi, & cæteris eleemosynam impartiris. Quid quod si ieiunare non potes, nec orare, dans eleemosynam, satisfacis omnino? Quid quod eleemosyna actus sit charitatis, cum sit actus misericordiæ: misericordia verò effectus est charitatis? sic enim à D. Thoma, cæteriſq; Theologis diffinitur. Eleemosyna est opus in quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum: diciturq; ab ἔλεος, quod est misericordia. Igitur inter satisfactionis opera, mirabiliter præstat eleemosyna ieiunio, & orationi. Quare Chrysostomus eleemosynam medicamentum fortius appellat in pœnitentia. Quemadmodum enim in præceptis medicinæ medicamentum multas herbas accipit, vnam verò dominantissimam: sic & in pœnitentia dominantior ista herba, & potentior est, & vniuersum ipsa efficit. Et rectè, cum Christus Saluator noster dixerit, Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis: Nam eleemosynę virtus ea est, vt omnia peccata deleat, omnia bona promereatur: Deiq; misericordiam potissimè consequatur. Igitur si peccatis onustus: si malis oneratus es: si ira Dei sauciatus crederis, foueto pauperes: ipsi enim eleemosynæ vi iudicem tibi conciliabunt. Irascitur namq; Deus propter peccata hominum: placatur propter eleemosynas. Peccata tua eleemosynis redime, inquiebat Daniel, & iniquitates tuas in misericordijs pauperum. Bene itaque inquit Author, vt pauperes foueas, cum ipsi iudicem nobis concilient.

Eleemosyna præstatior ieiunio, & oratione.

In sermone de ieiunio.

22.q.32. art. 1. & 4. sent. dist. 15. Quid sit eleemosyna.

Super Matt. serm. 9.

Optimum exemplum.

Eleemosynę virtus.

Tãs

Τῶν χρείαις τῶν ἀγίων κοινώνει. Διὰ τούτων γάρ ἐστι κοινωνία πρὸς τὸν θεὸν γίνεται.

PRÆCEPTIO LVI.

Inopiæ sanctorum subueni: per eos enim tibi cum Deo contingit societas.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LVI.

OPes in hoc à diuitijs differre docet Cicero, quod istæ sunt, vt vtamur: illæ, vt alijs opitulemur. sunt enim diuitiæ ad necessarium vsum: opes ad magnificentiam. Igitur cum opibus contrariantur inopiæ, (dicuntur enim inopiæ, quasi sine opibus) bene inquit Author, quòd sanctorum inopiæ subueniendum est: hoc est, magnificè opitulandum opibus. Diuites namque, & qui opibus abundant, abundanter subuenire debent: indecens namque est magna habentem, minima tribuere. At quid dices, si nulla dederint? Malè fecit Antigonus Rex pauperi Cynico talentum petenti denegare, & rursus denarium postulanti non tribuere: respondens primò plus esse, quàm Cynicum deceret petere; deinde minus esse, quod Regem dare, conueniret: cum potuisset dubio procul, vt Rex dare talentum, & vt pauperi denarium Cynico. Optimè fecit Alexander, cum daret ciuitatem cuidam, & dicenti, non conuenire ciuitatem humili suæ fortunæ: respondit, Non quæro quid oporteat te accipere, sed quid deceat me dare. Dictum certè, factumque tanto Principi congruum. At qui non sunt diuites, secundum quod aliquid supererogari possunt: debent & subuenire sanctorum inopiæ. Nihil quærit Christus, nisi quod potes. Magis respicit eum, qui dat parua magnificè, qui Regum opes æquat animo, qui exiguum tribuit, sed libenter: quàm qui dans magnum, vel distulit, vel superbè dedit: vel ambitione, & inani gloria contulit, vel inuitè, & non libenti animo dedit. Non est gloriosum, quod ab inuito, & tergiuersante fit. Hilarem datorem

Lib. de Amicitia.

Discrimen inter opes, & diuitias.

Antigoni Regis auaritia.

Alexandri Magni liberalitas.

Christus querit quod potest homo.

Ad Corinth. 1. cap. 7.

Digitized by Google

torem diligit Deus. Subueni igitur & tu magnificè sanctorum inopiæ, nam etsi virtutes ostenderis tuas, nempe liberalitatem, & misericordiam: fructus tamen ex hoc consurgens, erit maximus; societas scilicet tui cum Deo: qua non potest reperiri maius. Quandoquidem pro eleemosynis sanctorum inopiæ tributis, tribuunt sancti orationes Deo: per quas contingit societas eorum cum ipso. Sed primò fouere pauperes in vniuersum præcepit, nunc specialiter sanctorum pauperum inopijs subueniendum: hoc est eorum, qui Dei seruitio mancipantur in sempiternum. Crede mihi, non ob aliud, nisi quod si eleemosyna vnicuique facta sit magna apud Deum meriti: ea tamen quæ pauperibus religiosis datur, maximi. Quandoquidem quod Dei seruis datur: immediatius Christo dari putandum est; nonnisi quia dignum exhibent Deo famulatum. Vnde & Saluator noster Iudam, & cæteros reprehendit Apostolos de vnguenti effusione in Christi corpore, contra Magdalenam murmurantes: pauperibus, & non Christo dicentes dari iuxta Euangelistarum authoritatem. Vt quid perditio ista vnguenti facta est? poterat enim venundari multo, quod & alij dixerunt trecentis denarijs, & dari pauperibus. At Magister noster Christus respondit, vt sinerent illam: quia & ipse pauperior cæteris erat. Innuens hoc futurum quoque in religiosorum personas, quorum & ipse erat figura, qui & cæteris pauperibus pauperiores extant: cum nihil proprij possideant, licet aliquid possidere videantur; omnia namque illis communia sunt. Itaque vt per Dei seruos tibi societas cum Deo contingat: eorum inopiæ subuenire non desinas.

Fructus ex eleemosynis religiosis datis.

Eleemosyna data religiosis, immediatius datur Christo.

Τὸν ἐκκλησίαν, ὡς οὐρανόν, πάτει, καὶ μηδὲν ἐν αὐτῇ μηδὲ λέγε, μηδὲ λογίζου γήϊνον.

PRÆCEPTIO LVII.

Ecclesiam non secus ac Cœlum frequenta: nihilque in ipsa seu loquere, seu cogita terrenum.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LVII.

DVo præcipit hic Author à nobis facienda, frequentare Ecclesiam; & inhabitare, seu conuersari dignè in illam. Primum præcipit, non secus illam frequentari ac cœlum: secundum verò, vt ipsam inhabitando, & conuersando: sermones, conuersationes, & cogitationes non sint terrenæ. Primum, rectè dicit, cum enim Ecclesia, quæ est fidelium vocatio, collectioque, typus sit cœli, vbi perpetuò cantabunt Sancti canticum nouum, quemadmodum & nunc in Ecclesia canimus; sed inæqualiter: sicuti in cœlo continuò inhabitant Sancti, & illud frequentant, ita Ecclesia à nobis quoque inhabitanda, & frequentanda est: vt si possibile esset continuò frequentare, quemadmodum & Cœlum Sancti: debeamus & nos sanctè frequentare, & inhabitare. Secundum admonet, quia dignum est, quinimò & iustum, quod si Ecclesia tanquam Cœlum reputanda sit: sermones, cogitationesque in illa sint etiam cœlestes; domus enim Dei cœlestis est. Verum quæ conuentio frequentationis Ecclesiæ ad Cœlum? Quomodo enim Ecclesia, vt Cœlum frequentanda, & inhabitanda est: cum Cœlum à nobis in hac vita nec frequentari, nec inhabitari possit? quinimo nec videri? Nam etsi videamus quotidie orbes reuolui, non tamen cernimus orbes propter raritatem suam, nec Cœlum sedem Dei, & Sanctorum habitaculum. At non temerè loquitur Author, sed consultissimò, Quemadmodum enim quocumque vertitur homo, vel semper Cœlum videt, vel saltem in medio Cœli manet; terra in medio mundi consistente: ita & Ecclesia à nobis frequentanda est, atque inhabitanda. Quasi diceret, sicut enim Cœlum nos semper videmus, quamuis vltimum oculis minimè attingamus: vel saltem vt in pluribus, vel in medio Cœli stamus: sic & videamus Ecclesiam, frequentando Ecclesiam; non à longe aspiciendo: & frequentantes, sermones non sint terreni, sed cœlestes. Indecorum quippe esset, ac impium: si quis ad Regis aulam admissus, vt eam viseret, ac frequentaret, quinimò vt inhabitaret: Regis benignitatem paruifaceret, sperneret præsentiam, aut videns, frequentans, & inhabitans, ea cogitaret,

Ecclesia cur, & quomodo frequentanda.

Quid sit Ecclesia.

Dubium.

Dubij solutio.

Sermones in Ecclesia nō terreni, sed cœlestes esse debent.

Digitized by Google

vel ſermocinaretur, quæ vel Regi diſplicerent, vel contra Regem eſſent, quid de hoc homine Rex ageret? à Regis certè palatio eijciendum iudicaret; quinimò vel carceri mancipandum condemnaret, aut vltimo ſupplicio puniendum. Optimum exemplum. Eccleſia aula Dei Regis eſt: in qua admiſſus à Rege, vt in ea habitares, eiuſque præſentia dignus factus, ea tamen cogitas, quæ Regi diſplicent, ea loqueris quæ contra Regem militant: eijcieris ergo ab aula Regis, carceri purgatorij mancipaberis: aut mortis æternæ ſupplicio punieris: quia nonniſi terrena, atque caduca cogitas, & loqueris. Frequenta igitur Eccleſiam, quæ eſt Dei Regis aula, non ſecus ac Cœlum: in ea tamen nihil terrenum, aut caducum loqueris, ſeu cogitabis.

Ἀναγκαίαν νομίζε τὴν αὐταρκείαν, παρέχωρεῖ δὲ τῷ θεῷ τὴν ὑπὲρ ταύτης μέριμναν.

PRÆCEPTIO LVIII.

Necessarium existima suis rebus contentum esse: permitte autem Deo eius rei curam.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LVIII.

Mundus gubernatur Dei prouidentia. NEceſſe eſt mundum hunc Dei prouidentia gubernari, etiam vſque ad minutiſſima quæque: Cum quia Dei cauſalitas ad omnia ſe extendit (eſt enim Deus totius boni vniuerſi cauſa, cuius perfectio eſt ordo rerum in finem) ipſeque cum propter finem agat (eſt namque agens per intellectum, quoniam prouidentia in intellectu eſt: & ſi præſupponat voluntatem finis) ac propterea oportet, vt in primo agente præexiſtat ratio ordinis omnium in finem: quæ ratio eſt omnium prouidentia. Quid enim eſt prouidentia iuxta Beatum Thomam, niſi ratio ordinandorum in finem? tum quoque quia omnia cognoſcit, cognitioque eius cum ad res comparetur, quemadmodum ad artificiata artis cognitio: ipſique ordini artis cuncta artificiata ſubdantur; ſequitur entia quælibet ordini ſubdi diuino, ac ideo diuinæ prouidentiæ. Male ſenſerunt quidã ex priſcis Philoſophis, & Poe-

Prouidentia quid ſit. p.p.q.22.per totum.

Digitized by Google

& Poetis, Dei prouidentiam negantes, omniaque à fortuna, & casu euenire dicentes: cunctaque fato ascribentes; nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulabant. Melius alij Philosophi, vt Plotinus, & Proculus Platonici autumarunt, & plerique alij, cuncta scilicet diuinæ subiacere prouidentiæ: idque naturali lumine: consonum quidem veritati Catholicæ. Scribitur namque quòd diuina sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: multaque similia diuinam prouidentiam probantia, in vtroque testamento reperies. Nec aliquid valet ratio Auerrois, quòd scilicet, diuinus intellectus vilesceret, si minima naturæ attenderet: non enim vilescit Sol, radios suos super lutum expandens, neque radij coinquinantur. Quòd si attuleris illud Iob, Nubes latibulum eius, & circa cœli cardines perambulat, nec nostra considerat: hoc nihil facit, cum fermo iste sit in persona stulti. Nec aliquid officiunt mala, quæ veniunt in orbe, cum ea Deus permittat propter bonum vniuersi conseruandum. Si enim mala omnia impediret, multa bona deessent vniuerso. Ideo cum sit vniuersalis prouisor, ad eum pertinet aliquos defectus permitti: ne bonum vniuersi perfectum impediatur; secus verò est de particulari prouisore: qui debet quantum potest, omnia remouere impedimenta. Similiter dicendum est de peccatis, quæ etsi secundum se considerata, sub diuina prouidentia minimè cadant: nihilominus tamen, vt sunt quædam entia, & actus quidam reales, sicuti sub diuina causalitate subduntur: ita sub diuina prouidentia; prout à Deo permittuntur, permissionem directè ordinans ad maius bonum. Prouidet igitur Deus cunctis rebus quæcumque sint illæ (excepto seipso, non enim in Deo est prouidentia vel circa seipsum, vel circa actus suos, cum non sit ordinabilis in finem, ipseque sit finis omnium) de omnibus curam habet: quibus sapientissimè prouidet, & immediatè, quo ad rationem rerum prouisarum in finem, cum solus, vt iam dictum est, in suo intellectu omnium rationem habeat: licet quo ad executionem non immediatè; cum inferiora per superiora gubernet ob suæ bonitatis magnitudinem; vtque creaturis quoque suæ causalitatis dignitatem communicaret: non tamen omnibus rebus necessitatem imponit, sed quibusdam. Cumque ita sit, nec oppositum esse possit,

Philosophi Dei prouidentiã confitentes.

Sap. cap 8.

Stulta Auerrois opinio reprobatur.

Cap. 22.

Mala quę veniunt in mũdo, propter qd euenũt.

Digitized by Google

cur tantum adhibes ſtudium in acquirendis rebus? cur anxietate afficeris magna pro congregandis diuitijs? cur ſollicitaris in multiplicandis bonis? ac ſi de Deo diffideres, ac ſi non eſſet prouidentia. ideo inquit Author, neceſſarium exiſtima ſuis rebus contentum eſſe: ſed permitte Deo tamquam ſcilicet vniuerſali prouiſori eius rei curam; quia Deo cura eſt de omnibus, quibus dubio procul iuxta opportunitatem, & vniuſcuiuſque neceſſitatem prouidet; & tanta rerum ſollicitudo diffidentiam erga Deum arguere videtur. At neſcis, quòd ſollicitudo etſi iuxta Ciceronem, ſit ægritudo animi cum cogitatione, iuxta tamen Diuum Thomam, quamuis ſit rationabile ſtudium ad aliquid conſequendum adhibitum, quod maius eſt, vbi eſt timor; minus vbi eſt ſecuritas; nihilominus tamen vt temporalia futura reſpicit, ſtudium irrationabile eſt, quo quæruntur futura tamquam fines; & citra præſentis vitæ neceſſitatem? Quare tripliciter illicita eſt. primo cum tamquam finem quærimus: ſecundo, ſi in eis procurandis ſuperfluum adhibetur ſtudium, vt retrahatur quiſpiam à ſpiritualibus: vltimo cum faciendo quis, quod debet: timet ne ſibi neceſſaria deſint. Ideo admonet Author, vt ſuis rebus quiſque contentus ſit: nec quærat aliud. ſi autem & tibi deſunt, iacta cogitatum tuum in Domino; & ipſe te enutriet. Dicebat inſuper Saluator, Nolite ſolliciti eſſe, dicentes, quid manducabimus: aut quid bibemus: aut quo operiemur: hæc enim omnia gentes inquirunt. Hoc eſt etiam quod dicit Author: neceſſarium exiſtima ſuis rebus contentum eſſe. ſubdit deinde Chriſtus, ſcit enim Pater veſter quia his omnibus indigetis: hoc idem quoque ſubdit Author, dicens; permitte autem Deo eius rei curam.

Sollicitudo quid. Lib. 4. Tuſc. quæſt.

22. q. 47. 9. ad 3.

Sollicitudo quotupliciter illicita eſt.

Matth. 6.

Κύλλα τὰ σάρκα ἀγαθοῖς πόνοις, παντέλως δ' αὐτὰν μὴ καταπαύσῃς φροντίδι.

PRÆCEPTIO LIX.

Carnem tuam debilitato bonis laboribus: penitus verò eam non domari poſſe exiſtima.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LIX.

NVllus pestilentior hostis est inimico domestico, & familiari: qui instar veneni occulè intus virus effudit; vt interficiat tandem. Melior certè est hostis apertus occulto: illud namque apertum, hoc celatum est malum; nocendique fraus potentior est. Maxima igitur prudentia, maximaque dexteritate agendum est, vt euitetur, & tandem vincatur: medijs quidem vti quis debet; quibus in agone bellatores vti solent contra hostes suos. Nam inter cætera pugnans quis in agone, si victor existere voluerit, victoreque palmam reportare, laboribus debilitare inimicum necesse est: quia sic vel minus, vel nihil offendetur. Inimicus tuus caro tua est, quæ tecum ambulat, tecum loquitur, tecum comedit, tecum conuersatur, tecum iaret, vt te tandem decipiat, & vincat. Cum ista ergo decertare continuo tibi conuenit: quia hostis interior, & domestica est. Igitur debilitare illam oportet, ne te aggrediatur, & vincat: vel saltem si contra te insurgere conetur: ob debilitatem deficiat tandem. Debilita igitur illam bonis laboribus, ieiunijs scilicet, abstinentia escæ, & potus: disciplinis, orationibus, vigilijs, exercitio, similibusque sanctis operibus: non autem destruas; nam existima eam penitus domari non posse. Corporis namque debilitas nimia etiam vires animę frangit, (vt inquit Hieronymus) mentis verò ingenium marcescere facit; sed quicquid cum modo, & temperamento fit: salutare est. Dicebat Plautus in pœnulo: modus omnibus rebus optimus est habitus, nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se. Et verè in spiritualis conflictu agonis vitia extinguenda sunt, non caro: quæ tantum edomanda est, quantum ferre potes. Nam si atteris pluſquam vales: inordinatus es. Vide igitur ne principetur, ne rationem superet, sed sit mentis ancilla; in summa, discretionis moderamine, cura carnis seruanda est. Ideo dicit Author, debilitandam esse carnem, non destruendã: quia penitus domari non potest. Sed quid? ne dum in naturalibus, sed in moralibus quoque extrema vitiosa esse dicuntur: medium autem virtutis opus. Dicebat Aristippus, quòd non qui penitus abstinet, moderatur

Hostis apertus melior inimico domestico.

Nota.

Caro quibus domanda.

Caro edomãda est, vt vitia extinguãtur.

Digitized by Google

tur voluptati: sed qui hoc modo vtitur, vt non abripiatur
Exemplum optimum. cum ipsa; quemadmodum naui, & equo moderatur, non qui non vtitur, sed qui quo libuerit, ducit. Ergo bonis laboribus carnem tuam debilitare necesse est: penitus eam verò domari, impossibile est.

Πίνε τοῦ οἴνου ἐλάχιστον. ὅσον γὰρ κολοβοῦται σῶμα τοσοῦτον ἀνίσχυρος.

PRÆCEPTIO LX.

Vinum bibe valde modicum, quantum enim corrobat bibentes: tantum etiam offendit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LX.

Præceptionis xvij. DE vini præstantia, atque nobilitate vtcumque à nobis superius tactum est: nunc quoque dicemus, quod vinum quamuis corpus nutriat: calorem viuificet: morbos expellat: clarificet sensum: lætificet mentem: si tamen modus absit, omnia in contrarium operari necessum est. Nam copiosius haustum officit stomacho, cerebrum vapore debilitat, digestionem impedit: eneruat vires, prohibet ciborum appetentiam, adurit sanguinem, & hominum colorem pallore exornat: remollit membra, neruorum torporem, tremoremque adfert: causat algorem, somnumque auocat, omniumque infirmitatum causa est. Quinimò obtundit mentis aciem, ingeniumque euertere facit: & vt dicit Plinius, omnium rerum obliuio, morsque memoriæ ab illo procedit. sed quod officit, est, quòd à vino procedit ebrietas: quam paruam insaniam vocauit Chrisippus; quæ omnium flagitiorum mater est: dedecus vitæ, infamia honestatis, & animæ corruptela. In exemplum sit nobis sanctus ille Noe, qui inter tot solus coram Deo inuenit gratiam cum tota domo sua, ne diluuio summergeretur: Egressus tamen ex Arca, cum plantasset vineam, & bibisset: nudatus iacuit; sicque ad vnius horæ ebrietatem femoralia nudauit sua, quæ per sexcentos annos contexerat. Ideo prohibet Author, & rectè nimiam vini potationem,

Vini copiosius hausti nocumenta.

Lib. 14.

Ebrietatis malignitas.

Genes. c. 9.

Digitized by Google

nem, ne dum ob multa mala, quæ, propter sumptionem eius incurrit homo quo ad corpus? sed etiam quo ad animam. Quia & si corroborat, obest: & quantum corroborat, tantum offendit. Mores nempe bonos corrumpit omnino, & (vt inquit Origenes) est omnium vitiorum origo. Quid turpius coriosо? inquit Innocentius Papa, cui fœtor in ore, tremor in corpore: qui stulta promit, occulta prodit, etiam sua: cui mens alienatur, facies transformatur? Benedicebat Zeno, virum bonum non futurum ebrium. Ebrietas castitatis est naufragium, vnde prohibebatur mulieribus Romanis bibendum: de quo Paulus testabatur, dicens; Nolite inebriari vino in quo est luxuria. In vino quidem est luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia: in omnibus his mors animæ. Quare Diuus Hieronymus habet, quòd qui luxuriatur, viuens mortuus est: qui autem inebriatur, & mortuus, & sepultus. Quid igitur faciam, dices, vt me innoxium à vino, atque immunem conseruem? Author docet, vt vinum bibab valde modicum. sic enim modicè sumptum, acuit ingenium, & intellectui videtur afferre acumen, atque omnium virtutum sit mater. E contra autem, rationem perturbat, eneruat memoriam, obliuionem immittit, &, vt inquit Boetius, infundit errorem, ignauiam producit, multaque alia mala corpori impartitur. Ideo Author subiungit, quantum enim corroborat bibentes, tantum offendit. Anacharsis Scytha inquiebat, vitem vuas tres ferre: primam voluptatis, secundam ebrietatis, tertiam mœroris. Innuens vinum nullo modo bibendum, quo aufugere possis & voluptatem, & ebrietatem, & mœrorem: vel saltem vnam tantum vuam, nempe voluptatis: ideſt semel bibendum. Sed & Lucius Apuleius medium affert, sapientis cuiusdam viri super mensam celebre dictum allegans. Prima (inquit) cratera ad sitim pertinet: secunda ad hilaritatem: tertia ad voluptatem: quarta ad insaniam. Innuens tres tantum crateras posse bibi: nam vltima ebriorum est. Vtere igitur vino modico propter stomachum, quemadmodum Paulus Apostolus admonuit Timotheum: & Oxomensis Episcopus Beatum Dominicum: aliter perditio corporis erit, & animæ.

Homilia 37. De miseria hominis.

Ad Eph. c. 4.

Epist. 83.

Lib. de schol. disciplina.

Lib. 3. florid.

Nota.

Digitized by Google

Κώλαζε τὸν θυμόν. μανίας γὰρ ἐστὶ πατὴρ, τὸ μέτρον ἐν ἐρεθισμοῖς.

PRÆCEPTIO LXI.

Iram compesce: insaniam enim parit modum excedens.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXI.

Delinquens quibus subditur.

OMnis delinquens vel iudicio subditur, vel consilio, vel pœnæ. Iudicio, dum causa discutitur: consilio, dum sententia pronuntiatur: pœnæ, dum sententia exequitur. Nam omne delictum primò iudicatur: secundò consiliatur: tertiò sententiatur. Cum igitur tripliciter soleat homo irasci, nutu, voce, verbo: nutu, dum irascentis animũ aliquando ostendit, intus tantum excandescens: voce, dum aliquis foris exprimit, sed imperfectè: verbo, dum in maledictionis iaculum linguam vertit. Ideo tripliciter fit quis reus ob iram, iudicio scilicet, consilio, & pœna. Iudicio, ob animum iratum: consilio, ob iræ vocem: pœna, ob verbum vocis. Quare prohibetur à Domino ne quis sine causa irascatur fratri suo. Nam talis quia irascentis animum demonstrauit, reus erit iudicio: qui autem dixerit racha, reus erit consilio; quia voce foris aliquid expressit: qui verò fatue, reus erit gehenna ignis; quia in maledicta versus est. Vide igitur iræ pœnam, mulctationemque. Author verò noster iram præcipit compescendam non à punitione, quæ futura est, & remotè cernitur: sed ab effectu, & punitione propinquiori. Inter enim alia quæ efficit, insaniam parit: modum excedens. Ira namque etsi formaliter sit appetitus vindictæ contra eum, à quo quis se iniquè putat læsum: materialiter tamen non est, nisi feruor eius qui circa cor est sanguinis, fellis vaporatione, vel perturbatione; ex quo insaniam sequi, necesse est. Ideo dicebat Diuus Gregorius, quòd iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti, ore quidem clamorem format, sed intus quid loquatur, ignorat; omnia quidem insaniæ præludia. Igitur compescenda omnino est:

Iracundus quotupliciter fit reus.

Matth. 5.

Ira quid.

Lib. 5. moral.

Iræ effectus.

quando-

Digitized by Google

quandoquidem aucta insaniam gignit, dictum Authoris, & omnium sapientum etiam Epicuri Ethnici, & certè verissimum. Non enim vbi furor, ac iracundia efferuescunt, locus consultationi relinquitur: quia mens perturbatione, atque excandescentia maximè affecta: verum cernere non potest. Igitur si sapiens esse cupis, compesce iram: sapientis enim est, non irasci, vbi non oportet. Quod si prouocaris, suffer: quia magnanimi est omnia sufferre. si autem sufferre non poteris, effice, vt sit non impediens, neque præueniens rationis iudicium: sed ex zelo, vt fuit ira Christi eijcientis negotiatores è templo. licet namque irasci, sed animaduerte, ne irascendo pecces: specialiter autem ira vinci debet patientia, (vt inquit Chrisostomus) sicut enim ignis materia sunt ligna, quia nonnisi lignis ignis fouetur: sic verba in ore esca sunt illius, quia nonnisi verbis ira nutritur. sed quemadmodum ignis non igne, quia symbolicus, (in symbolicis enim facilior est transitus) sed aqua vt contraria sibi extingui potest: ita ira non ira, quia symbolica, sed patientia abduci potest: prouerbio namque dici solet: durum patientia vincit. At nescis iræ effectus quamplurimos, & pernicioſos? ignoras quanta ob iræ dominatum amittuntur bona. Per iram certè amittitur patientia virtutum omnium custos: intelligentiæ lux subtrahitur: mens perturbatur: iustitia relinquitur: differitur humanæ vitæ societas, & concordia: mansuetudo elongatur: & quod officit, teste Diuo Gregorio, per iram Spiritus sancti splendor excutitur, qui super humilem, & quietum requiescere dicitur. Compesce igitur iram patientia, secus modum excedens, multa perdes bona: præcipuè verò cum dedecore, & damno te insanum efficiet.

Super Matt. homil. 18.

Ira quibus nutritur, & quibus extingui tur.

Iræ malignitas.

lib. 5. moral.

Ἐν ταῖς νόσοις τῇ προσευχῇ πρὸ τῶν ἰατρῶν καὶ φαρμάκων κέχρησο.

PRAECEPTIO LXII.

In morbis oratione prius, quàm medicis, & pharmacis vtere.

M SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXII.

In lib. de edicto ædilium currul. Lib. 4. cap. 2. noct. attic. Morbus qd.

MOrbus etsi iuxta Socratem sit corporis perturbatio, iuxta Labeonem Iurisconsultum, Cecilio Sabino teste ex Aulo Gellio, sit habitus cuiusque corporis contra naturam, qui vsum facit deteriorem: ita vt morbus sit cum accessu, discessuque; vt febris, insania, & cæt. differens à vitio semper eodem morbo se habente, vt cœcitas, claudicatio, gibbositas, & cæt. accipitur tamen hoc in loco pro quacunque corporis infirmitate. Quocirca cum in morbo tria sint grauia, mortis metus: dolor corporis: & intermissio voluptatis: hæcque non semper medicorum diligentia, pharmacorumq; virtute aboleantur: non enim semper medicus sanabit, sicuti Lib. 1. Topic. non semper rhetor persuadebit, vt ait Aristoteles, dat documentum Author, recurrendum esse prius ad orationem: quia Deus oratione propitiatur omnibus iniquitatibus nostris: Infirmitates precibus sanantur. precibusque sanat omnes infirmitates nostras; interceſſioneque concedit, quicquid petitur. Quod si tardat dare, non est quòd non vult dare, nam liberalis est Dominus, & potest dare, & dabit: sed differt, vt in petitione perseueres: delectatur enim in oratione perseuerantia. Differt, quia diu desiderata dulcius obtinentur: obtenta verò charius possidentur: cito autem data, vilescunt. Quòd si legeris, & in ore omnium ferè versatur, qui cito dat, bis dat: in humanis verum est, & seruata proportione intelligenda est propositio. Nam, vt inquit Lib. de Creatione. Diuus Augustinus, seruat tibi Deus, quòd non vult cito dare, vt & tu discas magna magnè desiderare. Igitur in morbis oratione prius vtendum est: deinde ad pharmaca, & medicos Eccles. 38. est recurrendum. scribitur enim, Honora medicum propter necessitatem: propterea enim creauit eum Altissimus. At quia anima, mensque aliquando ægrotat, eiusque ægrotatio peior Anima ægrotans quomodo sananda. est corporea, duo à te facienda sunt, quæ medici in medendis corporibus efficere solent. Nam primo remouent morbum: secundo ad perfectam promouent sanitatem. Remouendo morbum curant sæpissimè contraria contrarijs, nempe calida frigidis, & frigida calidis: promouendo ad sanitatem perfectam, dant præseruatiua, adhibent antidota; Ita & tu fac simi-

Digitized by Google

similiter. Remoue in primis morbum: expelle peccata. sed remouebis quidem, & expelles: si lubrica continentia curaueris, tenacia largitate: iracunda mansuetudine: elata humilitate. Deinde adhibe præseruatiuam medicinam, præserua te à peccatis fuga, adhibe antidota præceptorum obseruatione: sicque immunis à spirituali infirmitate prorsus rederis. Cæterum in vtroque morbo oratione vtere. Quemadmodum enim medici omnes pecunijs placantur in morbis: ita Christus verus medicus animæ, & corporis, in vtroque deuotis orationibus.

Οὗτο ἱερεῖς πάντας μὲν τίμα, τοῖς ἀγαθοῖς δὲ προσέχε.

PRÆCEPTIO LXIII.

Sacerdotes omnes honorà: bonis verò tantum conuersare.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXIII.

NVlla natio quæcumque sit illa à sua primeua conditione aliqua Religione caruit, siue bona, siue mala. summum namque priscis hominibus studium fuit, & seruandæ, & augendæ Religionis. Quæ vt seruaretur, propagareturque ex hominibus selectos quosdam tamquam præcipuos, & summos constituebant: quos publico alebant ære, ac tamquam Deicolas venerabantur, vtq; alijs præessent, lege sanciebant. In scripturis sacris legimus de Melchisedech Rege Salem, & sacerdote antiquissimo: de Aegyptijs sacerdotibus à publico alitis, & in magna veneratione habitis: de Hebræis qui & Reges vngebant, & illis præerant: in prophanis historijs itidem multa leguntur. At singula enarrare non est præsentis negotij. legimus tamen Aristotelem scripsisse, oportere in ciuitate aliquos esse curam Deorum habentes, scilicet sacerdotes: sed in vrbe Roma decem Principum filios Senatusconsulto singulis Hetruriæ populis percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia traditos; tantum illis inerat studium & amplificandæ Religionis, & tuendæ. Omnis natio aliqua religione fuit. 6. Politic.

Digitized by Google

Christiana Religio illustrior cæteris.

Verum enimuero in Christiana Republica, & nobilior Religio, & illustrius sacerdotium apparet ob Christi Saluatoris nostri veræ Religionis institutoris, Regis Regum, & Sacerdotum omnium summi Sacerdotis, insigne propemodum, & augustius sacerdotium: qui suo pijssimo aduentu illud fundauit, consecrauit, auxit, fœcundauit, nobilitauit, supra Reges constituit, quacumque dignitate illustrius declarauit, manifestauitque. Nulla quidem comparatio cerni potest inter priscum sacerdotium, & nostri temporis. Nam vel superstitiosum illud cernes, quo ad Gentiles attinet: vel in huius figuram conditum perspicies, vt Hebraicum. Nostrum verò legitimum sanctissimum, plenissimumque pietatis, & fidei, purum, integrum, incorruptum, illustrem, ac augustissimum videbis. Quapropter Sacerdotes omnes in magno honore habendi sunt, cum sit genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: damnationemque sibi acquirunt maximam, qui eos vel contemnunt, vel eorum præceptis non paruerint. Quis enim illis se parem esse credet, à quibus scit non solum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse, & solui? Plautus Ethnicus in Rudente dicebat: Quis est homo tanta confidentia, qui sacerdotem violare audeat? Quod si dixeris, non omnes bonos, dat regulam Author cum bonis tantummodo conuersandum esse: malos verò, & bonos omnes honorandos. Nec mirum, necesse est enim ob hominum bonitatem, & malitiam, duas quoque in mundo reperiri ciuitates: vnam Dei, alteram Diaboli. Prima legitima est: secunda tyrannica, ac ob peccatum constructa. Vtrobique reperiuntur ciues, in prima boni: in secunda mali: & vtinam in Diabolica non ex nobis, qui altari seruimus. Tu verò si quos huius generis similes inspicis, deuita: bonos amplectere, omnes honora. Non enim dubitandum est, Sacerdotes Christi, licet ex eis plerique Diabolo deseruiant peccatis; Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magistros censeri. Nam siue bonus, siue malus sit sacerdos, omnes Sacramenta perficiunt: quia non in merito sacerdotis, sed in verbo Creatoris perficiuntur, & Spiritus sancti virtute. Vnus namque & idem Spiritus sanctus in Ecclesia per totum terrarum orbem diffusa incomprehensibiliter (vt inquit Gregorius) ea mysteria occultè, latenter, atque inuisibiliter, & ope-

Sacerdotes omnes in honore habendi sunt.

Sacerdotum dignitas.

D. Greg. ad Herm. Meten. Episc. & habetur dist. 96 can. Quis dubitet.

Et habetur 1. q. 1. multi secularium.

Digitized by Google

& operando sanctificat, & sanctificando, benedicit. Quare & Diuus Augustinus pluries docuit, quod intra Ecclesiam Catholicam in ministerium corporis, & sanguinis Domini, nil à bono maius, nil à malo minus perficitur sacerdote: quod & de reliquis Sacramentis intelligi quoque debet. Igitur si ex sacerdotibus aliqui sint improbi, aliqui verò boni: malos ob improbitatem deuita: bonos ob vitam exemplarem amplectere: omnes ob dignitatem honora. Quia mali vt mali fugiendi sunt, boni vt boni amplectendi: boni verò & mali ob dignitatem honorandi.

In de Doctr. Christ. & in lib. de corp. Domini. & habetur 1. q. 1. cap. intra.

Ἄγιασε τοῦ θεοῦ οὖτο οἶκος, οἶκον θεοῦ καὶ σαυτὸν κατασκεύασον.

PRÆCEPTIO LXIIII.

Venerare Dei domum: domum verò Dei etiam te ipsum effice.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXIIII.

TRiplex est templum Dei; Vir iustus: Ecclesia: & cor. Vir iustus, quia scribitur: Templum Dei sanctum, quod estis vos. Ecclesia, cum quoque scribatur: Elegi enim, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum. Cor denique, quia alibi dicitur à Deo; Ego sto ad ostium, & pulso: si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum: & cœnabo cum illo. Vnumquodque horum illustri quodam decoratur altari: Nam & templa altaribus, vt par est, exornata videmus. Vir iustus corde, Ecclesia Christo, seu Fide Christi: cor verò misericordia. Vir iustus corde, quia quemadmodum ex corde prauo exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, & similia, nonnisi quia cor prauum altare est Diaboli: ita ex corde optimo exeunt cogitationes bonæ, amor proximi, castitas, eleemosynæ, veritas, & Dei laudes; ad Deum ipsum tamquam ex altari quodam ascendentia; quemadmodum ex materiali ara sacrificia, incensa, holocaustomata, & pleraque huius generis similia

2. Paralip. cap. 7.

Apocalips. cap. .

Triplici altari decoratur triplex templum Dei.

Digitized by Google

Altare vniuersalis Ecclesiæ.

similia ascendunt Deo. similiter & Ecclesiæ totius orthodoxæ altare, Christus est: cui omnia offeruntur: seu Fides Christi, qua Ecclesia ipsa stabilitur, atque firmatur. Misericordia itidem altare est cordis, cum ex toto corde miseremur proximorum: quemadmodum & Deus nostri miseretur. Venerare ergo primum Dei templum, quia anima iusti sedes est Dei; venerare secundum Fidei firmitate, orationum frequentia, adoratione Christi, & deuotione Sanctorum: venerare tertium desiderio cœlestium, & misericordia proximorum.

Materiali templo præstantius est spirituale.

Verum enimuero cum spirituale templum præstãtius sit corporali, libentiusque ipsum inhabiter Deus, cum in illo nobilius adoretur, sacrificia quoque illustrius offerantur: in illo denique operetur, in ipsum descendendo, & sanctificando. Effice te ipsum quoque Dei domum, vt tanto hospite decoreris; tantaque Maiestate nobilitari possis.

Εἰς τὴν ἐκκλησίαν σύχναζε. θορύβων γὰρ ἡμᾶς καὶ ζάλης ἀπαλλάττει τῶν ἔξωθεν.

PRÆCEPTIO LXV.

In Ecclesiam frequenter venias: à perturbationibus enim, & fluctuationibus exterioribus liberare nos solet.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXV.

Elemẽta tractabilia ab homine.

INter elementa omnia duo sunt ab homine tractabilia: terra, & aqua. Nam aer volatilibus datus est: ignis verò ob vim suam magnam inhabitabilis redditur: & si non desint multi, animalia quædam in igne viuere posse, opinantes. Terra igitur vel pedibus deambulatur, vel equis: mare verò nonnisi nauibus, similibusque. Inter hæc duo itinera periculosius est maritimum terrestri. scribitur namque, qui nauigat mare: enarrat pericula eius. Et verè quis hominum est, qui cum pluries mare tranatauerit, tempestates non passus sit, fluctuationes itidem, & ventos aduersos; vt aliquando omnis

Ecclesiastic. 44. Maris nauigatio periculosa.

Digitized by Google

omnis ſpes ſalutis ſit ab eo ablata? Ideo Pittachus Philoſophus inquiebat: Fidelis terra, mare verò infidum eſt. Et quidam alius, mare enauigantem, à morte tantum diſtare aiebat, quantum nauis ſummitas ab aqua diſtaret. Hanc ob cauſam valde timendum eſt mare, ob plurima eius pericula, & certa. At mundus immundus magis timendus eſt, quia mare: iuxta illud, Hoc mare magnum, & ſpacioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus: quia perturbationibus, fluctuationibus vndique plenus eſt. Ecquis non ſentit mundi huius anguſtias, perturbationes, calamitates, confuſioneſque. Nullus certè hominum, quicumque ſit ille, ſiue bonus, ſiue malus à mundi huius calamitatibus immunis eſt. Igitur ſi ab huius anguſtijs liberari deſideras, recurre ad Chriſti Eccleſiam, naue, temone, & vela. Naue Fidei, temone Spei, & vela Charitatis. Quandoquidem fluctibus nec mundanis, nec diabolicis quateris ob Fidem, nec vitiorum tempeſtatibus commoueberis ob Spem: ſed tanquàm in portu reficies vela cogitationum tuarum ob Charitatem. Nam & hæc bona ſpiritualia ad Eccleſiam peruenerunt, vt omnium eſſent adiumenta fidelium contra ſpirituales nequitias in cœleſtibus: quorum nunc tenet imagines poſſeſſura perenniter virtutes in cœlo. Sed dices, Eccleſiam fluctuationes, perturbationeſque continuo pati, quomodo igitur ad Eccleſiam recurrendum eſſe præcipit Author ob quietem, & pacem: quia à perturbationibus, & fluctuationibus liberare nos ſolet, ſi ipſamet fluctuat? Sed dicendum eſt, Eccleſiam formaliter ſumptam, quamuis patiatur, & tribuletur, numquam tamen mergi poſſe: ſed vſque ad finem mundi ſine defectu perduraturam, author eſt Chriſtus, dicens: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Quinimo Eccleſia martyrum ſanguine ineraſſatur, perſequutionibus proficit, augetur afflictione, erigitur triſtitia, dilatatur anguſtia: & (vt inquit Caſſiodorus) de ſuis cladibus mirabiliter triumphat. paſcitur fletibus, reficitur ieiunijs, & deinde potius creſcit, vnde mundus deficit. ſed & de hac non loquitur Author: licet & de illa intelligi poteſt, quod dicit. Verius tamen de materiali Eccleſia ad quam confugientes, liberantur ſæpè ab exterioribus perturbationibus, fluctuationibuſque. Quandoquidem reficitur mens præſentia Chriſti, abſtrahitur intellectus cœleſtium contemplatione:

Mundus mare eſt. Pſalm.

In Eccleſia reperitur quies.

Eccleſia tribulationibus proficit. Super Pſal. x.

Hominis vtilitates confugientes ad Eccleſiam.

Digitized by Google

tione: leniuntur ſenſus obiectorum ſuorum intuitu myſtica ſpiritualitate: inclinatur voluntas Dei beneplacito: abducitur anima à terrenis: cõtemplatur æterna: paruipendit mundana: deflet peccata: abhominatur iniqua: vacat deuotioni: proponit facienda bona, inſequi virtutes: deteſtari vitia omnia. Hinc quies oritur menti, pax animæ, requies homini. Bene itaque dicit Author, vt ſi à perturbationibus, & fluctuationibus exterioribus liberari deſideres: in Eccleſiam frequenter venias.

Ὅσα ἐν τῇ γῇ πρόσκαιρα, μήσε τῶν λύπην τόχῳ ῥιζόμενον.

PRÆCEPTIO LXVI.

Quæcumque in terra ſunt, temporanea exiſtunt: ne te ergo perturbet, quod tibi aufertur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXVI.

Mũdana omnia tempori ſubduntur.

OMnia quę ſubtus cœli ambitu oriri, naſciq́ue videntur: tempori ſubiecta eſſe exiſtima. Nam quæ ſupra cœlum extant, ſupra tempus neceſſe eſt eſſe, cum tempus ſit in primo cœli motu, ſicut in ſubiecto, & primo menſurato: vnde & habent permanentiam ſempiternam. Tempus autem cum ſit numerus motus ſecundum prius, & poſterius, prioritatem, & poſterioritatem in rebus efficiet; ita vt quæcumque in terra exiſtãt, temporanea exiſtere oportet: vnde & motui ſubiecta, igitur & varietati, & mutabilitati. Quare tempora ipſa cum motu labantur, temporanea quoq; tempore fluant, conſumanturq́ue, terrena omnia, ſiue honores, ſiue dignitates, ſiue potentię, ſiue fortitudo, ſiue ſanitas, ſiue pulchritudo, ſiue poſſeſſiones, ſiue diuitiæ, ſimiliaq́; bona, vel corporis, vel fortunæ, vel pleraque animi, vel alia quæ in mundo ſunt: temporanea exiſtere neceſſum eſt: Nihil enim eſt, quod à tempore non dometur. Quare & Ouidius Poeta cecinit.

Artis lib. 1.

Tempore difficiles veniunt ad aratra iuuenci,
Tempore lenta pati frena docentur equi.

Ferreus

Digitized by Google

Ferreus assiduo consumitur anulus vsu.
Interit assidua vomer aduncus humo.
Quid magis est durum saxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Et idem alibi cantu prompsit. De Ponto lib. 4. Eleg. 8.

Tabida consumit terram, lapidemque vetustas,
Nullaque res maius tempore robur habet.

Igitur cuncta corruptioni obnoxia, & dilapidationi erunt. Igitur ne perturberis, si quod à fortuna heri accepisti, hodie mundus tibi auferet: quia cum mundus instabilis sit ob temporum lapsum, instabilia quoque erunt omnia in mundo existentia, & corruptibilia: Ergo perturbet te si bonum, quod tibi aufertur, sit æternum. Hoc dubio procul perturbare te debet, quia numquàm desinit, quia supra tempus, quia propinquum æternitati: quinimo ipsa est æternitas. Quod & si totum mundum quoque possideres, perspice, mundum ad cœli spatium puncti quidem rationem obtinere: sicut astrologicis demonstrationibus apertè ostenditur: ergo prope nihil. Igitur nihilo perturbaberis? perturba te, si quod tibi aufertur, sit æternum.

Homo dolere debet, si quod sibi aufertur sit æternum.

Ὅταν σοι λογισμὸς ἡδυπαθείας ἐγγένται, ἀντίστησον αὐτῷ τὴν τῶν ἀνθρώπων μαιχμήν, καὶ τὴν τοῦ θεοῦ πρόσκρουσιν.

PRÆCEPTIO LXVII.

Quando te voluptatis affectus inuaserit: oppone ipsi metum hominum, & Dei offensam.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXVII.

PRona est hominum ætas ab adolescentia sua ad voluptates, illecebrasque omnes: nec fieri potest, nisi Dei auxilio speciali, cõsentiente etiam eius libero arbitrio, præseruetur: quin ad ipsas feratur, permanente natura corrupta ob primorum parentum peccamina, quibus & posteros omnes miserabiliter infecit. Et quamuis per peccatum natura humana

Hominis inclinatio ad voluptates.

N omnino

Digitized by Google

omnino corrupta non sit, ac proinde neque toto naturæ bono priuata: ea tamen conditio eius est, vt omnia illa opera quibus peccator tendit, & disponitur ad iustitiam, & gratiam iustificantem vel mediatè, vel immediatè absque Dei auxilio speciali nequeunt fieri: quinimo homo in statu naturæ lapsæ non potest sine speciali Dei auxilio bene moraliter operari semper, neque vt in plurimum: potest tamen sine auxilio speciali tantum suis viribus adiutus bonum aliquod morale operari; sed rarò, & difficulter; quia per naturę facultatem adimplere potest mandata quantum ad substantiam operis. Quod quidem intelligi debet de naturæ præceptis, & de quibusdam, non de omnibus. Potest quidem homo in hoc misero, & infœlici statu aliqua præcepta legis naturæ obseruare per vires suas: non tamen omnia sine Dei gratia adiutrice quo ad substantiam operum. Quid quod non potest in hoc statu ex viribus naturæ, suique liberi arbitrij diligere Deum super omnia dilectione naturali, cum volũtas hominis propter corruptionem naturæ sequatur bonum priuatum, nisi sanetur per gratiam? At si non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, iuxta D. Apostoli Pauli doctrinam, sufficientia verò ex Deo est: quomodo à voluptatis affectibus sine Dei gratia liberi erimus? Quamobrem ipsemet clamabat. Infęlix ego homo quis me liberabit à morte corporis huius? & respondet; Gratia Dei per Iesum Christum. Prona est igitur hominum ætas ad voluptates ab adolescentia sua, quæ per gratiam Dei vtique compesci possunt. Quando verò illarum affectus insurgunt, nam insurgere possunt, cum in nobis remanserit fomes, & insurgunt continuo; nam & Diuus Paulus dicebat, Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; pro his sedandis, reprimendisque, ne quis sic facilè peccet, duplex remedium dat Author: primum hominum metum: secundum Dei offensam. Hominum metum primo ponit, quia sunt plerique qui propter hominum timorem, ne scilicet videantur, ne iniqui reputentur, tandem propter mundanum honorem à sceleribus retrahuntur. Ideo anteponit metum tamquam id quod propinquius est homini: ponit deinde Dei offensam, vt homo voluptatum affectibus dum considerat offendi Deum creatorem, redemptorem, gubernatorem, benefactorem, iudicem, premiatorem, & puni-

Opera vitæ æternæ meritoria absque speciali Dei auxilio nequeunt fieri.

Quid potest homo facere in statu naturæ lapsę.

2. ad Corint. c.

Remedia ad compescendos voluptatis affectus.

Digitized by Google

punitorem, si illis acquieuerit: ex huiusmodi speculatione retrahatur ab excessibus. Igitur benefacies, si voluptatum affectibus inuasus, metueris homines, paueriscque offendere Deum: tunc enim omnes cessabunt, liber itidem eris ab his angustijs.

Ἀσφάλιζον τὴν ἀκοὴν, καὶ οὗτο ὀφθαλμούς. δι' αὐτῶν γὰρ πάντα τὰ εἴλη ῥᾳδίως εἰσέρχονται.

PRAECEPTIO LXVIII.

Munito auditum, & oculos: per illos enim omnia tela malitiæ ingrediuntur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXVIII.

Senſus exteri qui.

QVinque esse sensus externos iuxta modos immutationum ab obiectis, neminem ex Philosophis credo latere; visum scilicet, auditum, odoratum, gustum, & tactum. Visus est quo colorata percipiuntur spirituali immutatione tantum. Auditus quo soni percipiuntur, spirituali, & naturali immutatione ex parte obiecti, causati ex percussione, & aeris commotione. Olfatus quo odores percipiuntur spirituali quoque, sed naturali immutatione secundum alterationem. Est namq; odor natura quædam in humido ab enchymo sicco impresso, iuxta Aristotelis doctrinam. Gustus quo sapores percipiuntur spirituali immutatione, sed naturali ex parte organi secundum præambulam qualitatem. Est enim sapor passio humidi à sicco, medio calore, alteratiua gustus de potentia ad actum, iuxta Aristotelis etiam placitum. Sed Diuus Thomas quoque saporem consistere docet in humido aqueo aliqualiter digesto, sicut odorem in sicco aereo aliqualiter contemperato. Tactus autem est qui tangibilibus percipiuntur spirituali, sed naturali immutatione ex parte organi secundum eandem qualitatem. Est enim tactus sensus eorum ex quibus componitur animal, & per quæ corrumpitur, iuxta B. Thomam. Verum & inter hos quinque duos præcellere,

Visus. Auditus. Olfatus. Odor quid. Lib. de sensu, & sẽsato. Gustus. Sapor quid. L. 2. de anim. Lect. 19. Tactus. Sensuum qui præstantiores.

Digitized by Google

viſum ſcilicet,& auditum,& huic cũ reliquis viſum, omnibus in manifeſto eſſe mihi perſuadeo. Quandoquidem viſus cum ex parte immutationis, tum quoq; ex parte obiecti, ſpiritualior,ſubtilior,perfectiorq; cęteris ſenſibus perpẽditur. Plures namq; rerum differentias nobis demonſtrat, extenditurq; ad ſignificandum omnem intellectus, & ſenſuum cognitionem ob ipſius dignitatem,& certitudinem. Sed & viſus, & auditus præſtant etiã cæteris prout hic diſciplinæ,ille verò inuentioni deſeruit;vterq; enim diſciplinabilis eſt. Muniendi tamen ſunt hi ſenſus ne prauè diſciplinentur,nam & his munitis muniuntur & reliqui: praue verò diſciplinatis defluunt, & cęteri omnino. Quælibet enim tela malitiæ per illos ingrediuntur, per aures ſcilicet detractiones cum appendicibus, per oculos omnia peccata. Oculi namque (vt Seneca ait) ſunt vitiorum omnium irritamenta,duces ſcelerum: huic adulterium miniſtrant: huic domum, quam concupiſcit. Muni igitur, quia & Deus vtroſq; muniuit:aures multis pellicularũ,officulorumq; compaginationibus, oculos ſuperciliorum tegminibus occuluit. Inclina igitur aures ad audiendum verbum Dei, & ſancta: inclina oculos tam internos, quàm externos ad Deum fidei adhæſione, expectatione ſpei, contemplatione amoris, & fruitione gloriæ.

Sẽſus, viſus, & auditus inter cæteros muniendi.

De remedijs fortuitorum

Ἥνικα προσεύχῃ, τὸν λογισμὸν πρὸς θεὸν ἀνάγαγε. κἂν περισπασθείς καταλάβῃ. πάλιν αὐτὸν ἀνάγαγε.

PRÆCEPTIO LXIX.

Cum oraueris, mentem ad Deum attolle, & etiam ſi inde abſtracta deſcenderit: iterum tamen ipſam recollige.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXIX.

Orationis cõditiones, vt petita facilè cõcedantur.

INter cæteras conditiones, quæ ad orationem neceſſariò requiruntur, tria præcipuè ſunt, quæ maxime profunt, efficiuntque vt petita facile concedantur. Deuotio, continuatio,& eleuatio mentis in Deum. Nam & oratio deuota eſſe debet, continuata, & abſtracta. Deuota interius,& exterius: conti-

Digitized by Google

continuata vsq; in finem: abstracta totaliter. Deuota contra irreuerentiam: continuata contra interpellationem: abstracta contra mentis euagationẽ. Nam irreligiosa oratio Deum spernere videtur: interpollata Deum irridere: vaga Deum non curare. Verum inter has vltima est prima, & ante alias in primis obseruanda. Orans enim attentè, & fideli cordis desiderio ad Deum, vt vnicum in omnibus auxilium subleuare se debet. Quare communiter diffiniunt orationem per hoc potissimum, vt sit mentis erectio in Deum. Igitur cum oraueris abstrahe à mundo mentem tuam ad Deum, nihil terrenum cogitans: nihil caducum considerans: nihil fragile rememorans. Recordare pientissimum Saluatorem nostrum dum in horto orare voluit ad Patrem, assumpsisse secum Petrum, Iabum, & Ioannem: instruere per hoc volens oratores, vt secum in oratione recolligerent memoriam, intellectum, & voluntatem: memoriam cum Petro: intellectum cum Iacobo: voluntatem cum Ioanne. Abstrahe igitur totis viribus mentem tuam ad Deum cum oraueris, vt oratio fructum percipiat. Quæ si rursus ad ima descenderit, recollige illam iterum: vt ad superna reducta, abstracta remaneat omnino.

Orationis diffinitio.

Christus cur in oratione in horto assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem.

Οὐ πάντα ἡ διάνοια τίκτουσα. σὺ δὲ τοὺς μὲν φαύλους ἔκτηλε, οὗτο δὲ ἀγαθοὺς, γεώργησον.

PRAECEPTIO LXX.

Mens humana non vnquàm cessat generare cogitationes: tu verò malas quidem expelle, bonas verò colendo exerce.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXX.

Cogitationes à mente proueniunt, est enim cogitare, animo vel mente aliquid rimari: quemadmodum excogitare, est cogitando aliquid inuenire: & cogitatio est inquisitio veritatis per discursum ex multis: discursus verò mentis seu intellectus est; sicut excogitatio est configuratio, seu conformatio

Quid sit cogitare, & excogitare, cogitatio, & excogitatio.

Digitized by Google

matio cogitationis ad exprimendum exterius, conceptum interius, quod est verbum. Itaque mens humana semper cogitationes generare non desinet: non enim mens est otiosa, semper quidem cogitat. At cogitationes in duplici quidem discrimine reperiri necessum est. Quædam enim sunt bonæ: quædam malæ. Malæ expellendæ omnino sunt, quia malæ: bonæ verò cultu exercendæ, nonnisi quia optimæ. Mens namque humana similis est arbori cuilibet, qui indifferenter producit, generatque hinc inde ramos, & bonos, & malos. At bonus agricola, colonusque putationis tempore malos quidem excidit, bonos autem relinquit: quo tempore debito fructus bonos reddere possint. Ita mens nostra non vnquam cogitationes generare cessat, bonas, & malas: sed tu vt bonus colonus, & putator, ne bonæ à malis suffocentur, inutile que, & absque fructu reddantur: malas quidem rescinde, bonas verò vt sint etiam in abundantia, exercitio cole. scribitur enim cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger in ægestate erit. Quæ sententia, quamuis vt iacet, de prudente viro intelligenda venit: qui circa temporalia colligenda nimis cogitat, ac ideo in abundantia versabitur, piger verò quia nihil curat, in ægestate inuenietur: nihilominus tamen spiritualiter intellecta sententia, cogitationes robusti in Fide, Spe, & Charitate semper erunt in abundantia, quoniam nonnisi robusta cogitat, ex quibus abundantia emergit, & saturitas: ac propterea robusta quoque colliget; infirma autem cogitãs, infirma metet, ex quibus egestas, & fames prodeunt. Itaque cum varijs, diuersisque cogitationibus semper mens nostra quatiatur, agiteturque, tum bonis, tum quoque malis: malas expellamus, bonas verò colendo, exerceamus. At circa malas securius ages, si attenderis in initio resistendum esse cogitationi pessimæ. si verò titubat prona cogitatio, non consentias illi.

quotuplices cogitationes

Optimum exemplum.

Prouerb. 21.

Χαῖρε τῇ ταπεινώσει. τὸ γὰρ δ' αὐτῆς ὕψος πολύ, καὶ πέδην μὴ δυνάμενον.

PRÆCEPTIO LXXI.

Humilitate gaude: altitudo enim eius firma est, nec ruere potest.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXI.

HVmilitas virtus qua refrenatur animus, ne immoderatè ad alta tendat, vt inquit Beatus Thomas, seu (vt Bernardus testatur) virtus qua veriſſima ſui cognitione ſibijpſi quilibet vileſcit, ſic eſt neceſſaria viro Chriſtiano: vt abſque illa adire cœleſtia non poterit. Aqua equidem quantum deſcendit, tantum quoque aſcendit: & quantum aſcendere videmus, tantum quoque deſcendit. Pila quanto altius tendit, eo inferius deſcendens, magis repercutitur: at quanto fortius in imo reijcitur, eò magis ad alta ſubleuatur. Sic & hominum cogitationes quantum deſcendunt in imo, tantum aſcendunt deſuper: & quantum aſcendunt, tantum deijciuntur; quia homo per humilitatem vſque ad cœlum extollitur: per ſuperbiam verò vſque ad infernum deijcitur. Itaque ſi humilitatem non habes: cura, vt habeas. ſi autem habes, gaude, quia rem excelſam habes: qua nihil excelſius haberi poteſt; quia quaſi ſemper ſuperior neſcit extolli (vt inquit Beatus Ambroſius) quoniam nemo id affectat, quod infra ſe iudicat. Altitudo deinde illius firma eſt, nec ruere poteſt. Quemadmodum enim in materiali ædificio tunc ſurgentis fabricæ robuſta celſitudo bene figitur, cum per fundamenti fortitudinem in petra ſolidatur, iuxta Beatum Gregorium: & quanto magis ædificium ima petit; eò altius conſurgit, ſtabileque permanet: Ita & in ſpirituali ædificio locus in imo à te quærendus eſt: quia magis conſurges. Memento Chriſtum Præceptorem noſtrum docuiſſe, vt cũ inuitatus quis fuerit ad nuptias, non in primo, ſed in poſtremo loco diſcumbat: ne forte honoratior illo ſit inuitatus, & à primo eijciatur loco, poſtremum verò incipiat cum rubore poſſidere. Verum enimuero exempla illuſtria habemus de Lucifero, & Beata Vergine: Nam & Lucifer qui mane oriebatur, quia locum in ſupremo quęſiuit, in imo miſer deiectus eſt: At Deipara Virgo, quia in profundo humilitatis, ſupra omnes Angelorum Choros exaltari meruit. Gaude igitur & tu humilitate vt & fœliciter exalteris in altitudine: abhorre altitudinem, ne deprimeris in profunditate.

22. q. 160. art. 2. c. De gradibus humilitatis.

Exemplum optimum. Aquæ natura.

Super Luc. lib. 7.

Exemplum pulchrum.

lib. 27. mora.

Luc. c. 14.

Nota finem ſuperbiæ, & humilitatis.

Ἀγαθὴ

Κόπει τοιοῦτον, ὅσον χαλάσαι μὲν σαρκὸς τὰ κινήματα καὶ ἐπιθυμίας, πρὸς ὑγίειαν τὸ σῶμα, μὴ πρὸς τρυφὴν θεραπεύσειν.

PRÆCEPTIO LXXII.

Ita exerce corpus, vt compescas carnis motus: & si æger fueris, corpus cura, vt sanitatem adipiscatur, non vt delitijs eneruetur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXII.

Exercitij vtilitas.

EXercitium corpori, & animæ summopere conferre expertum est. Nam quod rusticus duros habeat neruos, lacertos fortes: brachia ferrea: totumque corpus strenuum, exercitium hoc facit. Quod nobilis econuerso molles habeat neruos, lacertos debiles, brachia delicata, corpus totum imbecille; ignauia, & ocium id efficiunt. Quod iste langueſcat, ille autem robore magno viuat: exercitium est. Nam Aristoteles pluribus in locis doctrinæ suæ exercitium causam esse sanitatis, & ipsam conseruare docuit. Quare Fulgentius author non ignobilis, dixit, quòd ille solus ab exercitio sustineat: qui sanitatis beneficio vult carere. Sed quis nescit ingenia pigreſcere, nisi vigilatione reparentur? Quinimo vt Vegetius scripsit, omnes artes, cunctaque opera quotidiano vsu, & iugi exercitatione perfici. & rectè, quia si longa temporis intercapedine quieſcant, ægrè resumuntur: quia exercitatio inimica est otio: & lucrum temporis. Accedit, quod sit humanæ vitæ conseruatio: caloris naturalis lima: excitatio dormientis naturæ: consumptio superfluitatum: debitum iuuentutis: & senectutis gaudium. Sed quod magni refert, est quod omnium sit corroboratio virtutum, & vitiorum destructio. Compescit etenim iuxta Authorem, carnis motus. Nam etiam iuxta Euripidem in Erichtheo, labor assiduus omnia vincit: Quinimò in Heraclidis dixit: virtus per labores incedit; ergo per eosdem vitium euanescit. Cum igitur carnis motus vitiorum possit esse causæ: compescendi sunt nonnisi exer-

Lib. 1. Reth. Lib. 1. Met.

Lib 2. de re militari.

Digitized by Google

exercitio: affligendi sunt nõnisi sanctis laboribus; hac tãmen cautela. Quandoquidem aut sanus es, aut æger: si sanus, ita affligas corpus tuum, vt animi motus compescas omnino: Mortificandum namque est corpus, ne vitia viuant, non occidendum. Tantus enim ieiuniorum imponendus est modus, quantum ferre potes. Quare Diuus Hieronymus dicebat in epistola: sint moderata, & sancta in omni mentis humilitate ieiunia: quę ita attenuent corpus, non mentem eleuent, ne res humilitatis gignat superbiam, & vitia de virtute nascantur. sed ad intentum Fulgentius ad Probam scripsit. Ieiunijs sic est adhibenda temperies, vt corpus vestrum nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. At si fuerit æger, cura corpus tuum, ita tamen, non vt delitijs eneruetur, sed vt adepta sibi sanitate, reuertatur iterum ad seruiendum fœliciter Domino: Quemadmodum etiam admonet D. Augustinus fratres in Regula, vt cum vires pristinas infirmi reparauerint: redeant ad fœliciorem consuetudinem suam: quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent: Eneruatur certè delitijs corpus, delitijs vacans.

Modus affligẽdi corpus

Ieiunia quo modo exercenda.

Οὕτω πονήρως τῶν λογισμῶν, λογισμοῖς ἑτέροις ἀναμίχλδε.

PRÆCEPTIO LXXIII.

Prauas cogitationes alijs cogitationibus melioribus abige.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXIII.

NEcesse est hominem, cum sit mente, & ratione præditus (vt iam paulo superius dictum est) assiduis cogitationibus affici: & tamdiu, quamdiu vigilare creditur; quamuis etiam dormiendo, quandoque vigilare videtur: Animalia verò irrationabilia non cogitant. Nam & si memoriam perfectam habere videantur, cum motu moueantur progressiuo ad aliquod distans: & sensitiua sit prouisa ad propriam operationem, & ad vitæ necessitatem, quia natura non deficit in necessarijs,

Schol. 70.

Animalia irrationabilia cur non cogitant.

O ac pro-

Digitized by Google

ac propterea apud ea remanet per memoriam rei præconceptæ intentio, ex qua ad motum inducuntur: est tamen in illis propriè memoria imperfecta, ad quam non sequitur reminiscentia perfectè, quia naturæ instinctu efficitur, quo etiã fit collatio: similiter prudentia, quæ in se memoriam includit, imperfecta redditur. Quare si cogitant, impropriè dicentur cogitare, cum à natura impellantur. Homo autem cum mente vigeat, & ratione, propriè cogitare dicetur: illumque duplici cogitationum genere molestari, vt continua docet experientia, inuenies; prauarum scilicet, & bonarum. At cum tanta differentia vtrobique, quòd prauæ in infinitum crescunt: bonæ verò paucæ emergunt. Tu verò si prauis molestaris cogitationibus, abige eas bonis. Facies quidem non secus ac ille, qui cum comederit amara, dulcibus quidem, & suauissimis pharmacis in ore retentis: expellit tandem; fauceſque eius, & os ab amaritudinibus immunes redduntur. Efficies rursus quemadmodum & ille, qui à muscis infensus, quamuis semel, bis, ter, & quater abigerit, vel manu, vel flabello, si denuo reuertuntur, iterum, & abigit; & toties, quoties: ita vt tandem vel infestare desinant, vel captæ interimantur. sic quoque efficies circa cogitationes, si namque malis infestaris abige eas melioribus, si rursus veniunt, denuo eijce, si iterum, tu quoque iterum atque iterum persequere, vel enim euanescent, vel succumbent tandem. Hoc igitur est, quod inquit Author, prauas cogitationes, alijs cogitationibus melioribus abige.

Homo propriè cogitat.

Optimum exemplum.

Λογίζ8 τῶν οὐρανῶν ἀγαθῶν τὸν ἀπρέπειαν. καὶ πάτος οὐδεμιᾶς ἐπιθυμίας τῆς, ἢ τῶν ἐκ ταύτης πραγμάτων ἐπισχεῖν.

PRÆCEPTIO LXXIIII.

Considera cœlestium bonorum decorem: & nullum te capiet desiderium terræ, nec aliud ex ea dulcium.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXIIII.

BOnum ab omnibus appetitur, illudq; omnes per circuitum quærunt: magnoque exardescunt desiderio habendi, siue boni, siue mali sint; omnes inquam indiscreta intentione ad bonum peruenire nituntur. Verũ & multi in honorum sublimitate quærunt, nonnulli in auro, gemmis, & margaritis: quidam in luxu, & voluptate: alij in prudentia carnis, quæ inimica est Deo; ac vt omnia vno complectar verbo, in huiusmodi terrenis omne desiderium eorum est, vbi bonum non est bonum, sed apparens bonum. Quandoquidem quæ transeunt, non sunt bona, quæ verò permanent, bona sunt. Terrena omnia transeunt, bona ergo non sunt. Quę si sunt bona, apparentia bona sunt. Quid igitur te capit desiderium terræ, quæ tandem peritura est cum omnibus suis? nihil quidem in ea stabile, nihil perpetuum, nihil perenne, nihil dulce. Omne autem caducum, omne fragile, omne amarum. Eleua igitur mentis aciem in ea, quæ finem non habent, vbi dulcedo immensa: vbi diuitiæ sempiternæ: vbi consolatio indeficiens: vbi omne bonum perpetuum: vbi perennitas omnium bonorum: vbi decor præcipuus. Quod bonum admiratus Boetius, sic cecinit.

Fœlix qui potuit boni
Fontem visere lucidum.

Quòd si conquereris teneri semper à desiderio terræ, scias optimum remedium esse considerare cœlestium bonorum decorem: illumque tibi paratum, si terrestria omnino peritura conculcaueris. Cæterum tua culpa penitus est capi terreno desiderio: quia mens tua ad conditoris tui specimen, propemodum dura est, & frigida. sed incipe illius desiderio exardescere: sequere quem diligere cepisti, curre liquefactus igne amoris, crede mihi: fiet mens tua desiderio illius anxia, vilescent cuncta, quæ in seculo te ligabant: nihilq; erit, quòd extra Deum tibi placere poterit: nullum denique (vt inquit Author) te capiet desiderium terræ: nec ex ea dulcium quid.

Bonum quomodo à diuersis variè appetitur.

Terra instabilis, & caduca.

De consolat. lib. 3. metro 12.

Digitized by Google

Ἡνίκα περὶ θεοῦ ἐπέρχεταί σοι νοεῖν, μὴ τὸν θεὸν, ἀλλὰ σαυτὸν εὐθὺς γὰρ ἀσφαλὲς, ὑπὲρ τὸ μέτρον, ὃ παρχωρεῖται, ἐπέρχεται.

PRÆCEPTIO LXXV.

Quando tibi aliqua de Deo subit cogitatio, non Deum, sed teipsum. Nihil enim tutum est, quod modum excedit: quem seruare conuenit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXV.

Deus à quocunque intellectu creato incõprehensibilis.

DEus à quocumque intellectu creato conceptus, nequit perfectè intelligi: quia incomprehensibilis est: quia infinitus: quia immensus. Tantus enim est, vt ab homine non possit aut verbis enarrari, aut sensibus extimari: cuius Maiestas nec mente comprehendi (vt inquit Plato in Timeo) nec lingua exprimi. Quare Cicero Simonidis testimonium adfert: quem cũ interrogasset Hiero Tyrannus quidnam esset Deus? respondendi causa, vnam sibi postulauit diem. Cum idem sibi postridie quæreret, biduum petiuit: cumque sæpius dierum numerum duplicaret, admirans Hiero, quæsiuit cur ita faceret: respondit Simonides, quia quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Quare bene docuit Beatus Thomas nos minimè scire posse, quis sit Deus, quia effugit certè omnem sermonem, atque humanæ mentis sensum omnem Maiestas illa incomprehensibilis: Ideo nec illum propriè posse diffiniri. Quia cum ex genere, & differentia diffinitio constet, & Deus non est sub genere, sed supra omne genus: nec est compositus ex genere, & differentia, nec ex aliquo alio, cum sit purus actus, & summè simplex, diffinitionem certè non habebit. Hanc ob rem si quando aliqua tibi de Deo subit cogitatio, noli Deum cogitare, quia opprimeris à gloria illius: Excedit quippe capacitatem tuam immensitas illa infinita. Cogita teipsum, ex tui etenim consideratione ad illius Maiestatis cognitionem deuenies. Inuisibilia namque Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciunt: sempiterna quoque

Lib. 1. de natura Deorũ.

Simonidis responsum de Deo.

p. p. q. 1. ar. 7. Deus nec sciri, nec propriè diffiniri potest.

Aquinas. 1. c. Modus intelligendi Deũ.

Digitized by Google

quoque eius virtus, & diuinitas dicebat Paulus Apostolus. Hæc certè cognitionis nostræ natura est, vt per visibilium speculationem, ad inuisibilium cõtemplationem assurgamus. Erigenda igitur est à nobis scala quędam, cuius gradibus quibusdam per creaturas progrediatur ad Creatorem; nempe ab insensibilibus ad sensibilia, à sensibilibus ad rationalia, à rationalibus ad spiritualia: & tandem ab his omnibus ad Creatorem. Nam Dei cognitio vel est per essentiam, vel per similitudinem, vel per aliorum speciem: per essentiam naturalis est Deo soli: per similitudinem Angelo: per aliorum speciem, seu per speculum nobis hominibus. Quia nos per aliorum speciem cognoscimus, Angelus per similitudinem: Deus autem per seipsum. Itaque cum modum excedat, seruare illum conuenit: aliter nihil tutum erit. Hoc est quod inquit Author, quòd teipsum, non Deum cogitare debes, quando tibi de Deo subit cogitatio, quia quid non sit, inuenies, nõ autem quid sit.

D. Thom. p. p q. 56. art. 3. Cognitio Dei triplex.

Τὰς φαύλὰς ἐνθυμήσεις, πόρρω εἶναι τοῦ διαβόλὰ πίςδε. οὕτω γὰρ αὐταὶ παύονται, ὁ δὲ πορρὼ αἰχμώται.

PRAECEPTIO LXXVI.

Prauas cogitationes semen esse Diaboli existima: sic enim ipsæ desinunt, ipseque seminator confunditur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXVI.

OMnium prauarum cogitationum suggestorem, seminatoremque esse Diabolum: nemo ex Sanctis est, qui negat. Quinimo ex illo Euangelij nobis innotescit; quia scilicet venit inimicus homo, hoc est Diabolus: & superseminauit zizaniam. superseminat quidem zizaniam iste zizaniosus homo, æstus cupiditatis nobis adhibendo, illecebras gulæ ingerendo: luxuriæ incitamenta apponendo: virus inuidiæ infundendo: superbiæ tumorem intromittendo: auaritiæ cupiditatem obij ciendo: ocij torporem persuadendo: deceptionum denique

Matth. 13. Diaboli zizania.

Digitized by Google

De summo bono.

denique laqueos vbique protendendo. Quare Isidorus inquiebat, corda hominum Diabolus occultis cupiditatibus replet. Ecquis est, quin affirmabit? quis dubitabit? quis non videt? nonne quotidie experimur in nobis, nil prauius, nil malignius, nilue nostro aduersario reperiri nequius? cuius prauitate omnia quidem mala committi videmus, omniaq; bona relinqui? Hic dubio procul tibi immittit illicita desideria: vt te tandem contaminet. Hic suppetit fomenta, & vitijs pabulum subministrat. Hic intima viscera stimulis quibuscumque commouet, & perturbat. Hic obscœnitatibus omnibus animas ad sanctitatem creatas, in cœni gurgite tandem demergit toto conamine: nonnisi ad animarum ingluuiem, & deperditionem anhelans, iuxta illud: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Igitur si aliquando tibi prauæ insurgunt cogitationes, cogita Diaboli semen esse zizanioſum: quia à prauo nonnisi praua seri, & emergere, legiq́ue possunt. Vnde & quidam Poeta optimè cecinit.

Diaboli iniquitas.

Arbore de vili, vilia poma cadunt.

Si autem vis vt desinant, existima Diaboli opus esse, vt te decipiat: deceptumq́ue condemnet. si verò & id existimaueris; duo bona consurgent: desinent primo cogitationes: secundo insidioſus seminator confundetur: non secus ac explorator quidam in exploratione detectus: qui dum in abscondito se obseruare conatur, & à nullo videri præsumit: miser tandem detegitur, & confusus aufugit: Ita quoque Diabolus. Igitur si vis vt Diabolus confundatur: prauæq́ue cogitationes recedant: cogita illas esse semen Diaboli.

Exemplum.

Φεῦδε τὰ πολλὰ γέλωτος, χαυνοῖ γὰρ τὸν ψυχὴν, χαυνωθεῖσα δὲ, τῷ τοῦ νόμου χαλινῷ ἀχειρᾶς ἀποδύεται.

PRÆCEPTIO LXXVII.

Excessum risus fugito, eneruat enim animam: Anima verò eneruata, facile à freno legis exuitur.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXVII.

QVemadmodum nervis corpus perficitur, sub-
stentaturque, ita vt absque illis infirmum,
prorsus redditur, & ad operationes ineptum:
ita anima sine modestia, sed risus excessu po-
tissimè eneruatur: at cum modestia satis con-
seruatur. Quare Ouidius contra modos voluptatum omnium ita cecinit. De remedio lib.2.

Eneruant animos, citharæ, cantusque, liræque,
Et vox, & numeris brachia mota suis.

Nam & hæc semper risum insequi compertum est. Igitur si ri-
sus excessu afficeris, scias eneruari animam, eneruari scilicet
potentijs eius. Quandoquidem animæ nervi potentiæ eius
sunt: hoc est potentias eius rebelles fieri animæ. Anima ve-
rò suis eneruata potentijs: facile à freno legis exuitur. si nam-
que memoria præterita attendit peccata, intellectus ad ille-
cebras feratur: voluntas ad mala omnia, nonne illis eneruabitur, & à legis freno tandem exuetur? In ipso igitur motu, gestu, atque incessu tenenda verecundia est: quia habitus mentis in corporis statu cognoscitur. Dicit enim Scriptura, Amictus corporis, risus dentium, & ingressus hominis: enuntiant de eo. Ob id docebat Diuus Augustinus fratres in regula, vt in incessu, statu, habitu, & motibus eorum, nihil fieret, quod cuiusquàm offenderet aspectum: sed quod illorum deceret sanctitatem. Modestia seruanda in omnibus. Eccles.c.19.

Non prohibet quippe Author risum, quia homo naturaliter risibilis est: risibilitasq; passio est necessariò fluens à principijs speciei, quamuis addat aliquam naturam extraneam supra hominem, quæ est præter essentiam hominis; sed prohibet risus excessum cum voce confusa lætitiæ factum, insultationem immoderata hilaritate denuntiantem: quem etiam & Poeta quidam reprehendit, dicens. Quid sit risibilitas.

Ingeminat tremidos naso crispante cachinnos. Persius.

At vis cognoscere stultum, perspice si rideat, & quomodo rideat: risus enim abundat in ore stultorum, ita docuit Spiritus sanctus. sed & Menander Ethnicus Poeta dixit. Risus intempestiuus inter mortales grane malum. Et iterum, ridet autem stultus, & si quid ridiculum non sit. Fugito igitur risus excessum, Risus immoderatus deturpat hominem.

Digitized by Google

excessum, imitare sanctos, imitare sapientes, qui nunquàm aut rarò riserunt: imitare Saluatorem nostrum, qui semper flere, nunquàm autem ridere visus est. Cæterum tu qui sanctus non es, dictum Socratis ad Democritum saltem obseruare necessum est: neque scilicet risus petulans amandus: neque sermo cum audacia suscipiendus. Nam illud stultum, hoc verò furiosum est: & Author docet, quòd risus excessu eneruatur anima, quo nihil peius, quia sic eneruata à legis freno facilè exuitur. Compesce igitur risum, at ridendo illius excessum fugito: vt euites hæc duo mala, animæ scilicet eneruationem, & legis reatum, nam à legis freno risus excessu facilè exueris.

Εἰς ἔργα δεῖ τῷ ψυχῷ καὶ προσεύχας μερίζεσθε οὕτω γὰρ οὐ πολλὰς εὑρίσκον πρὸς ἡμᾶς τὰς εἰσόδους ὁ διάβολος.

PRAECEPTIO LXXVIII.

In labores, & orationes oportet animam partiri: sic enim non multos in nobis introitus inuenit Diabolus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXVIII.

Demonum nobilitas.

TRiplici quidem prescientiæ acumine vigent Demones, vt Author est Beatus Isidorus, naturæ sublimitate: temporum experientia: reuelatione superiorum potestatum. Naturæ sublimitate, quia Angeli: temporum experientia, quia antiqui: reuelatione superiorum potestatum, quia superior in inferioribus aliquid manifestat sine illuminatione. Inde est, vt mutata voluntate sua in malum, omnium horum abusione inuenit mille nocendi modos hostis iste noster: tantaq; arte se palliat, vt multos in nobis introitus inueniat; quo in profundum facillimè mergi possimus. Quocirca naturę sublimitate nostram cuncti nituntur corrumpere naturam: temporum experientia decipere: reuelatione superiorum potestatum illudere. Cæterum pijssimus Deus humanæ naturæ

Demonum malignitas.

misertus,

Digitized by Google

miſertus, quamplura nobis dedit remedia, quo tela huius inſatiabilis homicidæ, facilè euitaremus: inter quæ laborem, & orationem tanquàm præcipuas reliquit nobis exercendas: laborem, vt ocium fugaremus: orationem, vt Diabolum. Igitur ſi volumus, vt non multos in nobis introitus inueniat Diabolus ad decipiendum, neceſſe eſt animam partiri, tum in laborem, tum in orationes: quandoquidem dum videt inſidiator te in aliquo occupatum, quaſi deſperatus, ceſſat te inſequi. ſi autē ocio torpentem: inſequitur omnino, & vincit. Quo circa bene dicebat Diuus Hieronymus, facito aliquid operis, vt ſemper Diabolus te inueniat occupatum. Rurſus & in quodam ſermone dixit. Non facilè capitur à Diabolo, qui bono vacat exercitio. In orationes deinde animam tuam partiri oportet: quia orationis virtus ea eſt, vt omnes terreat diabolicas poteſtates. Moyſes namq; Iſraelitici populi Dux, & rector longe à bello non pugnans contra inimicos, dum manus extollebat, atque orabat, ſine armis vincebat: dum verò non oraret, ſed manus, & brachia relaxabat: vincebatur quidem ab inimico Amalechita populus ſuus: & rectè, quia plus proficit, & magis vincit vnus orando: quàm mille præliando. Iulianus Apoſtata, & Imperator Perſas debellare deſiderans, Demonem miſit ad explorandum, quidnam agerent Perſæ. Qui cum in via Publium Monachum inueniſſet orantem, viribus ferè deſtitutus, pertranſire nequiuit: ſed regreſſus, Iuliano reſpondit: Orationem Publij Monachi ſuum iter impediſſe. Laboremus igitur, & oremus nos fratres, vt hoſtes inuiſibiles Amalechitas, ideſt Demones vincere poſſimus: ſic enim in nobis nullos inuenient introitus.

modus fugādi Dæmones.

Ad Ruſticū monachum.

Nota de Moyſe.

Orationis præſtantia contra Dæmonem.

Ἔργον εἶναι τοῦ νόμου τὴν ἀνάγνωσιν νόμιζε, ὅταν μετὰ τῆς γλώττης ὁ τοῦς τρυγῶσι τὸ θῖλον, ἐν ταῖς βίβλοις ἐργάζηται.

PRÆCEPTIO LXXIX.

Laborem eſſe non mediocrem putato legis meditationem, quando mens ſimul, & lingua cognoſcere quid volens: in libris cum labore verſatur.

P SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXIX.

Mẽtis labor præstat corporeo.

HOminis labor in vniuersum duplex esse perpenditur, corporeus, & spiritualis. Hic animæ quidem est, ille verò corporis. præstat autem & huic prior: quia animus potior est corpore; quinimo omnis labor mentis, corporis quoque est: non autem corporis labor, mentis est; includit enim prior labor posteriorem, non autem posterior priorem. Igitur cum meditatio ad animi opus referatur (est enim meditatio, vt

Schol. 70.

superius dictum est, intuitus occupatus in inquisitione veritatis: isq; animi est) magnus profecto labor est illius, qui legis præcepta meditatur: quia mens cum labore versatur in libris, quando quis cognoscere quid volens: lingua quoque illud exprimit. Quid enim est studium iuxta Ciceronem, nisi vehemens animi applicatio cum magna volũtate ad aliquid faciendum? cui concordat Diuus Thomas, inquiens, studium importare vehementem mentis applicationem ad aliquid, principaliter ad cognitionem: secundariò autem ad ea in quibus homo per cognitionem dirigitur; vnde & studiositas virtus est, cuius principalis materia est cognitio: secundariò autem alia. Nullus quidem labor quicunque sit ille, siue rustici, siue nautæ, siue militis, siue cuiuscumque artificis, vel viatoris; nullus inquam studij laborem superat. Nam etsi rusticus vel terræ glebbas, arando, aut fodiendo disrumpat: corpore solum id efficit. Si nauta maris vndas transnatat, ventorum furijs quatitur, ac propterea sustinet, resistendo; arborum quoque, antennarum, velarum, cordarum, lignorum, ferri, ac similium ad nauem pertinentium tractationi continuo incumbit: labor certè corporeus est. Miles insuper, si æstui, frigori, algori, itineri, inedie, multisque ærumnis subijcitur: corporales quidem labores sunt. Quicumque etiam artifex insomnes ducit noctes, manibus, pedibus, corpore demum toto se dedicans arti: labore dubio procul corporali afficitur; simile etiam de viatore patet. At qui libros voluit, legit, contemplatur, scribit, explicat: corpore, sensibus, mente, & intellectu laborare perspicitur: Quare prouerbio dici solet, studium totum hominem requirere. Igitur magnus

Studiũ quid. Lib 1. Rhet.

22. q. 166. art. 1. corp.

Studiositas quid.

Studij labor omnem superat laborem

labor

labor est eius, qui legi Dei vacans, studet, legit, scribit, libros componit, dictat, docet, & meditatur.

Ἐὰν εἰς ἔργα τὼ χεῖρα κινῇς, γλώσσα ψαλλέτω, καὶ ὁ νοῦς προσευχέσθω. ἀπαιτεῖ γὰρ αἰεὶ παρ' ἡμῶν ὁ θεὸς μνημονεύεσθαι.

PRÆCEPTIO LXXX.

Cum ad labores manum moueris, lingua psallat, & mens oret: Exigit enim Deus, vt eius semper memores simus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXX.

TRipliciter ab homine Deus laudari debet: lingua, mente, & spiritu. lingua, psallendo: mente, orando: spiritu autem, & affectu, contemplãdo. Quia psalmus in ore: oratio in mente: contemplatio in spiritu esse debet. Vnde & oratio (inquit Diuus Thomas) est oris ratio: ecce lingua: est subinde actus rationis practicæ, qui ascensus est mentis in Deum, secundum eundem: ecce mens: est rursus pius dicentis affectus in Deum, iuxta Augustinum: ecce spiritus. Igitur si ad labores manum tuam moueris, psallat lingua: oret mens: contempletur spiritus. Manuum etenim labore, nec lingua, nec mens, nec spiritus impediri vllo modo poterit. Quinimo, quia Deus exigit, vt semper eius memores simus: necessum est etiam iuxta Authorem, laborantes psallere lingua: orare mente: contemplare spiritu, & affectu. Cæterum dices, quomodo fieri poterit, vt Dei semper memores simus, & sic lingua psallat: mens oret: & spiritus contempletur, cum impossibile sit, vt in hac vita à terrena homo occupatus, corporeaq; mole detentus, continuò mentem ad Deum habeat? Non patitur quidem humana fragilitas semper ad Deum ferri. sed pensandum quippe est secundum essentiam impossibile esse hominis animum, dum in præsenti moratur vita, nisi peculiari priuilegio adiutus fuerit, ferri semper actu ad Deum: virtute autem,

Deus quot modis ab homine laudari debet.

22. q. 83. art. 4. & 1.

Oratio quid.

Dubium.

Responsio.

Digitized by Google

Homo quomodo tenetur mẽte ferri ad Deum.

autem, & habitu facilè est. Quinimò ita tenetur, vt mentem ei deuoueat continuo charitatis incremento: vt se totaliter dedicet assiduo pietatis affectu: vt ei vnice adhæreat in spiritu, & veritate: vt in ea nihil sub dolum remaneat, nihil terrenum. At lege Sanctorum vitas, eorum ferè omnes reperies, cum ad labores manus mouerent, psallere lingua: orare mente: & contemplare affectu. Igitur cum manibus laboras, ferantur ad Deum lingua, mens, spiritus: lingua psalmo, mens oratione, spiritus contemplatione.

Πάσαν μὲν πρᾶξιν διὰ προσοχῆς σφράγιζε. ταύτῃ δὲ μάλιστα, ἐφ' ᾧ τὸν λογισμὸν θεωρῆς ἀμφιβάλλοντα.

PRAECEPTIO LXXXI.

Omne quod agis, oratione obsignato: id verò maxime de quo mentem vides dubitantem.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXXI.

CVm multis quippe rebus, quæ debemus habere, ob mundi fallaciam careamus, multa verò habemus, quæ non deberemus ob nostram habere salutem: pleraque itidem acturi, quæ nescimus ob inscitiam, quem finem habitura: si cuncta prosperè successura sperare debemus, nullum remedium inuenitur melius, quàm omne quod acturi sumus, oratione esse obsignandum: recurrendumque ad preces omnino ad Deum Patrem, ad Deum Filium, ad Deum Spiritum sanctum: postulare, innocareque Sanctorum intercessiones, vt pro nobis apud Deum intercedant, quia vt Deo gratissimi, facilè quæ petunt, assequentur: præcipuè verò Christum Dominum, qui vulnera Patri ostendens, omnino exaudietur pro sua reuerentia: deinde ad pijssimam Matrem, quæ Filio vbera demonstrans, cuncta pro nobis dubio procul impetrabit; præsertim si viderimus mentem de aliquo dubitantem. Quandoquidem cognoscimus eum qui potest, & defectum abundanter sarcire: & superflua modestè resecare: & futuris,

Oratione cuncta prosperè succedunt.

Digitized by Google

ris, vt decet, iustè prouidere. Oratio namque est sicut gubernaculum in naui, quæ eò tendit, quò gubernaculo dirigitur: fracto autem gubernaculo hinc inde agitata nauis: periclitatur tandem. Quicquid ergo agis, orationis gubernaculo obsignato: quia rectè diriges in omnibus, & per omnia nauem animæ tuæ; maximè autem id de quo vides mentem dubitantem. Quemadmodum enim nauis motor maris tranquillitate ablata ambigens, ne huc, illucue nauis impingat, gubernaculo immobili permanente securam traijcit demum in portu nauem: Ita mens in diuinis, & spiritualibus titubans, orationis temone præsertim directa, salua, incolumisque inter tot mundi procellas præseruatur: in portu gloriæ tranquillè peruentura. Crede mihi, si Christiani dum de Fide, peccatisque tentantur, ad orationem puro, sincero, fidelique corde recurrerent: nullus certè reperiretur hæreticus, nullus peccatis obnoxius, nullus denique vitijs irretitus. Saluator, ac Præceptor noster Christus dum in horto Patrem oraret, redienseque ad visendos discipulos non semel, sed iterum, atque iterum, cum dormientes inueniret, ne à tentatione superarentur: admonuit, vt vigilarent, & orarent: Vigilate (inquit) & orate, ne intretis in tentationem. ac si dixisset, in necessitatibus, in tribulationibus, in operibus quibuscunque nullum opportunius remedium, ac salutarius reperiri, quàm ad orationem recurrere, operaque omnia oratione esse obsignanda, vt tentationes fugentur. Itaque quicquid agis, præsertim si mentem cernis de aliquo dubitantem oratione obsignato, nam fugiet tentator, cessabit tentatio, mensque secura viuet.

Oratio est gubernaculũ hominis.

Nota.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Εἰ βούλει τὰ τῶν χειρῶν ἔργα, θεῖα σοὶ, καὶ μὴ χοϊκὰ γίνεσθαι, ποίει σοι τὰ ἐξ αὐτῶν γινόμενα πρὸς οὗτο χεῖζοντας.

PRAECEPTIO LXXXII.

Si vis manum tuam labores diuinos, & non terrenos fieri: quædam ex his communicabis cum egentibus.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXXII.

Homo sine charitate nihil est.

OMnis Christianæ Religionis, ac disciplinæ summa in pietate, & misericordia procul dubio consistit. Virtutibus quibuscumque præditus sit homo, si pietate, misericordia, ac charitate expolietur, nulla quidem illarū erit præditus. Nihil se esse fatetur Paulus Apostolus absque charitate, siue quis hominum, & Angelorum linguis loquatur, siue prophetiæ dono sit ornatus, siue mysteriorum omnium, cunctarumque scientiarum magnitudinem habeat, siue omnem fidem, ita vt montes transferat: si charitatem non habuerit, huius quidem balbutiens erit loquutio, inanis prophetia, mysteria itidem, & scientiæ inscitiæ erunt, fides quoque vacua, & informis: religio tandem vana. Hanc ob rem misericordię operibus vnumquodque nostrum vacarę necessum est. Vide igitur charitatis necessitatem, cum & in finali iudicio non nisi de charitatis operibus mundum seueriſſimus iudex examinaturus sit. Opera verò misericordiæ in duplici quidem genere constituuntur. Quædam enim corporalia sunt: quædam verò spiritualia. Corporalia corpus respiciunt: spiritualia animā: quę carminibus hisce à S. Thoma optimè adnotantur.

1. ad Corint. cap. 13.

Homo virtutibus quibuscumque præditus absque charitate nullam virtutem habet

misericordię opera quæ.

22. q. 32. ar. 2

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solare, dimitte, fer, ora.

Ita vt sub consule, sit consilium, & doctrina. Vtrisque quidem inuigilandum est, quia vtrisque magna merces promittitur facientibus, vel magna pœna negligētibus. Igitur si manuum tuarum labores diuinos, ideſt meritorios, & cœlestes, non terrenos fieri cupis: ex his certè communicabis quædam cum egentibus: vel cibum esurientibus dando, vel sitientibus potum, vel nudis tegumentum, vel aduenis hospitalitatem, vel captiuis redemptionem, vel infirmis visitationem, vel mortuis sepulturam. Rursus manuum tuarum labores diuini, & non terreni fient, si ignorantes docueris: si errantes correxeris: si afflictos consolatus fueris: si inscijs consiliaueris: si inimicis cōdonaueris: si iniurias pertuleris: si deniq; pro omnibus oraueris. Ita quidem manus tuæ labores diuini fient, non terreni: quia communicabis ex hijs quædam cum egentibus.

Nota.

Crede

Digitized by Google

Crede Chrysostomo viro sanctissimo, misericordiam esse salutis præsidium: Fidei ornamentum: propitiationem peccatorum: misericordiam esse, quæ iustos probat: sanctos roborat: Dei cultores ostendit: quæ fugat tenebras: ignem extinguit: feras claudit inferni: & aperit cœli portas. Generaliter igitur præceptionis sensus erit, vt si manum, hoc est opera, quæ manibus exercentur, & fiunt: iuxta illud, Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. labores diuinos, & non terrenos si vis fieri: ideſt si Deo opera tua bona accepta esse desideras: ex hijs operibus manifesta quædam cum egentibus ad Dei gloriam, egentium ædificationem, atque profectum, tuique vtilitatem, & meritum. Dixit enim Magister noster Christus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est; sicque faciendo, & docendo, magnus vocaberis in Regno cœlorum. Igitur communicare non desines ex his, quæ facis bona, quædam cum egentibus, quia sic labores tui diuini erunt, non terreni.

Super Matt. Misericordiæ encomia, & laudes.

Psal. 127.

Matth. 5.

χαῖρε τῇ τῶν ἁγίων ἐντεύξει. δι' αὐτῶν γὰρ ὁ θεὸς ἐμφανίζεται.

PRÆCEPTIO LXXXIII.

Gaude Sanctorum colloquio: per eos enim Deus tibi manifestatur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXXIII.

Vadrifariam manifestatur regulariter Deus creaturis, causalitate, æternitate, excellentia, incomprehensibilitate. Causalitate, quia efficiens omnium causa est, non tantum finalis: sed non materialis, cum omnis sit expers materiæ: nec formalis, quia nullius potest esse pars: aliter non esset summè perfectus. Manifestatur deinde æternitate, quia à seipso est; si enim ab alio esset, causam sui esse haberet, ac propterea in tempore fuisset: cum igitur à nullo sit, æternus erit. Excellentia rursus manifestatur, quia nulli subiectus: si nam-

Deus quibus modis manifestatur creaturis.

Digitized by Google

si namque alicui subijceretur: nó esset excellens, sed humilis. Incomprehensibilitate postremo noscitur, quia à nemine perfectè notus, nisi sibijpsi. Quæ enim mens, cum initium sui esse habuerit, immensam illam Maiestatem, incircumscriptibilem, æternam sine principio, & fine, impenetrabilem, infinitam, inexcogitabilem penetrauit, aut penetrabit? Quomodo infinitum res finita attinget? Verum quia & Ethnici his quoque modis ad Dei cognitionem deuenerunt, sed ęgrè, lippisque oculis diuinam altitudinem intellexerunt, illamq; vt obiectum naturale dumtaxat perceperunt. Est & alius modus, quo reuelatur Deus his qui desiderant illum; colloquio nempe sanctorum. Per eos enim tibi manifestantur mirabilia eius, beneficia animæ tuæ collata: media quibus facilè eum consequi possis, vel etiam ab ipso deflecti. Pauca tibi videntur hæc, ò homo, quæ ad tantam te extollunt dignitatem, vt quis sit Deus, noscas? vt mirabilium eius, & secretorum conscius fias? vt salutis iter tibi ostendant, simul & perditionis? Gaude igitur sanctorum colloquio, cum tali, de Deo tot, tantaque permagnifica dignoscis. Sanctorum inquam, colloquio gaudendum est, non iniquorum, non furium, non hæreticorum: non eorum qui ad te veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, eorum scilicet, qui (vt inquit Gregorius) peruersè agentes: nomen sanctitatis, vel ordinem sibi vsurpant, non illorum qui sanam non sustinent doctrinam: sed eorum qui verbo, & opere seruos Dei se ostendunt, qui non nisi cœlestia loquuntur: quia sic tibi Deus manifestabitur. Quandoquidem colloquutionis vox corda torpentia excitat, plusquàm lectionis, & quasi quadam manu sollicitudinis, vt vigilent, pulsat. Habet enim nescio quid latentis energiæ viua vox (inquit Hieronymus) & in aures discipuli de doctoris ore transfusa, fortius sonat; meritò sermonisque colloquutionis sanctorum, qui & Dei est: viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & compagum. Igitur si sanctorum colloquio gauisus fueris, per eos Deus tibi manifestabitur: quia viua vox magis afficit.

Modus peculiaris quo reuelatur Deus viris iustis.

In pastorali.

Greg. super Euang. lib. 1. hom. 2.

Epist 36.

Digitized by Google

Οὕτως ἀληθῶς ἀγίους ἀπὸ τῶν ἔργων διακρίνει. ἕκαστον γὰρ δένδρον ἐκ τοῦ καρποῦ γνωρίζεται.

PRÆCEPTIO LXXXIIII.

Verè sanctos ab operibus dignosce: vnaquæque namque arbor è fructu dignoscitur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXXIIII.

DVplex hominum genus reperitur in vniuersum, bonorum & malorum, vnumquodque ab operibus dignoscitur, boni à bonis: mali à pessimis. Verum cum etiam & bonorum, sicuti etiã & malorum, detur latitudo quædam: nam & quidam minus boni, nonnulli magis boni, quidam autem videntur sic boni: vt cognoscas qui sint verè boni, perspice, qua sanctitate polleant. si namque vera, veros esse sanctos existimabis. Hoc autem ab operibus dignosces, si opera sancta erunt; si iustè, & sanctè viuant: si rerum integri sint extimatores: si ordinatam habuerint charitatem: si denique reluceant in ipsis pudicitia corporis, animæ castitas, doctrinæ veritas. Quid est enim sanctitas, dicit Andronicus, nisi virtus faciens homines fideles, & seruantes ea, quæ ad Deum iusta sunt? Vnde & Cicero dixit, quòd sanctitas non est nisi scientia colendorum Deorum. Quid est sanctitas, inquit Beatus Thomas, iuxta magni Dionysij Areopagitæ doctrinam, nisi libera, perfecta, & omnino immaculata munditia ab omni immunditia? Ideo sanctio quod nomen venit à sancio verbo, sicuti sanctitas, propriè dicitur lex cum terrore pœnæ, non nisi vt conuersatio sit inter homines munda: ipsaque ab immunda sit eminus. Ab operibus itaque hominem vel sanctum, vel iniquum dignosces. Certum quidem est vnamquemque arborem à fructu dignosci. Non enim ficus proferet tribulos, nec vua spinas, nec tribuli ficus, nec spinæ vuam producent; sunt namque natura sibi aduersantia, vnumquodque enim generare sibi simile Author est Aristoteles. Ita verè sanctus non mala, sed bona opera faciet, quia sanctus: &

Sanctus vnde cognoscitur.

Sanctitas qd.

Lib. 1. de natura Deorũ. 1. sent. dist. 10. q. 4. art. 4. De diuinis nominibus cap. 11.

Arbor à fructu cognoscitur.

Digitized by Google

verè malus non bona, sed mala, quia iniquus. Quare Saluator noster aiebat, arborem bonam non posse malos fructus facere, nec malam bonos Sanctus igitur erit affectu misericors, vultu benignus, habitu humilis, in cohabitatione modestus, in tribulatione patiens, irreprehensibilis vita, in tentationibus fortis, mores eius compti, sermo sale conditus, virtutibus quibuscumque præditus: vitiorum acerrimus impugnator, atque mirabilium effector operum. Hos itaque fructus cui pendentes prospexeris, dicito sanctum esse illum: quia è fructu vnaquæque arbor (natura sic docente) dignoscitur. Igitur sicuti malum bonum dicere, & bonum malum appellare, malum est coram Deo; ita impium est nō sanctum, sanctum vocare; & sanctum, non sanctum dicere. Regula ergo infallibilis erit, vt opera dignoscas; si bona erunt, bonum argues operantem: si mala, malum. Quòd si malus bona quandoq; operari videtur, non stabit diu, quin manifestetur. Nihil opertum est, quod non reueletur: & nihil absconsum, quod non sciatur. Magna enim est veritas, & præualet.

Sancti conditiones.

Ἀ'πίτι κερδαίνειν ἐκ τῆς θεωρίας τῆς τῶν ἁγίων ἀνούδαζε· ἐπὶ τύπου δὲ αὐτῶν βλέμμα, καὶ σχῆμα· ἐπιφανὲς γὰρ ἑκάτερον.

PRÆCEPTIO LXXXV.

Semper lucrari aliquid stude ex Sanctorum contemplatione. Obserua verò ipsorum aspectum, & habitum: vtrumque enim perutile est.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXXV.

Necessaria est inter homines rerum negotiatio. Quippe quæ cum ad emptiones, venditionesque pro publica vtilitate, commoditateque consistat, nisi negotiatio esset, multa Reipublicæ commoda deessent, & ad vitæ humanæ conseruationem. Ideo dixit Aristoteles, Necessarium est in omni ciuitate aliquid vendi, & emi. At ciuiles leges mercaturas approbare videntur C. de nundinis l. vnica, & C. de vectigalibus, l. vniuersi prouintiales,

Mercatura necessaria Reipublicę.

In 6. Polit.

Digitized by Google

ciales, & C. de commercijs, & mercatoribus l. negotiatores, & l. mercatores, & l. si quis lib. 4. & C. quando liceat ab emptione discedere l. perfectam. Quinimò Canonica Iura licitas esse negotiationes secularibus sanxerunt, non autem ecclesiasticis: patet in Decretis 88. dist. Ca. fornicari hominibus semper non licet: negotiari verò aliquando licet. Antequam ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto autem ecclesiastico non licet. Iterum 88. dist. c. Decreuit sancta Synodus &c. & c. consequens, & c. Episcopus, & de pœnit. d. v. c. qualitas. Permittitur tamen clericis negotiatio pietatis causa, vel orphanis impendẽdę, vel viduis. 88. dist. c. Decreuit. vel etiam ad subueniendum indigentibus, pauperibusque &c. licita igitur erit cum propter causas iam tactas, tum quoque vniuersaliter si mercator ipse lucrum expetit non quasi finẽ, sed quasi laboris stipendium, & ad domus suæ sustẽtationem, & similia. Iniusta tamen redditur ratione finis, temporis, & consortij; & si non desint alij modi. finis itaque negotiationis cum sit lucrum, illius vtilitate frustaretur profecto mercator ille, qui merces suas vendere credens, non semper studeret ex suis mercimonijs aliquid lucrari: quis enim pauperior illo? à simili eriam, quicumque Christi sectator spiritualibus vacans mercibus frustra mercaretur, si ex ipsis aliquid emolumenti non sibi vendicaret, præsertim si ex Sanctorum contemplatione non studeret semper lucrari aliquid. Quid enim proficit te Sanctorum vitas legere, si tamen illorum abstinentiam, castitatem, silentium, modestiam, paupertatem, obedientiam, humilitatem, & in bonis omnibus vsque in finem perseuerantiam non attenderis? si autem attendis, quid proficis, nisi & imiteris? nil certè. Quemadmodum enim legere, & non intelligere, est negligere; loqui, & non audiri, spernere: ita Sanctorum videre bona, & eorum vestigia haud imitari. Ergo lucrari stude aliquid ex Sanctorum contemplatione, vt d. nos in cœlestibus fias; quæ non sunt peritura in æternum. Verum animuero circa illam duo quoque sunt animaduersione digna. Aspectus nempe illorum & habitus. Facies namque hominis ostendit hominem quis est: vnde Spiritus sanctus alibi docuit: quod ab occursu faciei cognoscitur vir. Obserua deinde habitum, quo induuntur, præcinguntur, amiciuntur, tegiuntur: perspice vestimenta, num la-

Negociationes secularibus licitæ.

Negotiatio quomodo licita clericis.

Negotiatio vniuersaliter quomodo licita, & illicita.

Exemplum optimum.

Sancti sunt imitandi.

Duo respicienda sunt in Sanctis.

Digitized by Google

nea, linea, bombycina, serica, scortea, frondea, scirpea, palearia, aut ex quacunque materia ad corpus tegendum composita: quia huiusmodi accidentia corporis, magnam partem conferunt ad cognoscendam hominis sanctitatem; quamuis sæpe sub sericeo indumento ex sanctis plerique cilicio induebantur: mundum sic inculcantes, illudentesque. Si igitur verè sanctus erit vir, ab aspectu sancto, & habitu modesto, exemplarique percipies. Vtrumque tamen à te cognitum perutile erit: quia mundo derelicto, Deo seruies, & Diabolum conculcabis.

Nota.

Καλλιον ἔσκει τὴ καρδία, καὶ ἁγνεία τῷ σώματι. ταῦτα γὰρ ἄμφω σε θεῷ ναὸν ἀπεργάζεται.

PRÆCEPTIO LXXXVI.

Exerce puritatem in corde, & castitatem in corpore: ea enim vtraque templum Dei te efficient.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXXVI.

Ad templi perfectionem quid requiritur.

VOt præ cæteris sunt necessaria ad cuiuscunque templi perfectionem: concinnitas parietum, murorum, columnarum, similiumque rerum ad templi fabricationem concurrentium: & munditia iam constructo. Vtraque certè templum Dei perbelle exornatur. si enim inconcinna fabricatio aderit, à multis deuotionem remouebit: si immunditia, non erit templum: sed iumentorum, porcorumque stabulum.

Templa male tractantur.

Quemadmodum & hodiernis temporibus templa Deo dicata ob aliquorum incuriam Prælatorum, & populi indeuotionem, vel auaritiam, multa videmus vel ruinam minari, vel iam diruta, & non esse qui manum apponat, vt reædificentur: vel si integra perstarent, sordibus vndique plena cernuntur. Quinimo altaria pulueribus aspersa, vasa maculis turpiter affecta: panni linei nigredine ipsa nigriores: panni serici multis in locis scissi ob sacerdotum socordiam, & negligentiam. sed nesciunt maledictos esse, qui faciunt opus Dei negli-

negligenter? durissimum quoque iudicium fore his qui præsunt? Cæterum Dei templum tu es ò homo, iuxta illud: Templum Dei sanctum est: quod estis vos, in quo Deus augustius residet, quàm in materiali templo: quia anima iusti sedes est Dei. Igitur vt templum Dei efficiaris, duo à te exercenda sunt circa huiusmodi templum: concinnitas parietum: & munditia. Concinnitas parietum castitas corporis est: nam sicuti templum tunc forte, pulchrumq; perspicitur, cum partibus suis concinnè compaginatur: ita & corpus tunc integrum perseverat, cùm vndique pudicitia, & castitate florere videtur. Munditia deinde, puritas in corde est. Nam tunc cor mundum est, cum puritatem in ipso conseruas. Exerce igitur hæc duo, puritatem, & castitatem; puritatem in corde, castitatem in corpore: puritatem in anima, castitatem in composito: puritatem in mente, castitatem in carne: nam vtraque templum Dei verè te efficient.

Templũ Dei homo est.

Homo quid agere debeat vt dignum templum efficiatur.

Οὗτος οὖν φύλαττε τὸν ναὸν, ὡς τοῦ κτίσαντος καὶ χρῆναι μέλοντος, καὶ τῶν εἰκόνα σε τῶν ἑαυτοῦ καθαρὰν μέχρι τέλους.

PRÆCEPTIO LXXXVII.

Sic itaque templum custodi, vt Dei qui extruxerit, & iudicare volentis, & imaginem tuam, quæ est ipsius imago, parem ad regulam exigentis.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXXVII.

ITa custodire templum, illudque concinnitate, & munditia perornare; sed necessum est, sic exornatum custodire. Nihil enim refert esse templum Dei ab ipsomet conditum, & concinnitate castitatis in corpore, & puritatis munditia in corde exornare: si ea exornatum non custodiaris, quandoquidem in omnibus sola perseverantia coronatur. Itaque custodi sic huiusmodi templum, tanquam à Deo extructum. Nam & duo circa templum hoc exercebit: iudicabit quippe primò, & ima-

Templum quodcunque custodiri debet exornatum.

& imaginem tuam secundò, ideſt animam tuam, quæ ipſius conditoris imago eſt tum ſecundum potentias, tum quoque ſecundum eſſentiam (ſcribitur enim Deum feciſſe hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam) ad puram exiget regulam. At quomodo verum eſt hominum imaginem Dei eſſe, & ſimilitudinem, cum ad perfectam imaginis rationem requirantur ſimilitudo, origo, & æqualitas, hæcque ad Deum relata non conueniant cum creatura? Nam ſimilitudo eſt relatio æquiparantiæ: creatura verò non æquiparatur Creatori. Origo eſt qua perſona diuina eſt ab alia, idque in diuinis ſaluatur. Æqualitas eſt proportio habentium vnam quantitatem: At in Deo non eſt quantitas niſi virtutis: in creatura, molis. Igitur inter Deum, & creaturam nec ratio imaginis, nec ſimilitudinis ſaluabitur. Verum dicendum eſt ad imaginis rationem non ſolum perfectam reperiri ſimilitudinem, ſed imperfectam quoque: Hæcque eſt creaturæ ad Deum. Quare imago quælibet, ſimilitudo eſt: & non è contra; quia imago, iuxta Diui Thomæ doctrinam, addit eſſe expreſſum ab alio. Et licet ſimilitudo ſit relatio æquiparantiæ, non tamen ſemper denominat vtrumque extremorum: ſed tantum, quando forma eſt æqualiter, & eadem ratione in vtroque extremorum. Vnde differt à ſimilitudine (author eſt Beatus Thomas) tripliciter: quia imago pertinet ad formam ſpecialem: ſimilitudo ad naturam. Hæc ad amorem virtutis: illa ad cognitionem veritatis, quæ eſt principium demonſtrans naturam intellectualem. Imago ad potentias, memoriam ſcilicet, intelligentiam, & voluntatem: ſimilitudo ad habitus conſequentes, innocentiam ſcilicet, iuſtitiam, &c. ob id dicitur, quòd creatura non eſt imago Dei perfecta, quemadmodum & filius imago eſt patris: ſed deficit, quandoquidem ad imaginis rationem reperitur etiam imperfecta ſimilitudo. Origo autem creaturæ à Deo eſt vt cauſa, in diuinis autem vt ab alio. Quare origo in Deo eſt ſine priori, & poſteriori: in creatura verò eſt cum vtroque. Æqualitas autem creaturæ eſt proportionis non æquiparantiæ. Dicitur itaque, quòd licet ad perfectam imaginis rationem requirantur ſimilitudo, origo, & æqualitas, hæque ad Deum relata non conueniant cum creatura: nihilominus tamen ad imaginis rationem, requiritur etiam ſimilitudo imperfecta: æqualitas proportionis,

Genesis 3.

Ad perfectã imaginis rationem quid requiritur.

p.p.q.35.art. 1.& q.4.ar.3.

p. p. q. 93. art.9. Imaginis diſcrimen à ſimilitudine.

portionis, & origo vt causa. Custodi igitur temetipsum, tamquam Dei templum, & vt suijpsius imaginem.

Αἱ τῶν βιωτικῶν ὁμιλίαι τὸν λογισμὸν ἀπὸ θεοῦ χωρίζουσι. διότι μηδὲ αὐτὰς μηδὲ συλλαλει, καὶ οὕτω λαλοῦντας ἔκκλινε.

PRÆCEPTIO LXXXVIII.

Secularium conuersationes mentem à Deo segregant: quapropter ipsos nec alloquere, sed alloquentes declina.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXXVIII.

SEculum quod propriè periodus cuiuslibet rei est, quod annorũ intercapedine centum etiam ab illustribus viris præfigitur, constituiturque, sicuti lustrum quinque, & olympias septem, quamuis aliquando iuxta beatum Thomam, pro illo ponat æuum, seu æuiternum; à nobis vulgariter mundus nuncupatum: religionis statui contrarium prorsus est: Hæc enim virtutes, illud vitia subministrat: hæc paupertatem, illud diuitias: hæc humilitatem, illud superbiam: hæc castitatem, illud luxus omnes: hæc obedientiam, illud rebellionem: hæc (vt cętera relinquamus) cœlestia attendit, illud vana omnia. Non est certè conuentio lucis ad tenebras: seculum tenebræ est: lux religio. Vt quid ergo cum tenebrosis conuersaris tu, qui lumen es? si vt illumines, bene quidem agis: sed caue ne extinguaris, atque obtenebreris tenebrarum densitate secularium: ventoque vanorum colloquiorum eorumdem; hęc autem erunt conuersationes eorummet; quia secularium, & mundanorum conuersationes mentem ab illa luce inaccessibili, diuina omnium luminum fonte inexhausto, segregant, cum sint mundanæ. Tutius tamen est, ne alloquaris, sed alloquentes declines: quia scriptum est, Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus: vt ei placeat, cui se probauit. Quare Religio à religendo dicta est: eo quòd per

Seculũ quid. p. p. q. 80. art. 2.

Seculum cõtrarium religionisstatui.

2. ad Tim. 2.

Religio vnde dicta.

Digitized by Google

Lib. 8. Ethy. per eam vni soli Deo religamus animas nostras ad cultum diuinum animo seruiendi, inquit Beatus Isidorus: vel à relegendo Deum, quem negligentes amiseramus, iuxta Diuum Augustinum. Igitur si Religio est, qua anima se vni Deo, vnde se peccato separauerat, reconciliatione ligat, secularium vtique conuersationes separabunt mentem tuam à Deo; coniungentque Mundo, Carni, & Diabolo. Igitur nec alloquere, sed alloquentes declina. Vt quid enim cum mundanis tu, qui cœlibem ducis vitam, conuersaris? signum enim est mundana omnia tibi placere, displicereque mundum dereliquisse: præteritæque vitæ luxum desiderare; & tamen cœlestis veritas docuit, neminem ad aratrum manum suam mittentem, respicientemque retro, aptum esse regno Dei. Mittit quidem manum ad aratrum, qui sanctam Religionis conuersationem ingrediens: ibi soli Deo vacare cupit: respicit autem retro, dum ad retro actæ vitæ licentiam aspirat. sed quid, quod Deus hos seuerè punit? In manifesto est exemplum Patris cuiusdam Ordinis Prædicatorum, qui etsi sanctus prædicator, ob conuersationes tamen secularium frequentissimas, quamuis exemplares, diu in Purgatorio mansit, quàm nouitius: & si glorioſior tandem apparuerit tectus veste, lapidibus preciosis ornata ob maiora merita. Totum autem hoc intelligendum est seruatis seruandis, modo, tempore, loco, personis, &c.

In Chronica ord. Prædic.

Ὅταν λοιδορηθῇς, σκόπει μή τι σοι τῆς λοιδορίας πέπραχται ἄξιον· εἰ δὲ οὐ πέπραχται, καπνὸν εἶναι φεύγοντα τὸν λοιδορίαν νόμιζε.

PRAECEPTIO LXXXIX.

Quando conuicijs peteris, considera an aliquid à te factum sit conuicio dignum: si verò nihil à te admissum fuerit: fumum fugientem conuicium esse, existima.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. LXXXIX.

CONuicium etsi Labeon Iurisconsultus id esse dicat, quod cum clamore publicè fit, putans à vocum concitatione, vel conuentu deriuatum: melius tamen dicendum putamus propriè maledictum esse cum contumelia. Et licet hęc culpam respiciat, illud verò pœnam, quemadmodum improperium indigentiam: sumit Author conuicium indistinctè, & vniuersaliter pro quacunque iniuria. Si igitur conuiciaris, vide an conuiciator verum dicat, nec ne: ita vt à te verè aliquid factum sit conuicio dignum. si aliquid à te factum est, verum dicit conuiciator: quamuis mortaliter peccet, conuiciando, si ex intentione dehonorandi notabiliter cõuiciatur: quamuis ad correctionem non peccet, debito modo seruato. Tu verò suffer: & resipisce. Quandoquidem garrulorum dicterijs, iniquorumque conuicijs efficietur: vt moribus euadas melior, dum conaberis illos dictis pariter, ac factis, mendacij conuincere in posterum. Quamquam permittat Deus malignos homines in mundo, vt à vitijs nonnulli retrahantur: dum ipsorum facta in eorum linguis versantur, atque cum maximo dedecore palam fiunt. si verò à te nihil admissum fuerit dignum conuicio, quamuis conuicijs lacessitus: non secus conuicium existima, ac fumum fugientem. Quemadmodum enim fumus ab igne exiliens non permanet, præsertim flante vento, sed hinc inde dispersus, dissipatur omnino: sic conuicium iniustè, imprudenterq; illatum, fugit vt fumus, & euanescit. Tu verò maledictis admonitus: & caue in futurum, & persiste in innocentia.

Quid sit conuicium.

Nota.

Homines maligni permittũtur à Deo, & cur.

Optimum exemplum.

Ἐν οἷς ἀδικῇ τὴν ὑπομονὴν προσφέρε, καὶ πρὸς οὗτο ἀδικοῦντας ἀ βλάβη μεθίστατο.

PRAECEPTIO XC.

In omnibus in quibus iniuria afficeris, ad patientiam confugito, & super iniuriantes nocumentum deuoluetur.

R SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XC.

Lib 5. Ethic. Iniuriam facere quid sit

Niuriam facere, vt author est Aristoteles, est simpliciter aliquem nolentem lædere, & scientem quem, & quo, & quomodo præter illius voluntatem. Sed melius inquit Beatus Isidorus iniuriam esse, verbo, vel facto cum aliquo iniustè agere. Vnde omne quod non fit iure, iniuria est: ergo qui iniurijs aliquem afficit, iniquitatem, atque iniustitiam committit. Verumtamen si tu iniuria afficeris, optimum remedium est ad patientiam confugere. Confugies autem, si malorum irritamenta, quæ aut inferuntur, aut accidunt; cum æquanimitate pertuleris. Quid enim est patientia, iuxta Ciceronem, nisi virtus contumeliarum, & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans? Et iuxta Gregorium, nonnisi aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Sed quid? si ad patientiam confugeris? sapientia præditus omnino videberis: quia sapientis est aliorum improbitatem æquanimiter tollerare.

Quid sit patientia. In Rhetoricis.

Homo patiēs tria mirabilia habet in se.

Quinimo tria simul & semel videbuntur in te mirabilia: gloria, fortitudo, & patientia. Gloria, si cui nocere potuisti, parcas: fortitudo, si remiseris læsus: patientia, non lædendo eum à quo læsus es. Cæterum, quod magni refert, est: iniurias patiens, & dissimulans, super iniuriantes nocumentum deuoluitur. Si enim fortis armatus aliquem aggressurus, sciret omnino vincendus, quia scuto sinistram minimè muniuit manum, licet arma reliqua sumpserit, galeam scilicet in capite, toracem in corpore: victurus verò si scutum acceperit, nonne stultus dijudicaretur omnino, si scutum renueret? sic homo pius, dum iniurijs ab aliquo affectus, stultus omnino esset, si patientiæ scuto non se armaret. Nam sic armis contectus, nocumentum in iniuriantes deuoluet. Vel accidet, quemadmodum & ignem exufflanti. Quandoquidem, vt ignis accendatur, crepantibus buccis exufflare necessum est: quo fit, vt quanto magis exufflatur, tanto magis accenditur, exufflans verò aspergitur cinere, fauillis pungitur, fumo excecatur. Iniurians, ignem exufflans est. Igitur quanto magis iniurias infert, eo magis patitur: afficitur tristitia: pungitur ira: & exce-

Exemplum optimum.

Exemplum.

Iniurias magis patit eo qui iniuriā.

Digitized by Google

excecatur rabie. Quare bene dicebat Laertius Diogenes in de vita, & moribus Philosophorum: iniuria iniustè irrogata, eius est infamia qui facit. sed & Chrysostomus apertius id docuit, dicens: Si vindicare vis, file: & funestam ei dedisti plagam. Et rectè: quia ex silentio, & taciturnitate, in excandescentiam, & rabiem iniurians efferetur: seipsum dilanians. Hoc idem docet Author, dum dicit ad patientiam confugito: & super iniuriantes nocumentum deuoluetur. Super Matt.

Ἡ σιγὴ πλοῦτον ἢ δόξαν ἐρᾷς, ἢ βιωτικὴν δυναστείαν, λογίζου τὸ ἐν αὐτοῖς φθαρτὸν, καὶ διὰ φεύγει τὸ δίλεαρ.

PRÆCEPTIO XCI.

Cum vides diuitias, aut gloriam, aut mundanam potentiam: Considera labilitatem ipsorum, & effugies illecebram.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XCI.

Fecit Deus hominem omnium rerũ locupletem, super cætera animantia glorioſum, atque præpotentem: quinimo omnium Principem. Dixit namque homini: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam: & dominabimini piscibus maris, volatilibus cœli, & vniuersis animantibus terræ, &c. Verum Deo inobediens, diuitias perdidit, gloriam amisit, imbecillis, atque miser euasit. Horum tamen affectus in eo remansit, quia ad magna, & suprema natus est homo: ideoq; & paupertatem respuit, & casum, deiectionemq; timet, & miseriam refugit, atq; recusat. Ita vt vsque ad hanc diem horum desiderium in eo perseuerat, vt non sit momentum quo diuitias, gloriam, & potentiam nõ ambiat; totumq; conatum suum apponit, vt consequatur. Verum ob rerum varietatem, tempusque mutabilitatem, nonnulli habent: quidam verò nec habent, nec possunt habere. At qui non habent, meliores se habent, habentibus: qui verò habent, peiores: malum enim est ipsis, non nisi quia non effugient illecebram, Homo diues creatus. Genesis 1. Cuncta amisit homo propter peccatum. Homo quæ desiderat.

Digitized by Google

quæ est causa ruinæ animæ. Ideo Author hæc tria ponit exo-
cranda, fugiendaque, tamquam illa, quæ illecebras pariunt,
Diuitiæ gloria, & mundana potentia summergunt hominem.
quæ tandem virum Christianum summergunt: diuitiæ scili-
cet, gloria, & mundana potentia; dicens: cum vides diuitias,
aut gloriam, aut mundanam potentiam, &c. summergunt
quippe hominem diuitiæ, gloria, & mundana potentia: diuitiæ, luxu: gloria, superbia: mundana potentia, tyrannide. Difficile namque est, vt quis sit dives absque luxu: gloriosus absque superbia: potens absque tyrannide, ob naturæ corruptelam, quæ semper in vitia penè vergitur, nisi adiuta speciali Dei auxilio. At verò cum diuitiæ à furibus effodiantur, a tinea, & erugine tandem demoliantur: gloria vana à mundi instabilitate consumatur: mundana potentia à tempore: si consideraueris ipsorum labilitatem, effugies quidem illecebras,
Diuitiæ, gloria, & mundana potentia labiles.
quæ ab omnibus his cauſantur. labiles quidem sunt diuitiæ possessiones, domus, gloria, honor, & mundana potentia. Diuitiæ, quia fur effracta arca, aufert, & fugit: mare naues ex mercibus extructas obruit: terra iacta semina non reddit: flamma prosternit domos. Labilis est gloria, quia inuidia euertitur: labilis est honor, cum infamia deficiat. labilis est mundana potentia, quia subditorum rebellione destruitur. Si igitur consideraueris horum labilitatem, effugies illece-
Epist. 36.
bras omnes: & rectè; quia dicebat D. Augustinus, prospera huius mundi asperitatem habere veram: iucunditatem falsam: certum dolorem: incertam voluptatem: durum laborem: inuidam quietem: rem plenam miseriæ: spem beatitudinis inanem. Si has consideraueris labilitates, effugies certè illecebras.

Καρτέρει τὰς θλίψεις. ἐν αὐταῖς γὰρ αἱ ἀρεταὶ, καθάπερ ἐν ἀκάνθαις ῥόδα, φύονται τε καὶ τρέφονται.

PRÆCEPTIO XCII.

Tollera tribulationes: inter ipsas enim virtutes quemadmodum inter spinas rosæ, nascuntur, & germinant.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XCII.

NEceſſe eſt hominem, quicumque ſit ille, ſiue debilis, ſiue præpotens: ſiue ſeruus, ſiue Rex: ſiue humilis, ſiue excellens: ſiue pauper, ſiue diues: ſiue fidelis, ſiue infidelis, tribulationibus vexari quamplurimis, nec poteſt fieri, quin aliqualiter ſaltem aduerſa patiatur homo. Quippe qui homo eſt, ſub Dei voluntate conſtitutus; ſub varijs cœlorum motibus, influxibuſque ſubditus; qui in mundo mutationi obnoxio habitat: ac propterea extra locum ſuum: Mirum igitur non eſt, ſi tribulationibus premitur aliquando; omne enim extra locum proprium exiſtens, patiť: Ideo cum locus iſte non ſit noſter, ſed ad altiora nati ſimus: dum in hoc moramur ſeculo; neceſſe eſt, vt tribulemur, nec poteſt fieri ſecus. Remedium verò circa tribulationes tollerantiam Author hic noſter aſſignat: datque cauſam cur tollerare debemus; quæ nulla alia eſt niſi ob fructus, quos ex ipſis nanciſcitur homo. fructus autem erunt virtutes omnes. Nam quemadmodum inter ſpinas roſæ naſcuntur, ſic inter ipſas, virtutes germinant. Ac ideo hæc eſt vna ex cauſis, & præcipua, cur ſeruis ſuis immittit Deus tribulationes, non niſi vt de virtute in virtutem creſcant: fiantque perfecti ſicuti & ipſe Chriſtus perfectus eſt. Virtutes verò erunt humilitas, miſericordia, caſtitas, obedientia, compaſſio, abſtinentia, perſeuerantia, charitas, & his ſimiles innumeræ. Ex hoc enim, quòd Deus aufert diuitias, efficitur, vt homo non ſuperbiat, non luxurietur, non iraſcatur: cum aufert filium à patre, ne furetur; vt tandem non ſuſpendatur. Ideo Author ſuadet, vt tribulationes tollerentur, quia ex ipſis homo fit perfectus. Cum enim inter ipſas virtutes naſcuntur, quemadmodum inter ſpinas roſæ, fit vt inter tribulationes dum tollerat homo, perfectionetur; quia non niſi virtutibus homo fit perfectus. Vt autem tollerantiæ modus habeatur: ſciendum eſt, quòd à tribus quidem affligi ſæpe ſolet homo; à Deo, à Diabolo, & ab homine. A Deo flagellis; à Diabolo tentamentis: ab homine damnis, & perſequutionibus. A Deo, vt pœniteant: à Diabolo, vt deliquant: ab homine, vt confundantur. Verum quia multi ſunt, qui contra Deum ad murmurationis

homo quicũque ſit ille, neceſſe eſt, vt tribuleť.

Cur homo tribulationes patitur.

Ex tribulationibus homo fit perfectus.

Homo à quibus affligiť.

excelſum

excessum proruunt: contra Diabolum consensu peccati: contra proximũ ad mali retributionem: ideo salubre documentum dat Author, vt quascumque tribulationes tibi illatas, tolleres. Tollerabis quidem, si contra Dei flagella, benedictionibus insurrexeris: contra Diaboli tentamenta, constantia: contra proximi damna, fortitudine. Contra Dei flagella, gratiarum actione: contra Diaboli tentamenta, humilitate: contra proximi damna, magnanimitate. Contra Dei flagella, pœnitudine: contra Diaboli tentamenta, oratione: contra proximi damna, lenitate: contra omnia verò patientia. Fructus autem ex his consurgens, maximus est. Quemadmodum enim inter spinas rosæ nascuntur, germinant, atque florent: ita inter tribulationes virtutes cunctæ: quibus homo perficitur: idque iam enarratum est. Tollera igitur tribulationes, vt virtutibus quibuscumque exornatus ob tollerantiam, patientiamque, ab eo qui dat abundanter, & affluenter, præmium recipere valeas in sempiternum.

Tribulationes quomodo tollerandæ.

Μηδὲ εἶναι τῆς ἀρετῆς ἴσον εἰς ἀξίωμα νόμιζε. ὅτι γάρ ἐστι θεοῦ εἰκών, καθὰ καὶ αὐτὸς, ἄτρεπτος.

PRÆCEPTIO XCIII.

Nihil cum virtute dignitatem conferendam esse existima: imago enim Dei est: Ideoque quemadmodum ipse immutabilis est.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XCIII.

Homine quę euehunt.

DVo præ cæteris euehunt maximè hominem: virtus, & dignitas. Dignitas corpus exornando (nam cum veniat à dignus, & significet honorem nobis propter merita, vel impensum, vel debitum: dignitas erit alicuius honesta, & cultu, & honore; & verecundia digna authoritas, iuxta Ciceronem in Rhetoricis: virtus verò corpus, & animam. Igitur si dignitatem cum virtute comparaueris, existima nihil

Digitized by Google

nihil cũ virtute dignitatem conferendam esse: Dignitas enim vanitatis imago est: virtus verò imago Dei. Nihil quippe hominem beatum efficit, nisi virtus (axioma etiam Ethnicorum) sed à nemine beatus efficitur homo, nisi à Deo: quia ipsa beatitudo Deus est: igitur virtus imago Dei est. Quid quod Deus immutabilis est? & virtus quoque sola est, quæ immutabilitate, atque immortalitate nos donare potest; & pares Deo facere, inquiebat Seneca: quia vera dignitas virtus est animi, quæ neque adulatione conquiritur, neque pecunia præparatur: sed à Deo nobis ex sua benignitate confertur: maior illa, quæ Cæsaribus præstatur. Quandoquidem cum sit externa, fucata est: simulata: occulta: habens accusatorem: ingratum: persequutorem: inuidum: perfidum: & maledicum: virtus verò ex se his omnibus caret. Sectare igitur virtutem, quæ hominem extollit, & super astra mortales collocat: immortalitate ipsos beans: delectare animo virtute prædito. Abhorre tot res inanes, dignitatem, gloriam, honorem, famam, ædificia, vestitus, pompam, cultusq; corporis superfluos, similiaq; fugacia omnia, quæ varietati rerum subiecta, beatum te efficere nequeunt: virtus autem cum sit imago Dei, vtique te beare poterit: quia quemadmodum ipse, immutabilis est.

Nulla comparatio inter virtutẽ, & dignitatẽ.

Lib. de immatura morte.

Θλίου τὸν ἁμαρτωλὸν διδιωῦντα. τὸ ξίφος γὰρ αὐτῷ τῆς δίκης ἐπὶ τόνεται.

PRAECEPTIO XCIIII.

Luge peccatorem fœlicem: gladius enim iustitiæ ipsi imminet.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XCIIII.

FOelicitas, siue sit operatio quædam animæ secundum virtutem perfectam, vel per virtutem perfectam operantem exterioribus bonis, iuxta Aristotelem, vt fœlicitas vel sit formæ seruanda cum virtute, vel per sufficientiam vitæ, vel sit ipsa vita tuta, & iucundissima: vel possessionum facultas, vel corporum

Fœlicitas quæ.

1. & 8. Eth.

Digitized by Google

Lib. 1. Rhet. corporum vires, vt habet Aristoteles, sed cum factiua, conseruatiua, amplificatiua horum virtute: siue sit virtus in vita perfecta secundum eundem; siue sit, quòd vitam sufficientem, optabilem, ac nullius indigam præstat, manifestum est esse

Deus dat fœlicitatem. donum Dei. Deus namque dat formam, vitæ sufficientiam, vitam tutam, iucundissimam, possessionum facultates, corporis vires, operationes secundum virtutem perfectam: in vita perfecta virtutem, vitam denique sufficientem, optabilem, ac nullius indigam. Quare Lucianus optimè dixit, sine Deo nullum mortalem fortunatũ. Verum enimuero, si fœlix

Nihil infœlicius fœlicitate peccantium. peccator sit, & peccator in peccatis prosperatur: scito nihil infœlicius fœlicitate peccantium. Pessimum quidem signum est, quando quis viderit hominem peccatis obnoxium, turpitudinibus seruientem, vitijs quibuscumque deditum: cui ad nutum, & vota, omnia succedunt, & fœlicitari. signũ inquam pessimum est, quia in præsenti seculo remunerationem accipere videtur: & ab æterna fœlicitate pœnitus excluſum. Ecquis non hunc lugebit? quis non deflet? Noli gratulari huic, qui in via sua mala prosperatur, cuius peccatis deest vltor: quem Deus pollere permittit in prosperitate: cui prospera sydera, tempora, loca, fines, actiones, successus fœliciter famulari videntur. Pessimum dico signum est, quia derelictus est à Domino Deo Creatore suo, eumque tartareæ expectant potestates: hoc enim est gladium iustitiæ imminere. Dicebat

In libro de prouidentia. Seneca, nihil infœlicius eo, cui nihil accidit aduersi: quia male iudicauerunt Dij de ipso. Et rectè, cum vbertas nimia segetem sternat, rami onere frangantur, nimia fœcunditas non peruenit ad maturitatem. Quinimo veritas infallibilis docuit: quòd prosperitas stultorum perdet eos. Tu autem si

Prouerb. 1. Timendũ est dum prospera suppetũt. prospera tibi suppetant, paueſce: ne laborum tuorum fructus hic recipias: caue prosperorum delectationem: aduerte ne indignetur Dominus: ne fœlicitate pœnalis nutriatur impunitas. Roga Dominum, vt correctionis flagella hic patiaris:

Lucæ c. 16. ne dicatur tibi, quod & diuiti stulto dictum fuit: Recepisti bona in vita tua. Dicas Domino, hic vre, hic seca, vt in æternum parcas. Dic, vt Beatus Ludouicus Bertrandus Ordinis Prædicatorum, sanctitate conspicuus, aiebat. Domine hic non parcas, vt in æternum parcas.

Mutipa

Digitized by Google

Μητέρα κακῶν τὴν ῥᾳθυμίαν νόμιζε γάρ, ἃ ἔχεις σωλᾶ· ἃ δὲ οὐκ ἔχεις, οὐκέτι προσκτήσεσθαι.

PRÆCEPTIO XCV.

Matrem vitiorum ignauiam existima, bona enim quæ iam tenes, deprædatur: quæ verò nondum possides, non sinit acquirere.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XCV.

NEminem credo fures amare, nisi fures, quia in malo concordes; alius autem fures non amabit: nam & bona sua quandoque subripere poterit: ac propterea odio potius illum habebit; quinimo persequetur, & iudici tradet, vt puniatur. Quare & Saluator noster dixit: Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Adagium quoque est, Non est amicus noster, qui nostra bona tollit: Ideo nec amicus erit, qui alicui impedimento fuerit, ne dines fiat: neue bona etiam quæ nondum possidet, sinit acquirere. Inter fures omnes non minor est ignauia. Quippe quæ cum tædium bene operandi importet: duo mala causare videtur animæ. Deprædatur enim bona quæ possidet, peractaq; consumit, & impedit, ne noua acquirat: ac ideo Author vocat eam matrem vitiorum. Quandoquidem ignauia corrodit torpore sensus, obliquat sopita pectora, corrumpit corpus, impellunt cupidinis arcus, & vt inquit Lucanus, variam semper dant ocia mentem. Clarum est, ferrum si transit in vsus, assiduo micat splendore; si verò quiescit, fuscatur, & in atram vertitur rubiginem. Mens itidem si in continuum versatur laborem, virtutibus splendet quàmplurimis: si autem immaniter torpeat, fuscatur atque in vitia vertitur cuncta. Hanc ob causam bene dicit Author, vt matrem vitiorum ignauiam existimes: quia bona quæ mens tenet, dissipat omnino: quæ verò nondum habet, prohibet penitus. Igitur fuge ignauiam, quia si mater vitiorum est: nouerca erit virtutum, nutrix egesta-

Fures à furibus amantur.

Lucæ c. 12.

Ignauia est fur.

Ignauia mater vitiorũ.

Exemplum.

Ignauię malignitas.

Digitized by Google

egestatum, parens desperationis, pestis horrida, cum per eam vires, & ingenium defluant. Igitur tempus quies tibi sit, non desidia: quotidianis, ac recentibus virtutum incrementis instaurans mentem tuam. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia, inquit Ambrosius, & bene: quia sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit: cessatione verò torpescit, & deficit. Fuge igitur ignauiam: amplectere laborem, ne bona quæ tenes, amittas: quæ verò nondum habes, non possis acquirere.

Ὅταν φαῦλα πράξῃν, ἐπ' αὐτοῖς μὴ αἰσχύνεται, βαρύνεται τὸ ἦθος, καὶ τὸ πῶμα εἰς ἀπόγνωσιν ἔρχεται.

PRÆCEPTIO XCVI.

Quando iniqua agens quis, propterea tamen nullo pudore afficitur, vulnus magis exasperat: & error ipsius tendit ad desperationem.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XCVI.

Pudor quid.

PVdor propriè castitatem respicit, quia à pudore pudicitia, quæ circa signa venereorum est: vt sunt tactus, oscula, & huiusmodi. Est enim pudicitia, iuxta Diuum Augustinum, animi virtus, qua quis verecundatur de actibus, de quibus homines magis verecundantur. Vnde est res animæ, sicuti virginitas corporis, quæ potest à corpore violenter auferri, illa integra in anima permanente, sicuti ista integra in corpore perseuerante, potest illa in animo lasciui voluntate corrumpi. Sed Aristoteles dixit, pudicitiam esse timorem iustæ vituperationis: qui affectus est honestissimus. Vnde quemadmodum circa signa venereorum est pudicitia: ita castitas circa venerea. Dicitur tamen & de exteriori compositione, & de verecundia, & de erubescentia: licet hæc sit de turpi fiendo: verecundia de turpi facto (vt author est Beatus Thomas) sumitur tamen ab Authore indistinctè. Itaque quando quis iniqua cuncta agit, non tamen verecundatur, neque

Lib. 14. de ciuitate Dei, & contra Iulian.

1. 2. q 41. art. 4.

Digitized by Google

neque pudet se talia perpetrare: vulnus peccati magis exasperat. Peccatum quidem est sicuti vulnus, cui si ferrum non extrahitur, vel non curetur cito, sed floccifit: exasperatur quidem magis; ita vt non amplius remaneat spes sanationis. Aut adhibito medicamine, si statim extrahatur: magis vulnus exasperatur. Quòd si rursus medicatur, & denuo detegitur, vulnus certè nunquàm sanabitur: quinimo desperabitur salute: ita peccatum, si absque verecundia remaneat, si pudore non destruatur, si rursus renouetur, & de die in diem iteretur impudentia, magis certè exasperatur, ita vt non amplius relinquatur sanationis locus, quia error ipsius ad desperationem tendit. Male dixit Aristoteles, verecundiam non omni ætati conuenire, sed tantum iuuenili, quia iuuenes verecundos laudamus: senem verò verecundum nullus laudabit. Melius dixit Beatus Ambrosius verecundiam omnibus ætatibus, personis, temporibus, locis aptam esse. Nam cum sit virtus, omnis ætas quacumque virtute prædita debet esse: & si adolescentes, iuuenilesque annos pudicitiam, verecundiamque maxime deceret, asseueret. At verecundia virtus est largè sumpta, ideoque quibuscumque congruit. Congruentior tamen iuuenibus est, quia vt artifex in materia commodiore, melius operari solet: sic verecundia, pudicitiaque in ipso quoque corporis decore plus eminet: ita tamen, vt etiam ipse non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quàm ornatus, vel cultus, vel expeditus. Concordat tamen Nilus, qui absolutè dicit: quando iniqua agens quis, propterea tamen nullo pudore afficitur: vulnus magis exasperat, & error ipsius ad desperationem tendit. Quare optimè Cyprianus digreditur, dicens: Pudicitia est ornamentum nobilium, humilium exaltatio, ignobilium nobilitas, pulchritudo vilium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, Creatoris omnium Dei amica. Vide igitur pudicitiæ magnitudinem: Considera peccati grauitatem, quando quis iniqua agens, nullo tamen pudore afficitur: quomodo vulnus certè magis exasperat: & error ipsius ad desperatiouem tendit.

Lib. Ethic.

Lib. 1. offic. Verecundia omni ætati conuenit.

De duodecim abusionibus. Pudicitię encomia.

Digitized by Google

Ὀ ἀδικῶν ἀθυμῶν, λογίζου πόσα τοῖς πιστοῖς παρεσκεύασται, καὶ ὁ καρπὸς σοι τοῦ πνεύματος ἀχωρῶν παρέσται.

PRAECEPTIO XCVII.

Quotiescumque tristaris, reputa quanta bona fidelibus præparata sint: & fructus spiritus facile tibi aderit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XCVII.

NOn sumit Author tristitiam prout est dolor de bonis alterius, inquantum est malum sibi, vel nocendo, vel carendo, vel excedendo, vel quia est indignus: nam sic inuidia erit; sed sumit tristitiam pro anxietate, & angustia, quam quis habet de malis sibi euenientibus, seu de bonis absentibus. Quare diffinitur tristitia pro apprehensione disconuenientis in appetitu intellectiuo, vel volitiuo, nobis nolentibus euenientis: Estque passio animalis, iuxta Sanctum Doctorem, media inter duas passiones irascibilis: quia sequitur timorem, & prior est ira, quam etiam efficit. Igitur si de malis tibi imminentibus tristaris, vel quia bona quibus alij abundant, non habes: duo remedia oportunè occurrunt. Primum est, reminisci tristitiæ comites esse fletum, planctum, gemitum, suspiria, incurabiles ægritudines, pleraque mala: reminisci tristitiam exiccare ossa, nocere cordi, causare insaniam, & inferre mortem. Hæc si tibi in mentem venerint, effugies tristitiam. Secundum verò est Authoris, vt scilicet recogites quanta bona fidelibus præparata sint: & fructus Spiritus consolatoris tibi statim aderit. Nam mètem quam Spiritus sanctus in æternorum dilectione commouet, replet in temporalium despectione (vt Gregorius inquit) sicque quicquid in hoc seculo nequam, difficile, angustum, tristè videtur: leue, lene, lætum facit Spiritus sancti consolatio; quia qui de cœlestibus aliquid gustare cepit, quanto magis æterna intelligit: tanto minus temporalia curat. Quo fit, vt tristia quæque abeant. Esto itaque fidelis, & spera in

Quid sit tristitia.

p. 2. q. 25. art. 1. c.

Remedia ad euitandam tristitiam.

Sup Ezech. hom. 10.

Digitized by Google

in eum, qui te verè fœlicitari poteſt: recogita quanta bona fidelibus præparata ſint, ſtatimq; triſtitia diſcedet: fructuſq; Spiritus duodenario ſacratus numero, facile tibi aderit; repleberiſq́ne charitate, gaudio, pace, patientia, benignitate, bonitate, longanimitate, manſuetudine, fide, modeſtia, continentia, & caſtitate. Cæterum & bona triſtitia quoque tibi neceſſaria erit, ſicuti & humilitas: vt per utilem mœrorem cor ad laſciuiam non diſſoluat; ſicuti per humilitatem non ſuperbiat. Scribitur namque cor ſapientum vbi triſtitia: cor ſtultorum vbi lætitia. Et alibi: Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.

Fructus Spiritus ſancti.

Bona triſtitia neceſſaria.

Χρὴ τὸν πιστὸν ταπεινοῦσθαι πρὸς πάντας. τὸ γὰρ πρὸς, ἵνους ταπεινοῦσαι, πεπλανημένως τὸ ταπείνωσιν λέγεται.

PRÆCEPTIO XCVIII.

Decet fidelem humiliter ſe gerere erga omnes, coram quibuſdam enim tantum humiliari: fictam quandam humilitatem arguit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XCVIII.

INter virtutes omnes, quibus Chriſtianus in ſpirituali vita proficere poteſt: nulla nec firmior, nec ſecurior, nec vtilior cenſetur humilitate. Nam præſuppoſitis Theologalibus, fide ſcilicet, ſpe, & charitate: per humilitatem Sancti omnes profecerunt; ac iuſti in conſpectu Domini inuenti ſunt: & ſine illa nullus ſanctus eſſe potuit, neque poteſt. Lege Sanctorum geſta, cernes quippe fundamentum eorum fuiſſe humilitatem, qua & ſecuri per mundi turbulentias progreſſi ſunt; ac demum vtile conſequuti ſunt maximum, nempe Regnum cœlorum: nullum namq; excipit cœlum, niſi humilem. Ideo humilitatem docuit Saluator noſter ſeruandam, cum & illam quoque pro matre elegerit. Vide igitur & humilitatis firmitatem, neceſſitatem, ſecuritatem, atque vtilitatem. Verum cum plerique ſint humiles, nec certum eſt, qua humilitate

Humilitatis firmitas, ſecuritas, & vtilitas.

Mater Chriſti humilitas

Digitized by Google

litate sint humiles: cum quidam sint ficti, nonnulli veri, dat Author modum inter cæteros, quomodo humiliter se gerere debeat homo, dicens. Decet fidelem humiliter se gerere erga omnes. Est igitur diligenter animaduertendum circa humiles: quod plerique apparent humiles vel in gestu corporis: vel in fracta verborum voce: vel in vili habitu. Hæcque vel coram omnibus ostendunt, vel coram quibusdam: vel verè, vel fictè. At si non puro cordis affectu hæc exprimantur, vel si animus tumeat, habitusque, & sermo dissentiant: non virtutem, sed virtutis imaginem habent: non humilitatem, sed humilitatis vmbram tenent; quia vera humilitas in sui abiectione, in aliorum verò reputatione sincerè consistit.

Humiles varij.

Sed Author aliud dat signum veri humilis, scilicet si erga omnes humilem se ostendat, non versus aliquos. Vis igitur scire verum humilem: respice quomodo humiliter se gerat. si enim erga omnes humiliatur, verus est humilis: cor enim habet rectum: si coram quibusdam tantum, falsam, fictamque humilitatem exercet. Quomodo enim erit humilitas, vbi regnat falsitas? Regnabit quidem falsitas, quia coram quibusdam tantum, non omnibus humiliter se gerit. Vera autem humilitas limitationem non habet. sed qui talis est, aliud habet ore promens: aliud pectore condens. His dubio procul nequiter se humiliat: interioraque eius plena sunt dolo. Igitur si fidelis es, humilia te in omnibus, & erga omnes: & inuenies gratiam coram Deo, & hominibus: secus fictus, & simulatus es humilis, decipiens homines, sed non Deum, qui nec falli, nec fallere potest. Qui penetrat cor tuum: illabiturque menti tuæ.

Signum veri humilis.

Signum falsi, fictiq; humilis.

Τῆς πρὸς τὸν πλησίον ἀγάπης μηδὲν προτιμήσῃς, πλὴν ὅσα ἐξ αὐτῆς, εἰ ἀγάπη πρὸς τὸν θεὸν παραβλέπεται.

PRAECEPTIO XCIX.

Nihil amori proximi præferas, præterquam ea propter quæ charitas Deum non rectè intuetur.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. XCIX.

TRia diligere debet homo, Deum, proximum, & mundum, quia & hæc tria sola sunt obiecta diligibilia. Deum diligere debet supra se, proximum vt se, mundum infra se. Deum pluſquam se, proximum quantum se, mundum minus se. Deum supra, & pluſquam se, quia Deus est, Creator cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium: proximum vt, & quantum se, quia omnes proximi: mundum infra se, quia mundana vsui tantum nobis debent esse; ac propterea infra nos debent amari. Author tamen hic noster, etsi prima facie amorem proximi tangere videatur, de omnibus tamen loquitur: de proximi dilectione, & mundi, dum docet nihil amori proximi præferendum esse: de Dei amore supra omnia collocando, dum dicit, præterquã ea, propter quæ charitas Deum non rectè intuetur. De amore igitur erga proximum digredientes (nam & de illo principaliter intendit Author) sciendũ est, quòd proximus super omnia mundana diligendus est; quia ad hoc nati sumus, vt alteri charitatem alter ostendat. Hæc namque est vinculum perfectionis, & eo magis cum omnes creaturæ Dei simus: omnes ab vno Patre conditi, redempti, gubernati, & vnumquemque nostrum ad ipsum vt principium, & finem, redire conuenit: nec ad Indos, seu ad Antipodes remeare necessum est, vt amor inueniatur: cum intra nos sit. Bene itaque dicit Author, vt nihil amori proximi præferre debeas. Si verò amor proximi obscœnus est, relinquendus est omnino, & illi præferendus est amor Dei, quia in ordine ad Deum diligendus est proximus. Cæterum dubitatio non contemnenda exurgit, nam sententia vt iacet, absona omnino videtur. si enim nihil amori proximi præferre debeas, præterquam ea propter quæ charitas Deum non rectè intuetur: ergo præferre ea debeas amori proximi, quæ sunt contra Deum: quia ea propter quæ charitas Deum non rectè intuetur, præferre præcipit Author. Verum enimuero sensus minime ita trahendus est in oppositum, vt sententia omnino torqueatur; nam verissima est etiam vt iacet; tamen cum explicatione aliqua. Quandoquidé proximus noster sicuti nosipsi amandus

Homo quæ debet diligere.

Homo quomodo diligere debet Deum, proximum, & mundum.

Amor proximi qualis.

Dubium.

Responsio.

Digitized by Google

amandus est; cum igitur nobis nihil præferamus, nec amori proximi aliquid præferendum est. si autem talis amor proximi, sicut & amor sui non rectè incedit, sed obliquè, quia cum peccato est: cùm Deus ante, & super omnia diligendus sit, præponendus est quippe amore Dei, amori proximi. Hoc est quod dicit Author, præterquam ea, idest præponenda sunt amori proximi, propter quæ charitas, seu amor talis proximi Deum non rectè intuetur. Quia deuiat à recto, quia inordinatus, quia cum peccato: Nam Deus certè præ omnibus diligendus est. Intendit igitur Author dicere, quòd si proximus sine peccato ametur; tunc nihil amori proximi præferre debeas: sin autem, non debet amari, quia talis amor non rectè Deum intuetur.

Conclusio.

Μηδὲν παρὰ τὸν νόμον τοῦ θεοῦ πρόσκεισο μηδὲ πρόσαρχε. θεοῦ γὰρ ἀνάξιον ποιεῖ τὸν αὐτοῦ τινὰ προτιμῶντα.

PRÆCEPTIO C.

Nemini contra legem Dei adhæreto, neque auxiliator: Indignum enim facit Deum, qui ipsi præfert alium.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. C.

Legis diuisio.

Præcept. 13.

LEx omnis, prout nostro deseruit proposito, aut est diuina, aut humana: Diuina, natura constat: humana moribus. Hæc iam in superioribus luculentius explicata sunt: nec aliud quid remanet. Dicemus tamen, quòd hæ hunc ordinem, adinuicem habent: quod secunda à prima descendit. Quandoquidem si humana contrariari diuinæ videtur, non est vera lex, neque legitima: quia inauspicata, impiaque præcipit. si autem conformatur, bona est lex: digna obseruatione, quinimo necessaria. De vtraque potest intelligi præceptio, quia humana diuinæ legis imaginem gerit. loquitur tamen Author de diuina tanquam prima, & potissima, quæ à nobis principaliter obseruãda est: quę verè præcipit recta, depulitq; praua;

Legis diuinę natura.

Digitized by Google

praua; quæ obseruata hominem beatum efficit. Dupliciter itaque quis Deum offendit, primo contra Dei legem, alicui adhærendo: secundo, auxilium contra eandemmet legem illimet præbendo. Neutrum tamen bonum est: sed vtrumque pessimum. Primum, quia crimen est læsæ Maiestatis diuinæ. Offenditur certè Princeps, seu Rex, si quis alicui adhæserit: qui à Regis lege prohibetur adhæreri. Secundum non nimis longe est à primo, quia qui hosti Regis patrocinari conatur: contra Regem certè militari videtur. Ideo dicebat Saluator noster, Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Ratio tamen vniuersalis, cur nec adhærendum, nec opitulandum est alicui contra legem Dei, est, quia Deo digniorem facit eum, cui vel adhæret, vel opitulatur contra legem Dei. At indignum est, & planè iniquum præferre hominem Deo, nemini postponendo, cum nullus Deo inueniatur superior: hanc ob causam neque adhærendum alicui, neque auxiliandum contra Dei legem præcipit Author.

Princeps quomodo offenditur.

Lucæ c. 11.

Μὴ συμπόρευε τοῖς κακοῖς. αὐτοὺς μὲν γὰρ εἰς κακίαν ἐλκύσεις. σὺ δὲ μολυνῇ τῇ κοινωνίᾳ τοῦ πράγματος.

PRÆCEPTIO CI.

Ne patrocineris malis, ipsos enim ad mala prouocas: tu verò contaminaris peccati communione.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CI.

TRia abhominanda sunt penitus, malum, effectores malorum, & patrocinantes malis. Malum nonnisi quia malum: effectores malorum, quia causæ mali: patrocinates malis, quia concausæ. Malum, quia destructiuum boni: effectores malorum, quia corruptores bonorum: patrocinantes malis, quia concausæ. Malum, quia destructiuum boni: effectores malorum, quia corruptores bonorum: patrocinantes malis, quia auctores malorum. Malum, quia peccatum est: effectores

Abhominanda quæ.

T

Digitized by Google

res malorum, quia peccatores: patrocinantes malis, quia vt mali, ad mala malos prouocant. Quare duo mala efficit, qui iniquis patrocinatur: prouocat, trahitque magis iniquos ad mala: ipseque peccati iniquorum, fit reus participatione. Non enim negandum est, eos qui malos adiuuant ad malum, mali crimen incurrere: quia adiuuando, malum participare videtur. Vnde duobus modis non te maculat malus (inquit Diuus Augustinus) primo, si ei non consentias: secundo, si redarguas. Ergo è conuerso duobus itidem modis te maculabit malus, si consentias, & si non redarguas: id est communicare, consentire, & patrocinari. Quapropter furibus ne patrocineris, quia ad furtum eos magis prouocas: tuque furti communione contaminaris. Luxuriosis ne opituleris, quia ad luxuriam eos magis inuitas: tuque tale crimen, ac peccatum participare minimè dubites. Homicidiarijs ne auxilieris, quia magis ad effundendum sanguinem eos extimulas: tuq; ab iniusta sanguinis effusione minimè innoxius reddaris, sed nescis agentes, & consentientes pari pœna puniri? ergo tam faciens mala, quàm patrocinans malis, grauiter peccat.

Patrocinans malis, quæ mala efficit.

Obserua.

Νῆθτοι τὸν ἁμαρτάνοντα, μὴ κατηγόρει τὸν πλαίοντα. λοιδόρει μὲν γὰρ τὸ δάτερον, τὸ δὲ φότέρου διορθοῦνται.

PRAECEPTIO CII.

Admoneto peccantem, ne verò accusa errantem: alterum enim conuitiatoris est proprium, alterum verò castigantis.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CII.

Animarum zelus necessarius.

ANimarum zelus ita est perquamnecessarius, vt non nisi propter illum Filius Dei venerit in hunc mundum: cuncta namque quæ fecit, & quæ perpessus est, ob animarum zelum effecisse, ac passum, sacræ testantur literæ. O si tempus suppeteret, demonstrarem certè quomodo à mundi initio,

Digitized by Google

tio, vsque ad animæ suæ exitum, quæcunque egit, quinimo vsque ad hanc horam: quinimo vsque ad mundi finem quæcumque operaturus erit, propter zelum animarum effeciſſe, effecturumque: vt & tu diſceres per omnia, & in omnibus illis aſſimilari. Itaque ſicut & illum zelus domus ſuæ, hoc eſt tuimet, qui es templum Dei, comedit: ita & zelus animę proximi tui te comedere debet. Id autem efficies, ſi illum à peccato retraxeris: quemadmodum & Chriſtus venit, & retraxit, quamuis non omnes, ob repugnantiam. Id verò etſi multis effici poſſit argumentis: vno tamen efficies, nempe fraterna correctione. Hæc enim eſt illa, quæ eſurientes ſatiat, ſitientes potat, quæ ſanat infirmos, operit nudos, carceri mancipatos viſitat, recipit hoſpites, & ſepelit mortuos: hæc eſt illa, quæ dat omnia Chriſto, eſt enim actus maximæ charitatis: hæc à peccatis liberat, quæ in bonum conſolidat, quæ à Demonis poteſtate eripit, quæ conſociat Angelis, conregnare facit in cœleſtibus cum Deo, & tamen mens hominum ſic cœca eſt, vt hæc non curet: ac ſi præceptum non eſſet: ipſiuſq; omiſſio peccatum non eſſet mortale, ſeruatis tamen ſeruandis, quia præceptum affirmatiuum eſt. Hoc eſt, quod dicit Author, admoneto peccantem, quia ex admonitione fiet, vt caſtigatus reſipiſcat. Duo itaque in hac præceptione proponit facienda: alterum affirmatiuum, alterũ verò negatiuum. Affirmatiuum quidem, vt qui peccat, admoneatur: negatiuum, vt errans non accuſetur: admoneatur benignè, non accuſetur iniuſtè. Primum exequendum omnino eſt, quandoquidem qui admonet peccantem, charitatis actus exercet, (vt dictum eſt) completque illud Saluatoris, Si peccauerit in te frater tuus: vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Peccat quidem in te quotieſcumque vel publicè, vel priuatè peccat in Deum: quia Deus tuus eſt. Correctio autem fraterna quid eſt, iuxta Sanctum Doctorem, niſi charitatiua admonitio de peccatorum emendatione ex fraterna charitate procedens? Corrigo enim idem eſt, quod emendo. Secundum, vt errans minimè accuſetur, quia tunc accuſatio per calumniam eſſe præſumitur, vel per præuaricationem, & tergiuerſationem, ac propterea iniuſta decernitur. Quæ ſi vera accuſatio erit, abſque charitate tamen fieri extimatur: quia cum conuitio. Crede mihi plus proficere amicam

Chriſtus q̃cũque fecit, propter animarũ zelum fecit.

Zelus animarum in quo conſiſtit.

Fraternę correctionis encomia, & laudes.

Fraterne correctionis p̃ceptum.

Matth. 18.

Correctio fraterna qd. 4. ſ. diſt. 19. q. 2. art. 1. & 22. q. 33. ar. 1.

Digitized by Google

correctionem, quàm accusationem turbulentam. Illa enim (vt Ambrosius docet) pudorem incutit: hæc indignationem mouet. Ideo de primo dicit Author, quod castigantis est, de secundo conuitiatoris. Cæterum obserua primo corripiendum esse proximum: deinde comminandum: vltimo accusandum, ita vt proximi emendatio attendatur: non confusio. Nihilominus tamen accusatio formaliter non debet fieri, nisi in peccatis, quæ vergunt in damnum corporale, vel spirituale communitatis, author est Beatus Thomas. In criminibus igitur admoneto peccantem, vt peccatum rescindatur: ne accusa errantem, ne conuitiator reputeris.

Super Lucã.

Nota.

Accusatio quando debet fieri. 22. q. 68. art. 1. & 3.

Ἀκούειν δεὶ καὶ λαλεῖν τὰ τῶν ἁγίων σπουδάζε. εἰς ζῆλον γὰρ ἀγαθὸν τὴν ψυχὴν ἐρεθίζουσι.

PRÆCEPTIO CIII.

Semper audire, & loqui stude, quæ sancta sunt: ad bonum enim zelum animam extimulant.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CIII.

Aures, & linguã cur Deus dedit homini.

DEdit Deus homini aures, non vt quæque audiret, & linguam non vt quælibet pronunciaret: sed virtuosa tantum; nam ad virtutes natus est homo. Quòd si multa audire cõtingerit, etiam obscœna, dedit Deus aures duas: vt quemadmodum per vnam ingrediuntur, per alteram exeant, remaneant verò bona. linguam verò vnam tribuit, illamque dentium multitudine vallauit, ad coercendos leues sermones, & vt pauca loqueretur. Vnde & Theognides autumauit, docuitq; indecorum esse apud prudentes multa loqui. Fructus autem ex malorum auditione, & loquutione sunt pernicioſi: incitant namque animam ad mala quæque. Qua de re Aristoteles bene docuit iuuenes ne dicerent, vel audirent aliquod turpe, dicens: Iuuenes sunt custodiendi, vt ne dicant, nec audiant malum, vel turpe aliquod: quia ex dicere, & audire aliquod turpe, de facili est facere. Sed & Beatus Isidorus in vniuersum

7. Politic.

Soliloquiorum lib. 2.

de

Digitized by Google

de lingua, & auribus male vsis admonet, vanum sermonem cito pollere mentem: & facilè agi, quod libenter auditur: ex bonorum verò prouenit, iuxta Authorem, vt extimuletur anima ad bonum zelum erga honorem Dei, & proximi. Quid enim est verus zelus, nisi amor cum iusta ira, vel feruens dilectio: non patiens iniuriam fieri, vel Deo, vel proximo propter Deum? licet quandoque pro inuidia, & pro æmulatione accipiatur: idque communiter. Vnde zelotypia ægritudo animi est, iuxta Chrisippum, ex eo prouenies, quod timet quis, ne adsit alteri: quod cum nemine velit habere cõmune. Et Diuus Thomas habet, zelotypiam oriri ex amore: non patiente consortium cum re amata. Igitur ex bonorum auditione, & loquutione extimuletur anima ad bonum zelum. Quandoquidem clarum est, & manifestum, quod qui loqui, & audire sancta semper solitus fuit: nec dici, nec fieri mala permittet. Stude igitur audire, & loqui quæ sancta sunt: vt sic sanctè nutritus, tamquam alter Elias optimus zelator Dei, & proximi euadas.

Zelus quid.

Zelotipia quid sit.

p. 2. q. 28. art. 4. c.

Εἰ ἐκκλησίαν κατ' οἶκον ἔκαστος τῷ διαφόρων ἔχομεν, καὶ τελεῖν ἐν αὐτῇ οὕτω, θεσμοὺς τῆς ἐκκλησίας ὀφείλομεν.

PRAECEPTIO CIIII.

Quandoquidem domi nostræ ecclesiam, mentem quisque suam habemus: peragere etiam debemus in ipsa ecclesiæ sacrificia.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CIIII.

CONsulit Author in hac præceptione, vt quando quis domi suæ ecclesiam habet, mentem quoque suam in illa habere debet: atque in ipsa domo ecclesiæ sacrificia peragere. Iustum enim est, & æquum, vt domus Dei quamuis sit in domo nostra: ius non amittat suum, quod est esse domum orationis. Ad hoc enim facta est domus Dei quælibet, vt in ipsa offerantur orationes, proponantur necessitates, precemurque

Primus præceptionis sẽsus.

Domus Dei ad quid facta.

Digitized by Google

murque Altissimum, vt respiciat orationes, & obsecrationes nostras; audiatq; preces, quas fundimus coram eo; exaudiatq; illas libenter. Igitur quæcumque in Ecclesia aguntur, & hæc itidem in ipsa domi existente peragi debent: offerri scilicet sacrificia, oblationes, holocaustomata, psalmodiam, orationes, vota, gratiarum actiones, & his similia. Verum potest esse & alius sensus accommodus huic præceptioni. Nempe cum domi nostræ ecclesiam, quæ vnusquisque est nostrum, habeamus: debemus & mentem quoque nostram tamquam altare quodam habere: atque in ipsa ecclesiæ sacrificia peragere. Nobilius quidem templum est mens nostra, templum certè non manufactum, aut artificis alicuius creati opere fabrefactum, sed mirabili Dei omnipotentis ope, atque artificio conditum, erectumque simile sibi: in quo libentius (si tale se fecerit, digneque se gesserit homo) Deus quiescit, quàm in manufactis templis. Dicebat Xystus Philosophus. Templum sanctum est Deo mens pij, & altare est optimum ei cor mundũ, & sine peccato. Igitur in ipsa ecclesiæ sacrificia peragere debemus. Peragemus autem, si verè orauerimus mente, si spiritu obsecrauerimus: si fideliter preces effunderimus: si sincerè, absq; fucatione aliqua, & motu labiorum dissoluto; si humiliter, nam oratio humiliantis se, penetrat cœlum. sic quidem oratio nostra ascendet in conspectu Altissimi, tamquam incensum in odorem suauitatis: quia, in ecclesia, quæ in teipso est, ad altare mentis, quæ suprema hominis est pars: dignè, & laudabiliter sacrificia offerre consueuisti.

Secundus præceptionis sensus.

Mens nostra templum nobilius tẽplo manufacto.

Εἰ τελεῖται συναξις ἐν ἐκκλησια παρέσο. εἰ δὲ μὴ τελεῖται, σὺ ψάλλων ἀποστολικὸν ἀναγίνωσκε, ἀπέλθε.

PRÆCEPTIO CV.

Si peragitur congregatio in ecclesia, & tu adesto: si verò non peragitur, tu psallens Apostolorum Euangelium, abito.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CV.

MAterialis eccleſia typus eſt, & hieroglificum cœleſtis illius Hieruſalem: in qua cantabimus perpetuò alleluia. Quemadmodum enim congregatio ſit in eccleſia, ibiq; cantantur laudes Domino Deo, quamuis interruptè: ita fiet à cœtu fidelium in gloria: decantabunturque laudes Domino Deo noſtro in æternum. Igitur quò tu templum gloriæ aſſequi poſſis, vade ad materialem eccleſiam, præcipuè ſi in ea peragitur congregatio. Congregatio autem erit, ſi ibi ſermocinabitur: ſi ſacerdotes illic actu decantauerint: ſi ſacris inſiſtitur myſterijs. Perge igitur ad illam, vt tu cantoribus conſocius exiſtens: ob preſentiam mereri poſſis. Quandoquidem ſiue Miſſæ ſollemnizantur, ſiue horæ canonicæ cantantur: intereſſe quiſque debet, quia paſſionis Chriſti myſteria explentur. Quandoquidem ſacerdos Miſſam celebrans, Chriſtum Sacerdotem ſummum ſignificat, in ara Crucis pendentem. Induens ſe amictu in capite, coronam deſignat ſpineam, qua coronatus Chriſtus fuit. Veſtiens ſe alba camiſia, veſtem albam, qua ab Herode ſpretu fuit indutus, denotat. Cingulo ſe cingens, funem innuit, qua ad columnam ligatus fuit. Manipulum in leua ponens, patientiam quam in preſenti habuit vita, ſignificat. Stola ſe ligans, obedientiam quam propter nos habuit, denotat. Caſula denique, quæ alijs ſuperponitur veſtimentis, charitatem, quæ cunctas excellit virtutes, innuit. Miſſa denique ipſa manifeſtum eſt, quòd non niſi propter memoriam paſſionis Ieſu Chriſti Filij Dei celebratur. Sic etiam dum horæ cantantur canonicæ; myſteria paſſionis Chriſti explentur. Nam & Matutinum ſignificat Chriſti captionem in horto, præſentationemq; eius ad Annam, & Caipham Pontifices, cum concomitantibus. Prima dicitur, quia tali hora Pilato traditur, in concilium Iudæorum ducitur, cum appendicibus ſuis. Tertia, quia Herodi mittitur, ſpernitur, ad Pilatum reuocatur; illuditur etiam veſte alba, cum conſequentibus. Dicitur hora ſexta, quia Chriſtus tunc condemnatus, illuſus, ſpinis coronatus, cũ concomitantibus ſuis. Dicitur nona, quia tali hora clamans, moritur, cum appendicibus

Eccleſia materialis figura eſt cœleſtis eccleſiæ.

Sacerdotis Miſſam celebrãtis ſignificata.

Septem horæ canonicæ quid ſignificant.

Digitized by Google

dicibus ſuis. Dicuntur Veſperæ, quia tunc lancea ſuum latus perforatus eſt, cum conſequentibus. Dicitur completorium, quia cruce depoſitus, in monumento ſepultus fuit. Igitur ſi congregatio peragitur in eccleſia, & tu adeſto: ſi autem non peragitur, pſalle Euangelium Apoſtolicum: dic orationem Dominicam, aliaſque pias ad Deum fundas orationes; quibus completis, finitiſque in pace abito.

Τὴν τῶν ἁγίων δόξαν ἐκ τῶν αὐλῶν κατόπτευε. ἀθάνατος γὰρ αὐτῶν αἱ δόξαι, καὶ μετὰ θάνατον ζῶσιν.

PRÆCEPTIO CVI.

Virtutis gloriam Sanctorum aſpicito: ipſorum enim gloria immortalis eſt, etiam poſt obitum.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CVI.

Natura ſpeculi quæ.

QVæ ſit ſpeculi natura, omnibus manifeſtum eſſe credo. Ea enim quippe eſt, vt quæcumque ſpeculo obijciuntur, ita in conſpectu omnium appareant, quemadmodum ſunt, & obijciuntur. Et quicumque ibi ſe præſentat: ſtatim quis ſit, manifeſtatur, præter ſcripturam quamlibet; quæ ſi ſpeculo præſentatur, non apparet quæ, & quomodo ſit: ſed confuſa, & tranſuerſaque inſpicitur. Sanctorum vita ſpeculum quodam eſt: in quo ſi quis ſe ſe proſpicit, Sanctorum virtutes intuebitur, illorumque gloriam aſpiciet: quodque ſibi virtutis deeſt, agnoſcet. ſcriptura autem literis aptè compoſita non videtur: quia in ſanctis viris nihil virtuti contrarium videtur, ſed confuſa, quinimo abrogata omnino cernitur videntium defectu. Nam vir ſanctus in hac vita à cunctis ferè ſpernitur, ab omnibus dehonoratur: huius mundi gloria indignus æſtimatur, recipit opprobria, humaniſque vrgetur irriſionibus. Putant quidem homines, dum vir ſanctus virtutibus attendit, nempe humilitati, obedientiæ, paupertati, patientiæ caſtitati, & ſimilibus, quòd inertiæ, ſtultitiæ, rebuſque inanibus, atque vilibus vacat, cum tamen ante ſupremi Iudicis oculos miris

Sanctorũ vita ſpeculum eſt.

Digitized by Google

miris certe virtutibus emicet; quod tu quoque videbis, si recte Sanctos aspicies, si illorum vitas attentè respexeris, legerisque. Quemadmodum enim in speculo nihil videtur, nisi videas, ita & Sanctorum vita nihil ostendit, nisi legeris: si autem legeris, prospicies quidem virtutes eorum immensas: quibus mundum, carnem, diabolum, sibi ipsis deuicerunt, atq; subiecerunt. Videbisque gloriam eorum immortalem, ex eorum virtutibus emersam. Qui, quamuis obierint etiam, virtutes tamen eorum, post obitum quoq; immortales existunt. Cernes quoque prærogatiuas ferè innumeras, quibus ob virtutes decorauit eos Dominus; mira scilicet, quæ patrarunt vel in elementis, vel in mixtis, vel circa animata, vel versus inanimata: mira quidem & omni stupore plena, partim dum viuerent; partim quoque post obitum (Hęcq; est illorum gloria immortalis post obitum) vt sciant, qui laxatis vitæ habenis, vitam pecudum ducunt, fidem nostram esse fidem pietatis, & iustitiæ, cunctarumque virtutum plenam; ac propterea rerum mirabilium corruscam: quibus iustos Dominus perornat. Vt sciant quoque qui fidem habent, fidem operibus confirmare, necesse esse. Quid enim proficit te fidem habere sine virtutibus? inanem quidem, & vacuam fidem habes. Nonne Demones credunt, & contremiscunt? Itaque operibus, virtutibusque formare fidem licet: quemadmodum Sancti fecerunt. Ita enim fiet, vt quemadmodum ipsorum gloria cum in vita, tum quoque post obitum immortalis fuerit, sua quoq; gloria immortalis & in vita, & post vitam remanebit. Igitur obijce te speculo, perpende vitas Sanctorum, imitare virtutes, sectare gloriam virtutum suarum: vt & tu in vita, & post obitum, quemadmodum & illi, immortalis prædiceris.

Exemplum accommodum.

Sanctorum gloria ante, & post mortem.

Notent infideles, hæretici, & mali Christiani.

Τὴν κακίαν τότε μισήσεις, ὅταν λογίσῃ δαιμόνων ὄντι ὃν κατ' ἡμῶν σιλβοβόλη μάχαιρα.

PRÆCEPTIO CVII.

Tunc malitiam maxime oderis: quando cogitabis quod Demonum sit fulgurans contra nos gladius.

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CVII.

Quid nobis à Deo desideratur.

Nihil à sancta, & singulari illa Maiestate tantum nobis expetitur, quantum vitæ innocentia, mentis puritas, animi candor, atque summa morum lenitas, & integritas. si quis hanc habet, Deum habet, qui est ipsamet innocentia, puritas, candor, & integritas: si quis hanc Deo obtulerit, satis piè, religioseque litauit. si quis hanc possidet, nemini malum infert, quinimo nec sibijpsi: quia se à peccato cohibet, & punit peccatum; Innocens namq; omnem iniuriæ illationem abhorret: At vbi non est integritas sine peccato, non adest vera innocentia. Vide igitur quàm bona sit innocentia, perspice quàm sit grata Deo, quinimo & apud homines. sicut igitur innocens ab omni iniuria, & maleficio abstinet, vnde & integritas, & bonitas: ita nocens propriè dicitur, qui iniuriam, aut maleficium committit, vnde & malitia. laudanda est itaque bonitas, quinimo & amanda, in innocente: quid enim melius, quàm ignorare quid noceat? vituperanda est malitia in iniquo, & sceleribus pleno, quinimò odienda. Quid enim peius, quàm alteri malitiosè nocere? Hanc ob rem summopere odiendam præcipit Author malitiam: docetque cur odienda est, nempe quia Demonum est fulgurans gladius contra nos. Nec immerito, cum sit & ipse super omnes malitiosissimus: ac propterea vt malus cuncta tela malitiæ contra nos tendere, immittereque certum est: Ideo maximè odienda est. Quid enim est malitia, secundum Ciceronem, nisi versuta, & fallax ratio nocendi? seu iuxta beatum Ambrosium mentis, atque animi deprauatio? vel vt Riccardus habet, quæ est ex proposito, & deliberatione malo cognito prono animo consentire: seu electio mali interior, iuxta Diuum Thomam. Ideo maximè odio habenda est: oderis autem si scieris mentem, animumque deprauare: & à veritatis tramite deuiam esse; ac ob hanc causam gladium Demonis esse fulgurantē contra nos, iuxta Authorem, minimè dubites. Quandoquidem gladium corpus interficere clarum est: malitiam verò animam. Quod non absque causa docuit Spiritus sanctus, homo occidit quidem per malitiam animā suam,

Innocentiæ bonitas.

Malitia vituperanda.

Malitia quid sit. lib. 3. de nat. Deorum. In Hexameron. De verbis Apostoli. De malo q 3. art. 4 ad 8.

Sap. c. 16.

hoc

Digitized by Google

hoc est, tamquam per gladium Diaboli fulgurantem. Bene depinxit Bernardus alibi malitiæ naturam, habere scilicet currum rotis quatuor consistentem: scuitia, impatientia, audacia, & impudentia: velocem quidem ad effundendum sanguinem corporaliter, & spiritualiter. Non enim sistitur innocentia, nec retardatur patientia: non frenatur timore, nec inhibetur pudore. Trahique insuper à duobus perniciosissimis equis ad omnem perniciem paratissimi: terrena scilicet potentia, & seculi pompa; præsidere autem his aurigas duos, tumorem, & liuorem: hanc potentiam agere, illum pompam. Hæc autem omnia à Diabolo emanare maximè consentaneum est: quia author malitiæ ipse est: quinimo ipsamet malitia. Igitur odi malitiam, quia Demonum fulgurans gladius est: ducens te vsq; ad interitum animæ omnino. Super Cant. serm 39. Malitiæ curros, & triumphus.

Εἰ τὸν ἁμαρτάνοντα, πρᾶον σύμπαθείᾳ τὰ ῥήματα κἀν τοῖς ὠσὶ τὰ μαλάττοντα, τὴν δὲ καρδίαν φωτίζοντα.

PRÆCEPTIO CVIII.

Si peccantem admones, misce compassionis verba: & aures emollientur, cor verò illuminabitur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CVIII.

Vi peccat, duo præ cæteris mala hæreditario iure consequitur: aurium scilicet duritiem, & cordis cœcitatem. Aurium quippe duritiem non exhauriendo verbum Dei, contemnendo minas: paruipendendo admonitiones: flocci-faciendo pœnas, & cætera huiusmodi; cordis deinde cœcitatem, minimè perpendendo in quot miserias, periculaque inciderit. Igitur aures emolliri necesse est: cor verò illuminari. Hoc autem assequeris, si quando videris peccantem, admoueris: admonendo autẽ, misceo inter admonitionem compassionis, idest misericordiæ verba. Misericordia namque quid est, iuxta Diuum Augustinum, & Sanctum Thomam, nisi alienæ miseriæ in nostro corde compassio? qua vtique Hæreditas peccatoris. Misericordia quid. Lib. 9. de ciuit. Dei. p.p.q.21.ar.3

Digitized by Google

si possimus, subuenire compellimur: ne dum corporaliter, sed spiritualiter. Dura quidem verba asperitatem habent, ac ob id indurant admonitum, & obscurant: mollia verò dulcedinem, ideo emolliunt, & illuminant. Dicebat Gregorius Pontifex, & rectè, ille sermo ab audiente libenter accipitur: qui à prædicatore cum compassione animi profertur. Nam tunc verbi semen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Sed & alibi habet, quòd peccantes dulci admonitione mulceantur. Nam plerumque quos cruciamenta incorrectos relinquunt: lenia blandimenta ab iniquis actibus compescunt. Quemadmodum & ægros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit: ad salutem pristinam tepens aqua reuocauit. Vnde & Beatus Hieronymus ad pastores loquens (quod & omnibus, qui correctionis munus accipiunt, loquitur) docet, bonos rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitatem pensantes: magis per humilitatem, & mansuetudinis leuamentum, quàm per austeritatem studere peccantes admonere. Quia per hanc in foueam perditionis nutantes propellunt: per illam ab erroris laqueo facile eruunt. Quod si blanditijs tunc non acquiescunt, verbis admonendi sunt acrius: quia quæ leniter sanari minimè possunt: cum dolore procul dubio abscindendæ sunt. Regulariter tamen misce compassionis verba, quando peccantem corrigis, vt aures mollificentur: cor autem illustretur. Amplectenda est igitur in admonitione misericordia, seruanda est compassio: Attendendus est finis, qui est peccatoris conuersio; qui lenitate facilius conuertitur, quàm asperitate. Imitandus est Christus Filius Dei, qui & si ab homine grauiter offensus, misericordia tamen, atque compassione eum corripuit: ita vt omnium iniuriarum immemor, compassionis verba, quinimo & opera ita miscuit, vt aures iam nostræ emollitæ cernantur; cor verò illuminatum. Gratiæ sunt Deo referendæ. Memento quot officiorum genera Iudæ proditori obtulit: non solum vt daret exemplum, inimicis beneficia esse exhibenda; verum id effecit, vt à malo, beneficijs eum retrahere posset: peradmirandæ quidem mansuetudinis exemplum, nouit præsentem proditorem: se proditum iri cum lachrimis indicat, proditorem non prodit: sed humanitatis beneficia, obsequiaq; primum inter cæteros proditori obtulit:

In pastorali.

In pastorali c. 13. par. 3.

In Hieremiã & habetur dist. 45. c. Recedite ℣. boni rectores.

In admonitione cõpassio amplectẽda est.

Christus imitadus est in admonitione.

Christi mansuetudo.

sciebat

Digitized by Google

sciebat namque Saluator noster benignitate, atque mansuetudine facilius hominem conuerti, quàm asperitate, atque excandescentia. Imitare igitur & tu Christum in admonitione, compassionis verba miscendo, vt aures emolliantur, cor verò illuminetur.

Ὅταν ἐν ἁγίοις λαλεῖς, ἐρώτα τὰ τοῦ πνεύματος. ὅταν δὲ μὴ τοιούτοις λαλεῖς, μὴ ταῦτα λάλει.

PRAECEPTIO CIX.

(163)

Cum inter sanctos loqueris, quæ spiritus sunt, loquere: si verò talibus non loquaris, de ijs ne loquaris quicquam.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CIX.

TRibus quidem personarum generibus in vnum loqui possumus: sanctis, iniquis, & medijs; in his enim diuiditur hominum genus. Nam homo vel erit sanctus, vel iniquus, vel medius: Dico hominem medium, qui nec sanctus absolute, nec iniquus absolutè est, sed qui ab iniquitate ad bonitatem, à bonitate ad malitiam redit. Itaque cum his regulariter loquatur homo, sanctis scilicet, iniquis, & medijs: si inter sanctos loqueris, quæ sancta sunt, loquaris; sanctorum enim alimẽta verba sancta sunt. Quemadmodum enim ignis nonnisi lignis nutritur, & quò magis ligna ponuntur, eò excrescit ignis: ita & sancta verba sanctis, quò magis multiplicantur: eò & magis nutriuntur sanctitate. si verò iniquis, de ijs ne loquaris quicquam: verba enim sancta iniquis, incantatoris verba sunt aspidi surdo: qui aurem vnam terra, cauda alteram perstringit, ne audiat. Ob id Author dicit, si verò talibus, id est sanctis, non loquaris, sed alteris: de ijs ne loquaris quicquam: quia vilescent verba sancta ob illorum improbitatem. Igitur cum non fit auditus: nec etiam effundas sermonem. Cæterum dubitatio exurgit non contemnenda, num verum sit, quod dicit Author, quòd quando loqueris cum

Genera personarũ tria.

Optimum exemplum.

Dubium.

Digitized by Google

cum iniquis, non de sanctis loquendum est: cum alias scribatur, cum viro irreligioso tracta de sanctitate? igitur cum superbo de humilitate tractandum est: cum impudico de castitate: cum auaro de liberalitate: cum negligente de labore: cum iniquis de bonitate, & similia similibus loquendum est; qua igitur ratione vtraque conueniunt? Sed dicendum est, quòd cum viro irreligioso tractandū est de sanctitate, vt conuertatur: cum superbo de humilitate, vt superbiam fugiat: cum impudico de castitate, vt sit continens: cum auaro de liberalitate, vt misereatur panperum: cum negligente de labore, vt ocium relinquat: cum iniquis tandem de bonitate, vt optimi euadant. Intelligitur ergo quo ad eorum conuersionem: regulariter verò iniquis vt sic, sancta quidem displicent verba, nonnisi quia iniqui sunt. Ideo ne contemnantur, & vilescant, non solum de ijs ne loquaris quicquam: verum sine eos omnino. Medijs verò, quia vtriusque generis verbis delectari solent, dic verba sanctitatis: de ijs loquaris semper; quia facilius iniquis ad sanctitatem trahes. Quandoquidem & si aliquando à recto deuient, reuerti tamen solent ad rectum sanctis verbis: quemadmodum & equi calcaribus vndique puncti.

Eccles. 37.

Responsum.

Cum iniquis de virtutibus loquendum est vt conuertant.

Τὰς ἁμαρτίας ἀπὸ τῆς ἀγαθῆς ἐπιστροφῆς, μὴ ποτὲ κατανοήσας αὐτὰς, ἀμέτοχος ἀφεθῇς.

PRAECEPTIO CX.

Semper bonas actiones vrge: ne quando relictis illis semiperfectus abeas.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CX.

DE actionibus humanis, quæ speciem sortiuntur etiam à fine proximo loquitur Author, & hæc profecto sunt, quæ à deliberata dependent voluntate: quarum differentiæ sunt bonum, & malum; in his enim meritum, seu demeritum consistit omnino. De bonis igitur actionibus loquens, vbi meritum

Digitized by Google

ritum consistit: inquit, vt vrgeas actiones tuas semper in bonum. Actiones quidem nostræ vrgendæ sunt prorsus in bonum, non in malum: quia ex bono meremur vitam æternam, ex malo autem infernum. Tunc autem in bonum vrgebimus, cum virtutes assequi conabimur. Nec sufficit in spirituali profectu mala non perpetrare, id enim negatiuum est, & negatio simplex non potest esse virtus: sed requiritur & bona facere, iuxta illud, Declina à malo, & fac bonum. Nam quemadmodum vt sanetur vulnus, non sufficit ex ipso tantum educere ferrum, sed opus est medicamina etiam apponere: vnguenta adhibere: cataplasmata, & similia addere: ita quoque vitæ bonitati, non sufficit malum fugere, & à peccato cessare: sed requiritur quoque bene agere, atque virtutibus incumbere. Quapropter & Aristoteles, quamuis Ethnicus, & absque aliquo Fidei lumine, dixit alibi: Magis eligendum est bene agere, quàm agere. Et rectè, quia nihil prodest agere sine bene agere. Nam agere, & non bene, quamuis etiam non male: est agere imperfecte, ac infructuosè: & ob hanc causam dicit Author, vt vrgeas semper bonas actiones: nonnisi ne quando relictis illis, semiperfectus abeas. Quandoquidem si diuertas à malo, & non facias bonum, semiperfectus abibis: quia sine bono, quia sine charitate: hæc enim forma virtutum est omnium; & tamen ad profectum ire tenemur: ad quem non ibis, si tantum à malo diuertas, & non facias bonum. Vrge itaque semper bonas actiones, persenera in illis: aliter imperfectus ab hac discedes vita, paruisque meritis animam tuam onustam reperies.

Actiones nostræ in bonũ sunt vrgendæ.

Psalm. 33.

Exemplum.

Lib. 2. prior.

Οὕτω τρέχε, ἵνα καταλάβῃς, στάδιον ἀπαύστως. Δεῖ γὰρ τὴν ἀρετὴν τρέχειν, μέχρις ἂν ἐξέλθωμεν τοῦ βίου τὸ στάδιον.

PRAECEPTIO CXI.

Sic curre, vt assequaris scopum, hoc est indesinenter: oportet enim iuxta virtutem currere, donec vitæ stadium exuperemus.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXI.

In rhetoric. 22.q.128. Perseuerantia quid. Lib.2.mag. moral.

PErseuerantia, quæ iuxta illustres viros Ciceronem, Andronicum, & Sanctum Thomam, est stabilis, perpetuaque permansio in ratione bene instituta, cuius obiectum est opus laboriosum, vt tristabile diuturnitatis: vnde & Aristoteles alibi docuit, perseuerantiam esse circa tristitias, & sustinens tristitias, ipse perseuerans est; necessaria prorsus est cuilibet assequi volenti finem suum, præcipue autem viro Christiano: cuius finis Christus est. Docuit enim ipsemet Saluator, qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Quem sequutus est Diuus Gregorius dum dixit: Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur. Quinimo Seneca, vt Christianus Philosophus in hæc verba prorupit. In excelso est vita beata; sed perseuerantia penetrabilis. Profecto, qui pugnat, ad hoc pugnat, vt victoriam habeat: & ad hoc victoriam nititur habere, vt palmam victor consequatur. frustra namque pugnaret quis, si priusquam ad vltimum venerit: in medium desisteret. sic quoque frustra curris ille, & si velociter: si priusquam ad metas venerit, deficit. Quemadmodum igitur absque perseuerantia, nec qui pugnat, victoriam habet, nec palmam victor consequitur: ita in spirituali vita absque perseuerantia non potest quis suum assequi præmium. Dicebat Cassiodorus, vituperationem generant, quæ in medijs conatibus ægra deseruntur. Quid quod in moralibus hoc cernitur? Quando vidisti obsequium mercedem habere absque perseuerantia? quando beneficium, gratiam? quando laudem fortitudo? Hanc ob causam mellifluus Bernardus optimè digressus est perseuerãtię encomia, dum dixit, perseuerantiam esse nutricem ad meritum, mediatricem ad præmium, sororem patientiæ, constãtiæ filiam, amicam pacis, amicitiarum nodum, vnanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Igitur indesinenter, hoc est perseueranter, currendum est ad brauium supernæ gloriæ, vt assequi possis scopum. Est enim perseuerare cum quadam constantia, & quasi pertinacia perdurare. Memento quòd animalia Ezechielis pennata cum incederent, non reuertebantur; vt di-

Matth.10. Lib. moral. & habet de pœnit. dist.3. c.incassum. Epist.6.

Nullus absque perseuerantia finem suum consequi potest.

Lib.1. epist. 21.

Epist.139. Perseuerantiæ laudes.

Digitized by Google

vt discant Christiani ad mala perpetranda non debere redire, dum ad bona tendunt. Similiter in veteri lege inter alias conditiones, quibus iubebatur offerri agnum, hæc vna est, quòd cũ cauda offerri debere: vt sciant fideles, in bonis operationibus perseuerandum esse vsque in finem; cauda enim finis animalis est. Propterea inquiebat D. Hieronymus ad Furiam; non quæri à Christianis initia, sed fines. Itaque perseuerandum est vsque in finem, vt scopum consequi possis: scopum autem non assequeris, nisi per media. Quandoquidem ad finem quemlibet consequendum, media necessaria sunt: ita vt absque illis, finis consequi minimè possit; media verò virtutes omnes sunt. Curre igitur, ne ocio torpeas: nihil enim est, quod tandem pertinax opera, & intenta, ac diligens cura non expugnet, iuxta Senecam. Assequere scopum, ne deficias in via, sed ita donec vitę stadiũ exuperemus.

Exod. 12. & Leuit. 22.

Finis nõ potest cõsequi absque mediis.

Μὴ χίνου περὶ τὴν ἐργασίαν τῶν ἐντολῶν ὀκνηρός. τοῖς γὰρ τοιούτοις ὁ κόπος ἀνάλωτος, ἐπὶ κόπον προσίησι.

PRAECEPTIO CXII.

Ne sis in studio mandatorum Dei negligens: talibus enim labor inanis laborem super laborem agerit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXII.

FEcit Deus hominem, vt summum bonum illud diligeret, diligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur. Nam ob dilectionem præmium quoque ei spospondit, atque dedit. Hęc autem dilectio cum non in voce consistat, sed in operatione: aliqua præscripsit homini mandata custodienda, ex quorum obseruatione cognosceret Deus, quòd homo Deum diligeret: hoc est cognoscere alios faceret, & præcipuè amantem, quòd Deum homo diligeret. Nam & si amor in voluntate oriatur, atque persistat, si operatione aliqua ad extra nõ manifestatur, qualis amor erit? Et si dixerit

Deus cur fecit hominẽ.

Amor in opere consistit.

Digitized by Google

quiſpiam ſe amare, id autem verbis tantum, non opere oſtendat: inanis certe amor eſt. Quid enim tibi prodeſt me dicere, te ſemper amo, effectu tamen id nego? Bene ſcripſit Gregorius Pontifex, amorem magna operari, dum amor eſt: ſi autem operari renueret, amorem non eſſe. Et rurſus probationem dilectionis exhibitionem eſſe operis, paulo ante docuit. Ideo nobis mandata Deus dedit, vt iuxta illa operaremur. Quòd ſi in mandatis operatio abeſſet, vel negligẽtia adeſſet, nec amor eſt, & labor merito careret. Hoc eſt, quod dicit Author, Ne ſis in ſtudio mandatorum Dei negligens, quia talibus labor inanis laborem ſuper laborem agerit. & verè ſic eſt, qui enim negligens eſt in ſtudio mandatorum Dei, Deum non amat, quinimo ſibiipſi labor inanis, (ſic laborando) laborem ſuper laborem agerit. ſi enim amaret, non eſſet negligens, amor namque negligentiam fugat; nec labor eſſet inanis, ſed merito plenus; nam verus amor omnia ſuffert.

Homil. 30. ſuper c. 14. Io.

Negligentia quid. 22 q. 54. ar. 1.

Negligẽntia certè, iuxta Sanctum Thomam, defectum debitæ ſollicitudinis ſecundum interiorem actum importat; vnde dicitur negligens, quaſi nec eligens: quia non eligit, quod eligendum eſt, ſed à tali deficit electione. Quamuis propriè differre videatur à pigritia, quæ eſt tarditas in exequendis præceptis prudentiæ, & à torpore, quæ eſt remiſſio in exequutione poſtquàm quis cœperit: communiter tamen vnum pro altero accipi conſueuit. Nam qui negligit: pigritari, & torpere videtur, & è conuerſo, & nihil aliud redundat, niſi quod negligentia poteſt addere ſpretum. ſed qui amat, eligit quod eligendum eſt, nec à tali deficit electione: quinimo interius eligit, exterius verò manifeſtat. Iſta igitur negligentia repellenda procul eſt à viro Chriſtiano, ſtudiò mandatorum Dei incumbente. Quid enim turpius etiam in humanis, quàm in exequendis præceptis pigritari? vel in exequutione eorumdem, poſtquàm quis cœperit, in medium remitti? Contemnuntur quippe hi, dicebat Cicero, & rectè, qui nec ſibi, nec alijs in quibus, vt dicitur, nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. Sed melius aiebat Saluſtius, etſi Ethnicus: nempe vbi ſoccordiæ, atq; ignauiæ te tradideris, nequaquam Deos implores: irati, infeſtiq; ſunt; & verè ſic eſt. Quandoquidem ſi cum Deo regnare deſideras, laborare pro Deo neceſſum eſt: & ſi delectant, præmia, cum pollicentur non deſerere debes

Pigritia quid ſit.

Lib. de offic.

In Catilinã.

Nota.

Digitized by Google

debes certamina, cum iubentur. Igitur in ſtudio mandatorum Dei ne ſis negligens, horum enim alius labor à ſpirituali inanis eſt: quinimo laborem ſuper laborem agerit abſque merito. Qui enim aleis, compotationibus, tabulis, iocis, ſcortis, & his ſimilibus ætatem abſumunt, nonne laborem inanem agerunt ſuper laborem? Abſtinendum igitur eſt ne dum ab ocio, torpore, ignauia, negligentia, & ſimilibus: verum etiam ab actionibus in frugiferis: à meritorijs verò nunquam. Itaque ſis negligens in illis: in iſtis autem minimè.

Τὴν ὑπομονὴν καὶ πρὸ τῆς ἀνάγκης ἄσκει, ὅπως αὐτῆς ὥρας καὶ ἐν τῇ ἀνάγκῃ τὴν παρασκευὴν ἕτοιμον.

PRAECEPTIO CXIII.

Patientiam etiam antequàm neceſſe eſt, exerce: vt ipſius armaturam paratam inuenias etiam in neceſsitate.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXIII.

PAtientia vel ſit honeſtatis, & vtilitatis cauſa, rerum arduarum, & difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio, vel ſit virtus contumeliarum, & omnis aduerſitatis impetus æquanimiter portans: vel ſit, quæ tribulationum tollerantiam cum quadã æquanimitate propriè importat, quamuis attribuatur ei diutina expectatio bonorum abſentium, licet hoc ſit præcipuum longanimitatis: ita exercenda eſt ab omnibus fidelibus, vt euenientibus malis omnibus, parata ſit ante tempus. ſic enim facilius contumeliarum, & omnis aduerſitatis impetus, æquanimiter ſufferentur. Et prouerbio dici ſolet, iacula præuiſa minus feriant. Docet certe hic Author exercendam eſſe patientiam cum prudentia; prudentia verò cum innuat, quomodo preſentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, & quotidie futura prouideas: vt tribulationum tempore paratus inueniaris, præcipit certè exercendam patientiam antequam neceſſe ſit: quia ſuo tempore

Patientia quid ſit.

Patientia exercẽda eſt cum prudentia.

Digitized by Google

leuius feres; quinimo illius exercitio idem hominum obtutibus apparebis. Homo namque idem debet esse tam in prosperis, quàm in aduersis. sicuti manus, quæ eadem est, cum in palmam extenditur, & cum in pugnum astringitur. Si igitur patientiam non exercueris ante tempus: tribulationum tempore fortasse non subsistes, sed per impatientiam cades; At propter exercitium, iam in patientia habituatus, fortiter sufferes, & cunctis idem apparebis. Arma bellica ante belli tempus pulienda, prouidendaque sunt: non in instanti. Miles quidem conscius ad bella se perecturum, imprudenter ageret, si ensem erugine, tormentum rubigine, cæteraq; ad prælia pertinentia arma, tinea consumi, defendique sineret. Quando enim victoriam speraret? numquàm certè. Igitur Christianus in bello spirituali armis se prouidere curabit contra inimicorum ictus: quia dum necessitas aduenerit, paratam iam armaturam inueniet; Armatura autem patientia est: Igitur exerçe patientiam ante tempus: vt tempore debito aduersus spiritales nequitias in cœlestibus illa vti possis. Bene dicebat Augustinus, quòd paratus debet esse homo, iustus, & pius, patienter eorum malitiam sustinere: quos fieri bonos quærit; vt potius numerus crescat bonorum, vt non pari malitia se quis numero addat malorum. Sed & Beatus Gregorius docuit, hostem callidum sæpe cum imparatam mentem ad tollerantiam videt, quid ab ea maxime diligatur, exquirere: & ibi scandali laqueos inserere, vt quo magis res quæque diligitur: eò per eam facilius patientia turbetur. Itaque para patientiam tamquàm armaturam, etiam ante tempus: vt ea tempore suo vti ad libitum possis.

Homo idem in omnibus debet esse.

Exemplum optimum.

De puero Centur. & habetur 23. q. 1. c. paratus.

lib. 2. moral.

Μάχου τοῖς πονηροῖς λογισμοῖς, καὶ λέγε πρὸς αὐτοὺς ὅσα τῷ νόμῳ λαλοῦνται.

PRÆCEPTIO CXIIII.

Improbis resiste cogitationibus: & responde ipsis quæ in lege dicuntur.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXIIII.

ALias docuit Author modum repellendi malas cogitationes, bonis scilicet; nunc recordatus virum Christianum assiduè improbis molestari cogitationibus: docet resistendum esse illis omnino. Inimicus enim bifariam conuincitur: resistentia, & iustis respõsis; Iustis responsis, dum verbis agit; resistentia, dum factis: iustis responsis, dum voce contendit; resistentia, dum armis præliatur. Cogitationes improbæ inimicæ sunt animæ nostræ tamquàm tela à Diabolo immaniter illata, atque immissa; Ergo resistentia, & iustis responsis vincendæ sunt. Verum quia cogitationes nostræ malæ non omnes semper Diaboli instinctu, & persuasu incitantur; sed aliquoties ex nostri arbitrij motu emergunt: quemadmodum bonæ semper à Deo: vtrisque resistendum est: Diabolo primum, quia scriptum est: Resistite Diabolo, & fugiet à vobis: deinde cogitationibus improbis, quia scriptum est: Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Crede Augustino viro sanctissimo, Diabolum numquàm inualescere contra nos, nisi ei vires ex vitijs nostris præberemus: & locum ei introeundi, & dominandi nobis peccando, faceremus. Vnde scriptum est: Nolite locum dare Diabolo. Vtrisque autem responde his, quæ in lege scripta sunt. si namque Diabolus de superbia te tentat, resiste illi: ne acquiescas; respondè, scriptum est: Superbis Deus resistit: humilibus autem dat gratiam. Quemadmodum & Christus Saluator noster in deserto à Diabolo de esurie tentatus, respondit: non in solo pane hominem viuere: sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Si itidem à propria voluntate in concupiscentiam incitaris, resiste: dicas illi, scriptum est: Beati mundo corde: quoniam Deum videbunt. Vis itaque optimum documentum accipere, quod & remedium erit in qualibet tua tentatione: primæ suggestioni resiste omnino, fac ne amplius improba cogitatio procedat: esto tunc constans, & seuus: Nam procul dubio desinet, Diabolusque confusus discedet. sin aliter, tota cogitatio improba simul cum Diabolo in intima cordis, absque hoc quod sentias, cadet, atque illabetur.

Præcept. 73.

Cogitationes malæ inimicæ animæ.

Cogitationes nostræ malæ non semper à diabolo.

Iacob. c. 4.

Sup hom. 3.

Iacob. c. 4.

Deuter. 8. c.

Matth. c. 5.

Remediũ ad superandam tẽtationem.

At

Digitized by Google

At diligenter animaduertendum est, quòd cum dicimus Demonem in cordis intima, seu animæ, quæ suggestioni consensit, illabi, non est intelligendum quod propriè illabatur: Nemo enim animæ illabi potest, nisi qui animæ plenè dominatur; hic autem cum solus Deus sit, qui eam creauit; solus super animam potestatis plenitudinem habebit, ac propterea ille solus illabetur. Quare solus est, qui illapsum gratificum, glorificum, & hypostaticum habet: homini gratificum, & glorificum: gratificum in via, glorificum in patria; Christo autem & in via, & in patria excellentius, quàm homini: quia fuit simul viator, & comprehensor: & denique soli Christo hypostaticum. Itaque dicitur Diabolus illabi per similitudinem. Est namque serpens lubricus, qui dum caput in foramine posuerit: totus in interiora prolabitur. Subinde dicitur illabi, non quod proprie illabatur; sed quemadmodum de Iuda scribitur, quòd post buccellam intrauit in eum Sathanas, non propriè, sed per effectum; non quod illaberetur, sed quia suggerendo inuenit in eo locum malitiæ suæ. Ita post consensum in peccatum intrat Diabolus in animam nostram, quam & si violentare non possit, ob liberi nostri arbitrij excellentiam: dum tamen in peccatum cecidit, intrat in eam, & ducit quo vult: quemadmodum puer bubalum. Vnde igitur miseram peccatoris conditionem, atque infelicem eius statum. Verum enimuero, vt hanc euites miseriam, improbis primo resiste cogitationibus: deinde secundo responde scripturæ auctoritatibus, quia tandem conuincetur.

anime nemo potest illabi nisi solus Deus.

Diabolus dicitur illabi per similitudinẽ, & per effectum in anima. Io. cap. 13.

Σπουδὴ πολλὴ τὸν ὀφθαλμὸν ἐκ τοῦ βίου μετάστησον. καπνὸς γὰρ ἐξ αὐτοῦ πονηρὸς, θολοῖ τὴν ψυχὴν ἀναδίδοται.

PRAECEPTIO CXV.

Diligentia multa oculos à vita hac abstrahe, fumus enim pernicioſus ex ipſa veniens: turbidam reddit animam.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXV.

DVplex quiſque oculorum genus poſſidet, externum, & internum: Externum corporis eſt: internum mentis: vtrumq; ab hac vita abſtinendum eſt: Externum, quia per materiales oculos malum ferè omne in nobis, & à nobis procedit: Internum, quia deprauata mente, deprauantur & actiones. Actio enim recta non erit, niſi recta fuerit voluntas: & voluntas nec recta, niſi animi habitus rectus fuerit. De primo ſcribitur: Si oculus tuus fuerit ſimplex, totũ corpus tuum lucidum erit; ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. De ſecundo ſcribitur: Oculus meus, ideſt mentis, deprædatus eſt animam meam: licet de corporeo vera ſit etiam ſententia. Igitur vtroſque oculos diligentia, ſollicitudineque multa ab hac vita ærumnoſa, cœca, inuida, malis vndique plena, abſtrahe; nam & diligentiæ omnia ſubdita fiunt: ſecus, animam tuam non reddet niſi turbidam. Vita quidem hæc eſt inſtar ignis, ſtuppa, & palea multa accenſus: qui cito incipit, cito creſcit, citius deficit: effectus tamen illius fumus tandem eſt; cui ſi oculos ſuperpoſueris, heu quod debilitantur, offuſcanturque. Ita & vita præſens, ignis eſt, ſtuppa, & palea accenſus, rebus ſcilicet fragilibus, & caducis. At certè, nil leuius vtriuſque, cito namque deſinunt. Effectus itidem vitæ fumus eſt, qui leui aurea raptus, euaneſcit. Heu quis non videt cuncta mundana vt fumus euaneſcere, & oculos mentis obtenebrare? cui ſi oculos tam internos, quàm externos ſuperpoſueris, heu fumus ex ipſa veniens pernicioſus eſt: quandoquidem turbidam reddit animam, quia terrenis, & caducis turbatur quippe anima, quemadmodum oculi fumoſis rebus turbidi redduntur omnino. Igitur non tantum negligenda, ſed fugienda ſunt mundana omnia; ſunt namque fallacia, incerta, caduca, fragilia, humilia, terrena, migrant quotidie, & multo velocius exeunt, quàm intrauerant: ideo turbidam vt fumus reddunt animam. Igitur abſtrahe vtroſque tam internos, quàm externos, ſed externos præſertim: ab illis enim ad internos vſque profluit fumus. Qui & ſi parui videantur momenti, ſcias, quòd ſi non cuſtodieris

Omne malum per oculos intrat.

Luc. c. 11.

Thren. 3.

Optimum exemplum.

Mundanorũ natura.

Digitized by Google

dieris pauca, perdes omnino maiora: scias rursum paucos quidem esse oculos quantitate: virtute tamen maximos, siue ad bonum, siue ad malum. Itaque sunt custodiendi perquammaximè, & à caducis rebus abstrahendi: ne illarum fumositate obtenebrati, rationis lumen ammittant; ac propterea vt cœci turbidam dirigant animam in loco turbido, igne fumoso, sulphureo, feceo, turbido, piceo, atque vmbroso, pleno.

Oculi sunt custodiendi perquammaximè.

Εἰ φαύλῃ τινὶ συμπλοκῇ κακράτησας, κατὰ μικρὸν ἀπότεμνε. καὶ πόσοις πολλοῦ χορὸς, τῆς ψυχῆς ἀποβαλοῦς τὸν ἔλεγχον.

PRAECEPTIO CXVI.

Si consuetudine aliqua detentus fueris, paulatim eam rescinde: & sine vllo negotio ab anima spinam eradicabis.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXVI.

Can. cõsuet. dist. 1.

Consuetudo, quæ ius quodam est, moribus institutũ, quod pro lege suscipitur cum deficit lex: quæ vim naturæ sortitur, & communiter dicitur esse altera Natura; quinimo Arist. axioma est: cui alludit etiam D. Augustinus, dicens: Consuetudo quasi secunda, & affabricata natura dicitur: quomodo rescindenda præcipitur ab Authore, cum vsus difficile vincatur, consuetudinisque vincula vix soluantur? Quod etiam idem Augustinus fatebatur, dicens: Vincere consuetudinem dura est pugna. Quinimo Menander quoque Ethnicus Philosophus aiebat: Naturam malam mutare, non facile est: Et Horatius Poeta cecinit:

Lib. 7. Ethi. & in de memo. & reminisc.

Lib. 6. de Musica.

Super Ps. 30.

Epist. lib. 1. epist. 2.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Difficile quidem est peccata consuetudinem vincere, sæpe etenim nos peccatores, testante etiam Magno Gregorio, à prauis actibus exire cupimus; at verò cum eorũdem actuum pondere premimur: tanquam in male consuetudinis carcere concluſi, exire à nobis ipsis nequimus. Verum enimuero difficile

Lib. 11. Mor.

Digitized by Google

difficile quidem est: at impossibile nequaquam. Quod & quidam Poeta his quidem carminibus docuit, dicens: Catullus alegia 74.

Difficile est longum subito deponere amorem
Difficile est: verum hoc, qua lubet, efficies.

Sed videre oportet consuetudinem prauam rationi, & veritati obstare. Igitur consuetudini præponat rationem, & veritatem, quia vt Augustinus quoque docebat, consuetudinem ratio, & veritas semper excludit. Igitur veritate, atque ratione; consuetudo cedat veritati. Quemadmodum enim praua opinio rectam solet deprauare naturam: ita è regione recta opinio debet prauam corrigere consuetudinem. Igitur si consuetudine aliqua detentus fueris, paulatim eam rescinde: nam statim impossibile est. Et æquè facies, ac si quispiam spinarum aculeis punctus, non cito, & statim ipsas eradicat, euellitque; sed gradatim, paulatimque; nam aliter carnis frustra cederet. Ita & quoq; tu acutis malæ naturæ spinis sauciatus, paulatim eas euellere coneris: sicq; malam rescindes tandem naturam. Nam & Aristoteles docuit, ex actu multoties iterato, fieri habitum. Quinimo & B. Bernardus id docuit: vt scilicet inueteratæ consuetudinis ulcus acutæ compunctionis ferro abscindatur: quod si dolor acerbus est, deuotionis leniatur vnguento. Sic igitur malam consuetudinem proculdubio bona paulatim, & sæpius iterata, excuties. Lib. 2. de vnico bapt. & habet dist. 8. can. veritas. Exemplum. Lib. 2. Ethic. Super Cant.

Καθαρὸν ὄντα τὸν θεὸν, καθαρῶς ἀγάπα. καὶ τὸν ἴσον πάντων, πάντα δίκαια νόμιζε.

PRÆCEPTIO CXVII.

Deum purum existentem, purè quoq; dilige: & præ eo in omnibus, omnia secundo loco habenda existimato.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXVII.

DVo præcipit Auctor in hac sententia, modum scilicet diligendi Deum, & ordinem dilectionis eius. Modus diligendi Deum est, vt purè diligatur, quia Deus purus est: est namque purus actus, nihil admittens po- Modus diligẽdi Deum.

Digitized by Google

tentialitatis. Est primum bonum per essentiam, est primum agens, ac ideo primum esse, & per se forma: non compositus compositione aliqua, ac propterea omnis expers accidentis. Est namque simpliciter primum ens: vnde nihil in eo est per accidens, neque potest esse accidens per se: quia cum Deus sit prima causa, nihil est in eo causatum, & tamen tale accidens ex subiecti principijs causatum esse debet. Rursus subiectum comparatur ad accidens sicut potentia ad actum, ens vero in potentia nullatenus conuenit Deo: quomodo igitur in Deo erit accidens? purus igitur est Deus, sine accidente aliquo, absque quauis compositione: nullam quippe in eo inuenies compositionem, nec ex quantitatiuis partibus, nec ex forma, & materia: nec ex supposito, & natura: nec ex esse, & essentia: nec compositionem ex genere, & differentia: nec ex subiecto, & accidente: sed summa in eo relucet simplicitas, & immensa perfectio, nihil in se patiens, quod luci illi inaccessibili opponatur. Vide igitur si impurè diligendus sit Deus, cum sit purissimus. Deum itaque purè existentem, purè quoq; dilige. Nephas enim est amori tuo ad Deum, miscere aliquid præter Deum; sed miscebis, si impurè purum dilexeris: impurè autem diliges, si mores impuri fuerint. Bene scripsit Cassiodorus, qui Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligit: locum quidem vitijs non relinquit. At certè is purè purum Deum diliget: quia cum Deo totum suum occupauit animum, nihilque Diabolo relinquens, nam vtriusque amor in vno corde minime esse potest. Quemadmodum enim impossibile est oculus simul, & semel cœlum, & terrã videre, (vt inquit Cyprianus) ita in corde vno mundi amorem, & Dei pariter cohabitare. Ex his prouenit ordo dilectionis eius, vt ante omnia scilicet, sit diligendus. Quare diligere, quasi de omnibus eligere dicitur: omniaque etiam dilectionis eius sint postponenda. Id namque profecto est, toto corde, tota anima, totis visceribus, tota mente diligere Deum: omne scilicet, quod de carne propria, vel aliena blanditur, sacrosanctæ carnis Christi amore postponere: vt inquit Bernardus, sin autem minus Deum amat, qui aliquid cum Deo amat, quod propter Deum non amat, dicebat Augustinus. Quod si dixeris, Dei amorem ab amaritudine incipere: scias postrema eius dulcedine plena esse, oppositum amoris mundi

Dei puritas, & simplicitas.

In Deo nullũ potest esse accidens.

Dei simplicitas summa.

Super Ps. 41.

Deus quomodo purè diligendus.

De duodecim abusionibus.

Super Cant. serm. 21.

Lib. Confes.

qui

Digitized by Google

qui & si à principio dulcis esse videatur, finem certè amarum habet, postremaq; eius felle amariora resultant. Igitur Deum cum sit purus, purè dilige, cum sit omnium supremus, supremè dilige: id autem efficies, si omnia quæque secundo loco habueris.

Εἰ θέλεις εἶναι ναὸς θεοῦ, θυσίαν ἐκδεκτικὴν τῷ προσδέχεσθαι αὐτῷ τὴν διωρεὰν προσφέρε.

PRAECEPTIO CXVIII.

Si vis esse templum Dei, sacrificium assiduitatis; assiduam scilicet orationem, assiduè ipsi offeras.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXVIII.

ET si superius docuit Author, quibus modis templum Dei effici potuisses, tunc quoque vt facilius fias; alium hic modum ostendit, quo vti debes, vt sis templum Dei. Hic autem erit, si sacrificium scilicet assiduitatis, assiduam, nempe orationem, continuè Deo obtuleris: at offeres quidem si mentem tuam Deo consecraueris (templum namque Deo cõsecratur) si in ipsa oraueris (locus orationis pro templum est) si denique ea perfeceris, quæ ad templi constitutionem requiruntur. Ædificantur profecto ecclesiæ, vestiuntur parietes, aduehuntur columnarum moles, earumq; capita pretioso deaurantur ornatu: & gemmis deaurata distinguuntur altaria &c. Tu autem ædificabis ecclesiam in te ipso, si Christum vestieris in pauperibus: si in esurientibus pauueris: si in languentibus visitaueris: si in eis, qui tecto indigent, susceperis: si in miseris adiuueris: si pro his, qui indigent, oraueris: orare namque pro se necessitas est: pro alio autem charitas: si denique his similia feceris: bona quidem oratio erit: sic teipsum efficies templum Dei. Verum cum hæc feceris, vel si etiam facere non potueris, Author admonet, vt assiduè Deo sacrifices, vt scilicet assiduam orationem assiduè Deo offeras. Quemadmodum enim in materiali templo cum

Oratio assidua quomodo Deo offerri debet.

Edificatio Ecclesiæ in homine.

Digitized by Google

à clero, tam quoque à populo continuè oratur, quia locus ille orationi est congruus: ita & in orando, etiam alibi quàm in ecclesia assiduè, templum vtique Dei efficieris: quia ecclesiæ est orare, & in ecclesia communiter oratur. Cęterum de orationis assiduitate plenum est Euangelium, plenæ Pauli Apostoli Epistolæ, & multorum locorum capita Scripturæ, tum veteris, tum nouæ, docentium assiduè orare ad Dominum. Scribitur enim alibi: Melior est finis orationis, quàm principium. Saluator noster docuit: Oportet semper orare, & non deficere. Apostolus Paulus ad Thessalonicen. scribens, docuit assiduè orare, dum dixit: Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Iacobus Apostolus in sua canonica Epistola etiam dixit, quòd multum valet deprecatio iusti assidua. Et verè in oratione non est deficiendum, vt petita facile habeantur, quæ non aufert Deus, si differt. Videtur non exaudire clamantem, vt eum probet, & magis prouocet ad rogandum, & quasi igne excoctum (vt inquit Diuus Hieronymus) iustiorem, & puriorem faciat. Assiduè igitur ora, vt dignum Dei templum te efficias.

Eccleſiaſt. cap. 7.
Luc. cap. 18.
Cap. 5.
Cap. 5.
Super Abachuc.

Τὸν ἀμελῆ βιοῦντα, μὴ προλάμβανε, σύμβουλον· ὁ γὰρ τῶν πονηρῶν χαιρῶν, ἀγαθὰ καὶ μισῶν, καὶ συμβουλεύειν οὐκ ἀνέχεται.

PRAECEPTIO CXIX.

Negligentem, & praue viuentem ne accersas consultorem; malis enim gaudens, bona simul odisse, & consulere eadem non potest.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXIX.

Consilium quid sit. Lib. 3. c. 33.

Consilium, quod iuxta Damascenum, est appetitus inquisitiuus de rebus vtilibus, vel appetitus faciendi excogitata ratione, secundum Ciceronem: seu, vt docet Diuus Thomas, inquisitio eorum tantum, quæ sunt ad finem operabilium à nobis, nec minimorum, neque determinatorum, à quatuor personarũ generibus in vniuersum minime petendum

Lib. 1. Rhet. 22. q. 52. ar. 3

Digitized by Google

dum est: à mulieribus, à pueris, à negligentibus, à prauè viuentibus. A mulieribus, quia mulieris consilium inualidum est: quinimo in nullo apta redditur: non in gubernatione, quia iuxta Aristotelem, à muliere male regitur ciuitas: non in componendo pacem, quia iuxta eundem, fœminæ sunt litigiosæ: non in virium fortitudine, quia sunt debilioris naturæ maribus ob frigiditatem: non in amore, quia fingunt, & simulant: non in charitate, quia inuidæ, nec in aliqua alia perfectione fœmina apta redditur: quia est mas occasionatus. In vno solo bona inspicitur, nempe in ornatu; qui tamen (vt inquit D. Hieronymus) non Domini velamen est, sed Antichristi. De ornatis fœminis loquutus est Dominus, dicens: Eleuatæ sunt filiæ Syon, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum. Hæc, & similia de vanis verificantur, & dicta sint; sunt etenim pleræque fœminæ virtutibus præditæ quàmplurimis. At in vniuersum fœminis non est credendum, quare nec consilium petendum: quia consilium illarum inualidum est. Nec à pueris, quia puerorum consilium ob ætatis teneritudinem, & naturæ imbecillitatem imperfectum est: Nec à negligentibus, quia cum negligant sua, multo magis aliena. Neque tandem à prauè viuentibus, quia gaudens malis, bona simul odisse, & consulere eadem non potest. De duobus tamen vltimis loquitur Auctor, quia de consilio, quod ea tantum respicit, quæ sunt ad finem æternum: licet & de singulis enarratis possit intelligi præceptio. Nos autem, vt copiosior sit doctrina, etiam in humanis, addidimus & reliquos. Igitur mulieres consultores ne accersas, quia inualidæ: nec pueros, quia imperfecti: nec negligentes, quia cum consilium non dent sibi, multo minus tibi dabunt: nec prauè viuentes, cum in malis gaudeant, non possunt quidem bona simul odisse, & eadem consulere. Inquirendis profecto consilijs, docet B. Ambrosius quatuor plurimum adiungere, vitę scilicet probitatem: virtutem prærogatiuam: vsum benevolentiæ: & facilitatis gratiam, & rectè. Qua etenim ratione fieri poterit, vt is quem moribus inferiorem cernis, iudicare, & consulere alios queat? Cumque Scriptura senes consiliarios consulere doceat, non eos quidem intelligit, qui sola temporum quantitate maturi sunt: sed qui morum grauitate præditi. Quare scribitur alibi: Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum

A mulieribus non est petendum consilium. 1. Polit. 8. de Animal.

Ad Furiam.

Esaiæ 3. cap.

Cur à pueris, à negligentibus, & à prauè viuentibus nō est petēdum consilium.

Lib. 3. offic. In acquirendis consilijs quæ requruntur.

Prouer. c. 16

annorum numero computata: Cani enim sunt sensus hominis:& ætas senecta vita immaculata. Igitur in cœno fons non est quærendus, è turbida aqua minime bibendum: in morum colluuione haud petendum est consilium. Nam & alibi scribitur: A malo consiliario serua animam tuam. Hic autem erit omnis negligens, & prauè viuens. Hunc igitur ne accersas consultorem.

Eccles. 37.

Πάσης ἀπέχου φθορᾶς, καὶ τοῦ μυστικοῦ δείπνου πᾶσαν ἡμέραν μέτεχε. οὕτω γὰρ Χριστῷ τὸ σῶμα τὸ ἡμέτερον γίνεται.

PRAECEPTIO CXX.

Ab omni corruptione abstine, & mysticæ cœnæ omni die particeps fias: sic enim Christi corpus nostrum fieri incipit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXX.

Sacramenti Eucharistiæ præstantia, atque nobilitas.

INter omnia Sacramenta à Christo Domino pro humani generis salute, atque celsitudine instituta, nullum præstantius, atque excellentius inspicitur Sacramento Eucharistiæ. Quippe quod non solum illud est, in quo confertur gratia, sed est ipsamet gratia: in alijs Sacramentis confertur quidem gratia, non autem in ipsis est ipse Deus. Coniungimur certè Deo per omnia Sacramenta, sed inæqualiter: per alia participatiuè, per aliquem scilicet effectum gratiæ; at per Eucharistiæ Sacramentum perfectè: cum Christus in ipso verè, realiter, essentialiter, & personaliter contineatur. Quare dignè sumens, incorporatur Christo, compage membrorum consolidatur, viuit Deo cum Deo; ac propterea Sacramentum hoc, Sacramentum pietatis vocitatur, signum vnitatis, vinculum charitatis. Nihil quidem tantum nobis intrinsecum fit, quantum cibus, qui sumptus, naturæ potentia in substantiã aliti conuertitur: sed excedit dubio procul naturæ facultatem corporis Christi præstantia, qui conuescens in edulium nobis illud præbuit, vt suum corpus, nostrum fieri inciperet.

Dignè sumẽs Eucharistiã, incorporatur Christo.

Digitized by Google

peret. Id autem nunquam assequemur, nisi mysticæ cœnæ omni die participes fiamus. Et quamuis nec laudare, nec vituperare audeat D. Augustinus quotidianã Eucharistiæ communionem, sed hortatur, diebus Dominicis sumendam: id non ob aliud præcipit, nisi ob quotidiana peccata, in quibus incurri solet homo, à quibus immunis reperiri debet omnino ob Sacramenti excellentiam, in quo solo (vt dictum est) Christus realiter, personaliter, & substantialiter reperitur: in alijs verò continetur quippe virtus quædam instrumentalis, à Christo participata, vt docet D. Thomas. Vnde quo dignè sumatur, nulla in homine debet esse macula, sed pura simplicitas, & innocentia vitæ. Cum autem id ob naturæ imbecillitatem perquam difficile sit: ideo nec laudat, nec vituperat gloriosus hic Pater: si autem mens sine peccato, & absque affectu peccandi existat; cum fiducia debet accedere homo ad sumendam vitam. Hoc quoque docet Auctor, vt si corpus Christi nostrum fieri desideramus: mysticæ cœnæ diebus singulis participes fieri curabimus; & id certè non secus, quàm ab omni corruptione abstinere, hoc est ab omni peccato: nam qui cum peccato se communicat, magis sibi nocere intelligat, quàm prodesse corpus Christi. Optimum exemplum dat D. Iohannes Chrysostomus sanctitate, & doctrina mirabilis, de corporali cibo. Nam hic sumptus, si ventrem pernicioſis humoribus occupatum inuenerit, magis lædit, magis nocet, & nullum præstat auxilium: Ita & cibus spiritualis corporis Christi, si quem reperit malignitate pollutum: magis eum perdit, & non nisi vitio accipientis, non cibi natura: ob id dicit Auctor, vt ab omni corruptione abstinens sit: quia magis corrumpitur homo, si cum peccato communicetur: quàm si malum cibum sumat: peccatum namq; præcipuam hominis partem, quæ est anima, corrumpit: cibus malus, corpus. Nihil enim tantæ sanctitudini contradicit, quàm peecatum, ideoq; indignè sumens, corrumpitur: quia peccatum corruptio est. Et rectè dicit corruptionem, vocans corruptionem peccatum, quia spiritualiter animam corrumpit. Corruptio namq; accidit per mortem, & mors per corruptionem: at anima peccando, moritur ea morte de qua scriptum est: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Igitur si Christi corpus, tuum fieri desideras, duo à te omnino facienda sunt, abstinere scilicet

De doctrina Christiana.

In Eucharistia quomodo reperitur Christus. 3. p. q. 65. ar. 3. c.

Sumẽs Christum cũ peccato magis fibi nocet.

Cur peccatum dicatur corruptio.

Ezech. c. 18.

ab

Digitized by Google

ab omni corruptione peccati, & mysticæ cœnæ omni die cum fiducia participem fieri: sic dubio procul vnum efficiaris cum Christo.

Ἐν οἷς παιδεύῃ παρὰ θεοῦ, μὴ γόγγυζε. παιδεύει μὲν γὰρ ὡς πατὴρ, ἐχαρίσατο δὲ ὡς εὐεργέτης τὸν ἔπαινον.

PRAECEPTIO CXXI.

In omnibus quando à Deo corriperis, ne murmura, castigat enim vt Pater, ideoque vt benefactor dignus est, vt gratiam actione celebretur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXI.

Murmurationis ethymologia.

MVrmuratio propriè à murmuro verbo descendit, quod est strepitum facere. Attribuiturque in primis aquæ, nam murmur lenis aquæ strepitus est. Transfertur deinde ad quamcunque strepitum: Cumq; is qui contra aliquem murmurat, strepitare dicatur: hinc postmodum translatum est verbum ad id, quod est secreto obloqui, & maledicere.

Murmuratio quid sit.

Murmuratio igitur oblocutio erit, in debito modo facta contra Deum principaliter: secundo autem contra alicuius factum. Qui enim cum impatientia querelatur in his, quæ homo debet patienter ferre, murmurare dicitur. Peccatum grauissimum, & à Deo semper ferè in hac vita punitum. Memento murmurationis populi Hebraici in deserto, ob quam seuerè punitus fuit, serpentium morsibus, cum plurimorum morte. Discurre scripturas, volue libros: videbis certè quantum Deo displicet murmuratio. Itaque si quando à Deo corriperis, murmuras: obloqueris certè contra Deum absque causa. Non enim te Deus tribulationibus afficit, vt consumat, sed vt erudiat: non vt damnet, sed vt emendet: quod non inconsultò apposuit Author, quando à Deo corriperis: quia Deus vult corrigere, non interficere: facit enim quemadmodũ pater ille, qui habens filium sibi charissimum, modò blanditur, modò erudit, modò emendat: Blanditur, quia

Murmuratio peccatũ grauissimum, & à Deo punitum.

Optimum exemplum.

Digitized by Google

quia obediens: erudit, quia ignorans: emendat, quia delinquens: sic & Deus noster, qui duo in respectu ad creaturas sibi vẽdicat (vt alia omittamus) est enim pater, & benefactor; Pater creatione; Benefactor gubernatione. Videns igitur filios suos obedientes blanditur: ignorantes erudit: delinquentes corrigit. Igitur in omnibus quando à Deo corriperis, ne murmura, quia castigat vt pater; ac propterea siue blanditur, siue erudit, siue castigat; dignus est, vt gratiarum actione celebretur, quia benefactor est. Tunc enim tibi hæreditatem sempiternam præparat: cum manum ad flagella apposuerit. Dicebat Gregorius: Quisquis pro peccato percutitur, nisi murmurando renitatur: eo ipso iam iustus esse inchoat, quo ferientis iustitiam non accusat. Beatus quoque Isidorus scripsit: vt discat non murmurare, qui mala patitur, etiam si ignorat, cur mala patitur. Per hoc quisque se iustè pati arbitretur: quia ab illo iudicatur, cuius numquam iniusta sunt iudicia. Itaque non murmurare debet, qui patitur: sed operepretium est gratiarum actione recõpensare eum qui corripit.

Gratiæ sunt Deo referendæ quando castigat.

In Moralib.

Libro 3. de summo bono.

Ὅταν ἀτιμασθῇς, χαῖρε. οἱ μὲν γὰρ ἀδίκως, ὁ μισθὸς πολύς. οἱ δὲ δικαίως, ἐὰν σωφρονῇς, ἀπουφίσθης τῆς μάστιγος.

PRÆCEPTIO CXXII.

Si ignorantiæ affectus fueris, gaude, si quidem enim iniustè, merces tua copiosa erit: si verò iustè, & si respueris, iam liberatus es à flagello.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXII.

IGnominia, quæ nota nominis est', venitque à nomen, quod idem est, quod infamia, quæ est læsæ dignitatis qualitas reprobata quo ad vitam, & mores: Vnde ignominiosus est, qui laude, & gloria caret; sed dedecoris, & ignorantiæ plenus: chitaque ignominia, si affectus fueris, minime tri-

Ignominiæ diffinitio, & ethymologia.

Digitized by Google

ſtari debes, ſed gaudere. Aut enim iniuſtè ignominia, & dedecore afficeris, aut iuſtè: ſi iniuſtè, gaude, quia præmium maximum tibi pollicetur in cœlo. Dicebat Auguſt. Qui fuerit patientior ad iniuriam, potentior conſtituetur in regno. Sed & Saluator noſter Chriſtus expreſſe dixit: Beati eritis cum vos oderint homines, & cum ſeparauerint vos, & exprobrauerint vos, & eiecerint nomen veſtrum tamquam malum, propter filium hominis, quia iniuſtè hoc faciunt, gaudete, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo. Propter Deum quippe exprobrantur, qui iniuſtè ignominia afficiuntur: quia Deus ipſe iuſtitia eſt. Quare Vlpianus Iuris conſultiſſimus, iniuriam propriè eſſe iniquitatem, atq; iniuſtitiam ſentit. Et verè ſic eſt. Si quis enim iniquè, vel iniuſtè, ignominioſeque ſententiam dixerit, nonne iniuriam dixiſſe manifeſtum eſt? quaſi non iuriam: ergo contra iuſtitiam, igitur contra Deum, quia Deus ſumma iuſtitia eſt. Itaq; propter Deum patiuntur, qui ignominiam, dedecus, atq; iniuriam patiuntur. Quas ob res, qui ſic iniuriantur, ſi patientiam in animo veraciter cuſtodierint, ſi æquanimiter ignominiam toleraverint: maximam in cœlo mercedem expectare debent. Quis igitur ſe maledici non permiſerit, vt mereatur Chriſti voce laudari, & cœleſti, copioſaque mercede munerari? Hieronymus ille ſanctiſſimus, igne charitatis accenſus erga Chriſtum, fortiter clamabat: Vtinam in opprobrium meum ſolidius hic mundus exurgat, tantum, vt merear à Chriſto laudari: & ad ſuæ pollicitationis properare mercedem. Nec quidem immerito, quia grata, atque deſiderata tentatio eſt: cuius præmium perpetratur à Chriſto in cœlo. Si autem iuſtè ignominia afficeris, quoniam talia perpetraſti ignominia digna, gaudendum quippe eſt: modo reſipueris. Cum enim propter peccata veniant aduerſa, nõ longius iam corruptelam tuam pateretur procedere indulgentiſſimus Pater: quia reſipuiſti: ergo liberatus es à flagello, à pœna, à punitione, quam propter peccatum merebaris, ob ignominiam tibi iuſtè illatam. Igitur gaude ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè ignominia afficeris: ſi iuſtè, gaude ob reſipiſcentiam: ſi iniuſtè, gaude ob mercedem.

Matth. c. 5. Lucæ cap. 6.

Iniuria quid ſit iuxta Vlpianum.

Merces magna promittitur his qui patienter tolerant iniurias.

In Epiſtola ad Heliodorum.

Digitized by Google

Σκιᾶ καὶ τροχῷ τὰ λυπηρὰ τοῦ βίου καὶ τὰ φαιδρὰ παραβαλλε.
ὡς γὰρ σκία οὐμμένει, καὶ ὡς τροχὸς κυλίεται.

PRÆCEPTIO CXXIII.

Vmbræ, & rotæ, & tristia, & læta huius vitæ comparato: Nam quemadmodum vmbra, non manent: & vt rota vertuntur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXIII.

OMne quod est in mundo, aut triste est, aut lętum; nam medium non dari manifestum est. Quando enim vidisti hominem simul & semel lætum, & tristem? aut quando apparuit homo absque tristitia, & lætitia simul & semel? nisi dixeris te vidisse hominem insipidum: sicq; esse medium inter tristem, & lætum. At implicat dari hominem absque tristitia, & lætitia simul & semel, talemquè insipidum: vel quod lætitia, seu tristitia simul & semel aliquando afficiatur. Ostende mihi quæso mundanas res simul lætas, & tristes. Igitur omne quod est in mundo, aut triste est, aut lætum: Triste est, quod tristem facit hominem, vel ob bonorũ absentiam, vel ob præsentiam malorum: lætum verò è conuerso est, faciens hominem lætum, vel ob malorum absentiam, vel propter bonorum præsentiam. Hinc est, quod homo aut gaudet, aut dolet: quod si neutrum efficit, homo quidem non est. Tu autem qui vides mundum duobus hisce duci rectoribus, comparato & tristia, & læta mundi huius vmbræ, & rotæ. Vmbra enim manet manente corpore, & luce, sed hæc euanescente, & si remaneat corpus: abscedit tamen, & vmbra. Rota pariter hanc sortitur naturam, quod reuoluta, pars suprema in imo reperitur: infima verò ad fastigiũ. Igitur præ oculis vitæ huius naturam habemus. Quandoquidem superstite corpore, & mundi luce adsunt, & tristia, & læta: at corrupto corpore, & luce fugata, fugiunt & tristia, & læta. Similiter dum ad mundi fastigium reperitur homo, lætis vndiq; rebus affluit: dum verò in imo,

Hominis natura.

Natura vmbræ, & rotæ.

Digitized by Google

Vita præsés inconstans.

tristibus. Igitur inconstans est vita præsens, quæ cum tristibus, & lætis constet: vtraque quidem vmbra, & rota erunt. Igitur cum vmbra non maneat, rotaque semper voluatur: horum naturam tristia, & læta sequentur. Quid igitur attendis tristia, & læta mundi huius, quæ cito euanescunt, attende læta, & tristia alterius, quæ numquam desinunt.

Λ'εὶ προκόπτειν κατὰ θεὸν σπούδαζε· ὁ γὰρ μικρῷ ἐπὶ μικρὸν προσιθεὶς, πλοῦτον καλὸν καταβραχὺ συλλέγει, παρὰ πάντων ζητούμενον.

PRAECEPTIO CXXIIII.

Semper proficere in Deo conare, modicum enim modico addens: breui colliges diuitias ab omnibus expetitas.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXIIII.

Perfectio hominis in quo consistit.

OMnis perfectio ea quippe est, vt temporalibus cõtemptis, spiritualibus inhæreat omnino. Inhærebit autem, si perfectionem huiuscemodi diuidet sibi interius, exteriusque: Interius, dilectioni Dei, & proximi vacando: exterius, virginitati, voluntariæ paupertati, obedientiæ, reliquisque virtutibus. Spiritualis profecto vitæ perfectio secundum charitatem simpliciter attenditur, secundum quid autem in omni illo, quod spirituali vitæ coniungitur: quia etiam vitæ spiritualis perfectio in præceptis essentialiter consistit: in consilijs autem instrumentaliter. Igitur conandum maxime est semper proficere in Deo. Nam ex præcepto teneris vtique ad perfectionem tendere: licet non esse perfectus. Adagium commune est: Multa pauca, facere vnum satis. Et quidam Poeta præclarè cecinit.

Vitę spiritualis perfectio in quo consistit.

Gutta cauat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo.

Quod quidem intelligitur in virtute præcedentiũ guttarum, grádatim, & pedetentim decidentium, vltimam, lapidem cauare. Sic etiam, si modicum modico addideris, hoc est si (gratia exempli) gradum vnum humilitatis hodie exercueris,

Nota diligenter.

cras

cras alterum, sequenti die alterum: breui quidem colliges humilitatis profectum. Similiter, si circa patientiam te exercueris, modicum quid hodie accipiens, cras alterum modicum, deinde alterum: sic in dies proficiendo, breui quidem patientiæ virtutem assequeris. Ita quoque reliquas virtutes colliges, quæ diuitiæ sunt ab omnibus expetitæ: quia animam efficiunt diuitem, locupletem, opulentamque. Cæterum, si vis esse perfectus, duo à te attendenda sunt, vt paratus sis ad omne bonum necessarium, & ad bonũ supererogationis. Primum explebis, cauens ab omni mortali peccato: secundum, abstinens quoque à licitis. Nam perfectus eris, si relictis malis, feceris bona. Dicebat D. Hieronymus, & rectè: quod facilius contemnitur sacculus (alia litera habet seculum) quàm voluptas. Sed & Lucius Apuleius dixit: Nihil esse similius, & gratiosius Deo, quàm vir animo perfectè bonus: qui intantum homines cæteros antecellit, quantum ipse à Dijs immortalibus antecellitur. Igitur proficere in Deo conare, vt eo similis fias: qui cum omnes diuitias, quæ veræ diuitiæ sunt, possideat: tibi quoque illas impartiri possit.

Homo vt sit perfectus, quid facere debeat.

Super Matt. cap. 19.

De Deo Socratis.

Εἰ βούλει τῆς πολλάσεως ἐκφυγεῖν τὸ ἐπίπονον, μηδένα ποτὲ λοιδορήσῃς. ἐκ τούτου γὰρ τὸ θεῖον παροξύνεται.

PRAECEPTIO CXXV.

Si vis supplicij effugere molestiam, neminem vnquam conuitijs afficies: eos enim Deus exasperauit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXV.

VI conuitijs aliquem afficit, à duobus puniri necessum est: à seipso, & à Deo. A seipso, quia magis læditur conuitians, quàm qui conuitijs afficitur. Ab Authore enim principium fit motus, & excitatio: intus verò concitata semel iniuria, parturientem primum incendit: & antequam peperit, inflammat prurigine, transiensque lædit: & veneno suo, pertinaci tinctura imbuit. Optimum exemplum affert Hierax in

Conuitians magis punitur, quã qui conuitijs afficitur.

Digitized by Google

in opere de Iustitia, de igne, additque aliud de Murena: quo vti fuerant multo ante Nicander Colophonius, & Archelaus Physicus, dicens: Quemadmodum ignis non potest præterita, sine damno materia, in qua primum conceptus est, priusquam ipsum prorsus consumat, ad aliorum noxam conuerti: neque Murena prius aquaticos angues ad alienã perniciem parere potest, quàm proprium eius ventrem in quo correpti fuerint, eroserint: ita antequam conuitians in alios emittit malitiam suam, prius eandem experitur. Vnde inquit, Author iniuriæ ignorat seipsum lædi pro alijs: quibus nocere studet. Verum quod facessit negotium viris timoratis, est, quod minus esset lædi à seipso, si non ab alio potentiori læderetur conuitians: læditur namque à Deo: quia tales Deus semper exasperauit. Si enim minatus est Christus cuicunque: qui dixerit proximo suo fatuæ, gehennã ignis: quid dicet his qui grauiora obiecerit? qualibus pœnis eos afficiet? inenarrabilibus quidem, & merito. Non enim parui momenti est dicere fratri suo fatuæ. Quis enim est fatuus? fatuus certè videtur esse ille, qui absque discursu, & sine prudentia, atque ratione efficit, quicquid efficit. Si igitur alicui fatuæ dixeris, statim iudicium incurristi, cum ab eo prudentiam, rationem, & inteilectum, quo à belluis differimus, & homines efficimur, auferas. Vide igitur si parum sit dicere fatuæ: quanto magis si maiora dixeris. Itaque si vis supplicij vndequaque effugere molestiam, neminem vnquam conuitijs afficies: quia à teipso, & quò magis officit, à Deo pœnis afficieris hic, & in perpetuum.

Optima exempla.

Cõuitians lędit à Deo. Matth. c. 5.

Fatuus quis videtur esse.

Εἰ θέλεις ἐκ τοῦ οἴκου σου ἐκποδιὼξαι πᾶσαν μάστιγα μὴ κακολογήσῃς ὁ μίσυλλον ἄνθρωπον. ὁ γὰρ ποιήσας αὐτὸν, εἰκότως παροξύνεται.

PRAECEPTIO CXXVI.

Si vis è domo tua expellere omne flagellum, ne maledictis inceſſas contribulem hominem: qui enim ipsum creauit, meritò ad iram prouocatur.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXVI.

HOmo passionibus quamplurimis afficitur valde, præsertim irascibili: ac propterea irascitur sæpissime. Cum enim ad vota non succedant, quæ cupit, cum ab alio læditur, cum vix tangatur: fumigat, ac in iram prouocatur: vnde in maledictionis iaculum linguam vertit: res quidem indigna Christiano: quinimo viro magnanimo, & probo. Nam ex Ethnicis plerique fuerunt, qui numquam in iram eruperunt, nec maledictis incesserunt alios, offensi. Verum enimuero cum non possit homo non irasci, nec Deus quoque qui irascitur, in totum prohibet iram, quia is affectus necessario datus est: nihilominus tamen mitigandus est affectus: & non irascendum est, vbi non conuenit, & si irascitur, absque peccato irascendum est. Quare Regius Propheta docuit, irascendum, & quomodo non irascendum, dicens: Irascimini, & nolite peccare: vbi concessit quod naturę est: negauit quod culpæ. Itaque peccatum erit irascendo, si proximum tuum maledictis, & iniurijs aggredieris. At minus malum esset, si ex causa quis irasceretur. Sed qui non habet causam, & irascitur, vel qui temerè hominem contribulem, & angustijs plenum maledictis incesserit? O graue malum. Cum debet misereri sui proximi, & compati alienis miserijs, maledictis tamen contribulem hominem afficit. Debet rursus iudicare, quod Deus qui ipsum creauit: meritò ad iram prouocatur, ac propterea precibus Dei iram mitigare oportet: vt à contribulo homine flagella amoueat, & non illum affligere. Cur autem contra illum irascitur Deus, & quomodo dicendum est. Irascitur quidem Deus non propriæ vt nos, sed metaphoricè: quia puniendo admodum irati se manifestat: cum enim corporea mole priuetur, priuabitur quidem & consequentibus ad ipsum: passionibus scilicet. Irascitur autem ob peccatum: quia peccatum præuaricatio legis diuinæ est, & cœlestium inobedientia mandatorum: iuxta Diuum Ambrosium. Igitur qui peccat, prouocat ad iram Deus: Deus autem sic ira prouocatus, peccantem vndequaque malis afficit, quia peccans, Deo terga vertit: creaturæ verò faciem.

Passionibus quatitur homo.

Homo non potest non irasci.

Irascendum est absque peccato. Psalm. 4.

Deus quomodo, & cur irascitur.

Peccatum quid sit. In lib. de Paradiso.

Nam

Digitized by Google

Nam peccatum quoque est, spretò incommutabili bono rebus mutabilibus adhærere, iuxta Diuum Augustinum. Ideoque ob primum, pœna damni hominem punit: ob secundum, pœna sensus. Itaque cum ob peccatum iratscatur Deus, & puniat (licet plerunque ad exercitium, ad meritum, ad virtutes illius contra quem irasci videtur, manifestandas, puniat) tu qui vides hominem ita à Deo malis affectum, contribulemque, ne maledictis incessas: quemadmodum vxor Iob maritum suum, & amici eius, afflictum verbis inanibus, & contumeliosis affligebant: quia te tanquam crudelem, domumque tuam grauiter flagellabit. Necessario namque sequi oportet, vt Deus tanta immanitate motus, crudelem immaniter flagellet. Debes itaque calamitosis hominibus condoleri: non maledicta inferre. Quandoquidem crudelis viri est afflicto afflictionem addere. Cui corpus male affectum est (dicebat Menander) is opus sit medico, sed qui animum male affectum habet: indiget certè amico, cui condoleat: tristitiæ enim mederi nouit beniuolus amicus. Igitur contribulem hominem, qui tribulationibus quatitur, qui consolatione priuatur, qui multipharia patitur, qui à nemine releuatur: ne maledictis incessas: nam contra humanitatem agis; & quod facescit negotium, est, quia prouocas Deum contra te, iratum contra ipsum. Fiet certè vice uersa, vt quemadmodum contra illum iratus erat, contra te tandem, ob tuam erga contribulem hominem impietatem, irascatur.

Lib. 1. de libero arbitrio.

Calamitosis hominibus misereri oportet.

Εἰ θέλεις πάσης ἁμαρτίας ἀνώτερον εἶναι, πράξεις, ἀλλοτρίας μὴ καταμάθῃς. πολλὰ γὰρ ἔσεται ἐν σοὶ, ἀφ' ὧν ἕτερον ὑπολαμβάνεις.

PRAECEPTIO CXXVII.

Si omni peccato vis esse superior, res alienas ne curiose inquirito: multa enim in te sunt, de quibus alium suspectum habes.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXVII.

CVriositas, quæ iuxta Hugonem, superflua est rerum indagatio ad se non pertinentium: secundum verò Anselmum, studium est perscrutandi ea scire, quorum nulla est vtilitas: prorsus à te, qui Christianus es, fugienda est: nam vitium est, circa cognitionem intellectus, & sensuum ad peccandum, iuxta B. Thomam: versaturque circa ludorum, spectaculorum inspectionem, & mulierum ad concupiscendum, & similium. Quid quod, iuxta eundem, oritur ex accidia; accidia autem peccatum mortale est? Quid quòd iuxta Bernardum, primus superbiæ gradus est curiositas; & tamen initium omnis peccati superbia est?] Verum recordare pientissimum Saluatorem nostrum dum Annæ, Caiphæ, & Pilato præsentaretur, eorum interrogationibus ferè semper respondere, Herodi verò non legimus nec verbo, nec nutu aliquid respondisse. Res quidem non caret mysterio. Quamquam non desint rationes, cur Herodi non responderit benignissimus Iesus: & primo non respondit, cum suum interfecerit præcursorem: ideoque responsum non merebatur. Secunda ratio mystica est: non respondit Christus, quia non habebat vocem: Iohannes quidem vox Christi erat; vnde & dixit, Ego vox clamantis in deserto: qui voce caret, non loquitur, ac propterea Christus non respondit. Tertio, responsum non dedit Herodi, ne à morte liberaretur: si namque respondisset, facile eũ Herodes liberasset: quare de Pilato scribitur, quod exinde quærebat eum dimittere Pilatus. Quamuis (inquam) hæ, & consimiles adsint rationes, nihilominus tamen præcipua est; non respondit ob Herodis curiositatem. Erat enim Herodes cupiens ex multo tempore videre Christum Iesum, eo quod audierat multa de eo; & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Vnde & signãter inquit Sanctus Lucas, quòd interrogaret eum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat. Vide igitur si curiositatis peccatum parui sit momẽti. Sed quid dices de curiositate sciendi res alienas? mala mens, malus animus: non nisi vt aliquando proximus confundatur, ac propterea multis peccatis, quinimo iuxta Authorem, omni

Quid sit curiositas.

In libro de similitudinibus.

22. q. 167.

22. q. 35. ar. 4

3.

De gradibus superbiæ.

Eccl. c. 10.

Christus cur Herodi non responderit.

Matth. 3.

Marc. 1.

Lucæ 3.

Ioan. 1.

Christus nõ respõdit Herodi ob curiositatem illius.

Cap. 23.

Digitized by Google

peccato inferiorem se esse demonstrat: quia abest charitas.

Super Cant. Dicebat Bernardus: Doctrina spiritus non curiositate acuit: sed charitatem accendit. Verum enimuero, qui alienam inquirit vitam: mundam ab omni inquinamento debet habere suam: sed quis est hic, & laudabimus eum? Sine igitur curiositatem, multa namque de quibus alium suspectum habes, & de quo maligna curiositate res suas indagas: in te inueniuntur.

De Gen. cõt. Manich. libro 1. Bene dicebat D. Augustinus: Compescat se humana temeritas, & id quod non est, non quærat: ne illud quod est, non inueniat. Ergo vide intima tua. Ad quid enim aliena scire, teipsum verò nescire? vt quid peritus es alteri, ignarus autem tibi? Sollicitus erga alia, desidiosus circa tua? sine quæso curiositatem: verte illam saltem in studiositatem. Nam si curiosus eris, eris quidem & cupidus cognoscendi ea, quæ nihil ad te attinent: studiosus verò quę ad animum nutriendum liberaliter, & ordinaliter pertinent, intentissimè requirit, Itaque hoc sequens bonum tibi erit, illud autem nequaquam: nam omni peccato tunc eris inferior.

Φεύγε τὴν ὑπερηφανίαν, ὦ ἄνθρωπε, κἂν πλούσιος ᾖς, μήποτε τὸν θεὸν ἀντιτασσόμενον ἔχεις.

PRAECEPTIO CXXVIII.

Superbiam fugito, ô Homo, etiam si dives sis: ne forte Deum aduersum tibi habeas.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXVIII.

Lib. 2. de Sacramentis. Lib. 2. ethy. Quid sit superbia.

Vperbia, quæ secundum Hugonem, & Isidorum est amor propriæ excellentiæ, ab eorum punitione qui superbierunt, perspici poterit, quantum inimica sit Deo. Nihil enim Deo opponitur, nisi peccatum; inter autem peccata omnia superbia caput, & initium est omnium peccatorum, ergo inter peccata quælibet grauissimum peccatum est superbia.

De verbis Domini ser. 14. Dicebat D. Augustinus: Prior est in vitijs superbia: non enim inuidia parit superbiam, sed superbia inuidiam.

Quan-

Digitized by Google

Quandoquidem non inuidet nisi amor propriæ excellentiæ: at talis amor superbia vocatur: sicq; de reliquis digredi poterit. Nam superbia vitium generale est, omniaque ambit. Non enim sola est, qua quisque aliquid amplius quam oportet, appetit, vel scilicet excellentiam propriam, vel propriæ rei priuatum honorem: sed qua quisque amat propriam voluntatem. Quare & Deo maxime contrariari manifestum est. Punitus quidem fuit Lucifer, & homines penè infiniti castigati à Deo ob superbiam, quos hic recensere ob breuitatem minime arbitramur: quia scholia sunt. Verum enimuero non omnis excellentiæ appetitus est superbia. Docuit namque Beatus Thomas hunc in triplici discrimine reperiri. Quidam enim est rectus: quidam excedens: quidam deficiens. Rectus magnanimitatis est: excedens superbiæ: deficiens, pusillanimitatis. Primus, virtus est: secundus, vitium: tertius, defectus. Quando igitur supra alios in omnibus ire niteris, præcipue supra Deum, tunc superbis: nam superbire, est quasi supra alios ire. Vnde & Beatus Augustinus dixit, esse appetitum peruersæ celsitudinis. Sanctus verò Thomas, superbiam diffiniens, dixit esse inordinatum appetitum excellentiæ: cui habetur honor, & riuerentia. Dixit quoque, superbiam propriè respicere defectum subiectionis hominis ad Deum: secundum quod aliquis se extollit supra id, quod est sibi præfixum secundum Diuinam regulam, vel mensuram. Igitur ô homo ne Deum contra te habeas, habebis autẽ, si superbieris: quinimo creaturas minimas, ob superbiam namque multa creatura patitur, sic permittente, & iubente Deo. Iustum quidem est, vt homo qui aduersus Deum, supra quem nihil est, se iactat, proximumque spernit: à creaturis quoque minimis torqueatur. Ac propterea videmus hominem à pulicibus, pediculis, cimicibus, muscis, similibusque animalibus infestissimis, & male olentibus continuò molestari. Vide igitur superbiæ remunerationem. Hominem nobilissimum animal ab ignobilissimis minimis, & fœtidis molestari. Fugito igitur superbiam, etiam si dives sis, quia Deus qui tibi diuitias impartitus est: ob superbiam auferet. Cæterum Author addit, si dives sis: quia morbus diuitiarum est superbia. Dicebat Augustinus: Grandis animus est, qui inter diuitias isto morbo non tentatur. Maior animus diuitias suas vincẽs,

Superbia prior in vitijs, & est vitium generale.

De malo q. 8 art. 2.

Lib. 14. de ciuit. Dei.

1. 2. q. 84. ar. 2. o. & 22. q. 77. ar. 3. c.

Homo ob superbiam affligitur à creaturis minimis.

Serm. 29.

Digitized by Google

contemnendo. Magnus est ergo diues, qui non se ideo magnum putat, quia diues est. Ideoque subiunxit, quod difficile est, vt non sit superbus: qui diues es. Et verè sic est, nam diues ob diuitias nullum existimat, solum seipsum magni facit, reliquos verò spernit: seipsum solum extollit, & quasi Deum se tenet. Quare bene testatus est Varro, diuitem à diuus dici. Nam qui diues est, quasi Deus se tenet, & quasi Deus nullo indigere videtur. Vis igitur vt diuitiæ non noceant, tolle superbiam: tollendo superbiã, Deum tibi propitius esse iudica.

Homo superbit ob diuitias.

φίλει τὴν ταπεινοφροσύνην, κἂν μέγας ὑπάρχεις, ἵνα ὑψωθῇς ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.

PRÆCEPTIO CXXIX.

Dilige humilitatem, etiam si magnus sis: vt exalteris in die iudicij.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXIX.

Homo ex quibus superbire poterit.

EX tribus quidem (vt cæteros relinquamus modos) poterit quis superbire, ex sapientia, ex fortitudine, & ex diuitijs. Ex sapientia, quia inflat: ex fortitudine, quia tumet: ex diuitijs, quia ambiunt, hoc est alios ambire faciunt. At cum prima ratione status sit imperfecta: secunda debilis: postremæ verò instabiles: fuge superbiam, dilige verò humilitatem. Fugies autem, si contra sapientiam stultus fias: contra fortitudinem debilis: contra diuitias pauper. Nec primum abhorreas, quia nos stulti propter Christum, dixit Paulus Apostolus. Et sapientia huius mundi, inimica est Deo. Nec secundum timebis, quia ab eodem scribitur: Cum infirmor, tunc fortius sum. Nec tertium displicebit, cum veritas infallibilis inculcet: facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in cœlorum regna conscendere. Ex his certè elicies humilitatem. Nam impossibile est, vt quis sapientiam spernat, contemnat fortitudinem, relinquat diuitias, & non sit humilis: quia hæc est vera humilitas, suæ imperfe-

1. ad Corint. cap. 3.

Matth. c. 19. & Marc. 10.

Digitized by Google

perfectionis cognitio. Et cum sit sapiens, reputare se stultum: cum sit fortis, iudicare se debilem: cum sit diues, extimare se paupérem: cum denique sit aliquid, pro nihilo se reputare. Hæc quippe Sanctorum intentio, & regula semper fuit: vt scilicet cum recta facerent, inutiles se reputarent. Nunquam certè vidisti Sanctum de virtutibus extolli, quinimo quo magis præcepta obseruarent: eo semper arbitrati sunt nihil dignum fecisse. Vidisti quidem prelosque se de virtutibus gloriari, quamuis nihil boni forsan haberent. Ergo dilige humilitatem. Quod si sapientiam, fortitudinem, & diuitias, celsitudinem, & similia desideras, respice Deum: qui cum vnus sit sapiens, potens, beatus, excelsus, & omnia continens: te quoque sapientem, fortem, beatum, & magnum efficiet: sed hæc non nisi humilitate (vt dictum est) assequeris. Profecto qui ad alta ascendere cupit, per gradus quidem id facere conabitur: nam sursum non nisi per scalam ascendi necesse est. Verum vt ascendat, à primo gradu incipere (vt par est) oportet: deinde reliquos pedibus conculcare; secus numquam ascendet. Nam si alio pedem tenderit loco, vel non poterit ascendere, vel cadet: vel si poterit, ille erit primus in ordine gradus. Qui igitur magnus esse desiderat, & ad celsitudinem tendere, atque ad cœlestem permeare patriam, à primo scalæ gradu incipere opus est. Hic autem erit humilitas: deinde per reliquas virtutes, seu per gradus quosdam conscendere. Esto itaque paruus in oculis tuis, quamuis in teipso magnus existas; vt sis magnus in oculis Dei. Hoc enim magni refert, ante scilicet occulti Iudicis oculos, virtutibus emicari: & apud eum pro magno haberi. Tanto certè eris apud Deum precioſior, quanto fueris in oculis tuis despectior. Quod si dixeris, magnus natura, magnus virtutibus existo: dicâ & ego, quòd si magnus existas, non tamen maior es Deo. Id autem si feceris, exalteris in die Iuditij: aliter confunderis etiam ante Iudicium. Æsopus Poeta interrogauit Philemonem, quidnam ageret Iupiter? (vt author est Laertius Diogenes in de vitis Philosophorum) respondit Chilo: Alta humiliat, humilia exaltat. Responsum certè Christianum, simile illi sententiæ Saluatori: Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Igitur quamuis magnus sis, dilige tamen humilitatem, vt exalteris in die Iuditij.

Humilitas vera quæ est.

Optimum exemplum.

Humilitatis fructus.

Matth. 23. Lucæ cap. 7. & 18.

Mu

Digitized by Google

Μὴ σκώλης ἄνθρωπον, καὶ μῶνον οὐχ ἕξεις. ἐν πάσῃ ζωῇ σοῦ.

PRÆCEPTIO CXXX.

Ne cauillis petas hominem, & reprehensionem non incurres in omni vita tua.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXX.

Vitę integritas in quo consistit.

PRetiosa res est vitæ integritas: fœlix homo moribus integer, qui detracta omni vtilitate, vllis præmijs, fructibusque per seipsum possit iure laudari: qui quicquid facit, iustè, splendidè, constanter, modestè, grauiter, honestè facit. Qui nec in motu, nec in gestu, nec in incessu, neque in actu aliquo reprehendi aliquantulum potest. At è contra, infœlix

Homo scelestus qui.

erit homo, qui cuncta quæ facit, non solum auarè, iniustè, libidinosè, incontinenter facit: sed qui immodestè, inepteque agit; ex quo sequi necessum est, vt ab omnibus reprehendatur.

Homo multis reprehẽditur, sed vno pręcipue

At inter cætera quibus reprehendi potest homo, vnum certè est, & præcipuum: cum scilicet cauillis, iniurijsque petit hominem. sicut enim magna laus hominis est, grandisq; honor, quod neminem iudicat, neminem malignat, de omnibus bene loquitur. Ita magnum hominis dedecus est, dum in ore omnium versatur, quod alios iudicat, quod vituperat, quod lacerat, quod iniuriã facit, quod male loquitur, quod cauillis vnumquemque petit. Hoc est quod præcipit Auctor, dicens, ne cauillis petas hominem, & reprehensionem non incurres in omni vita tua. Quandoquidem qui alios iniurijs afficit, qui cauillis petit, maledicus à cunctis censetur: ac propterea reprehensionem incurrit. Vt autem abundantior habeatur doctrina, sciendum est, quod cauillis petere hominem, est ipsum maledictis, iniurijsque afficere. Maledicere verò tripliciter contingit, iuxta B. Thomam, Enunciatiuè, Causaliter, & Optatiuè. Enunciatiuè, detrahendo: Causaliter, imperando: Optatiuè, desiderando. Id vltimum per se sumptum, hoc est sub ratione mali, peccatum quidem est; per accidens autem minimè; nempe sub ratione duplicis boni, scilicet iusti,

Cauillis hominem petere, quid sit. 22. q. 76. ar. 1. c.

Maledicere tripliciter contingit.

vt

Digitized by Google

vt cum Iudex sententiat, Ecclesia excommunicat, Prophetæ conformant se Deo. Id etiam sub ratione boni vtilis, scilicet vt aliquis melior fiat, vel ne noceat alijs. Omnibus verò modis sub ratione mali maledicere, peccatum mortale est: ac eatenus grauius peccatum redditur, quatenus persona plus amari, ac reuereri debet: sed redditur veniale, vel ratione parui mali, vel ratione affectus: vt cũ ex leui motu, vel ioco, vel ratione subreptionis accidat. Verum cauillis petere hominem absolutè semper reprehensionem incurrere talem necesse est: quia semper læditur fama, & honor proximi, qui reuereri, & honorari debet. Quid quod peiora sunt vulneribus corporeis? Quandoquidem & si ferrum corpus feriat, verba tamen mentem vulnerant. Quæ & si quandoque minoris sint momenti, ac ex ioco aliquando proferantur: apprehenduntur tamen ab eo cui inferuntur, in malam partem: quia peiora sunt vulnera mentis, vulneribus corporis. Itaq; ne cauillis petas hominem, quia in omni vita tua reprehensionem minime incurres, nec coram Deo, quia non peccabis: nec coram proximo, quia eum non offendes: nec coram hominibus, quia non reputaberis maledicus. Id autem efficies, si sermones proferas iustitiæ libra examinatos: vt sit in sensu grauitas: in sermone pondus: in verbis modus: vt animi munditiam, temperantia cordis habeat, iustitia misericordiam, prudentia pacem, fortitudo mansuetudinem.

Maledicere quomodo est peccatũ mortale, vel veniale.

ὅταν ἐν ἐκκλησίᾳ ὑπάρχῃς, μὴ μετεωρίζου. ἐν ὄπιον γὰρ βασιλέως εἰ ἑστῶτες, οὔτε γελῶσιν, οὔτε μετεωρίζονται.

PRAECEPTIO CXXXI.

Cum existis in Ecclesia, ne eleueris: coram Rege enim stantes neque rident, neque superbiunt.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXXI.

NEphas est, ò homo, facere donum Dei, simulatorum hominum scœnam, seu domum negotiationis, atq; latronum speluncam. Facies autem, quoties cunque in ecclesia existens, vel nugis, vel nenijs vacabis, vel risu buccam

Ecclesia Dei quomodo latronum spelunca efficitur.

Digitized by Google

buccam implebis, vel ſuperbies: ſuperbies autem, ſi conſideratis virtutibus, potentia, diuitijs, pulchritudine, ſimilibuſq; rebus fugacibus, alios ſpreueris: & tamen in Dei præſentia moraris. Quid ſi coram Regibus, ſummiſque viris ſtares? cum quanta modeſtia, cum quanta humilitate, cum quanta omnium circumſpectione, cum quanta tui ipſius recollectione exiſteres. In Eccleſia autem oblitus Domini Dei Creatoris tui, qui eſt Rex Regum, & Dominus dominantium, eleuaris, rides, chachinaris, obloqueris. Heu fatuitas Chriſtianorum hominum. Ad Eccleſiam (docebat Auguſtinus) confluere debeant homines caſta celebritate, honeſtaq; vtriuſque ſexus diſcretione, vt audiant, quàm bene hic viuere debeant. Nunc autem accedunt ac ſi in comedijs accederent: ibique permanent, perinde ac ſi in plateis exiſterent. Sed adde, quòd cum temporalis Eccleſia figura ſit, & typus Eccleſiæ cœleſtis Hieruſalem, ibique omnes ſint humiles, cunctique modeſti: ſic etiam in iſta neque ridendum, neque ſuperbiendum eſt. Verum enimuero qui Deum hominibus poſtponunt, ſciant & ipſos quoque à Deo poſtpoſituros eſſe terræ fecibus tempore ſuo. Deus enim nec fallitur, nec fallere poteſt, neque irridetur. Patitur tamen, ſuffert, expectat, differt, vt reſipiſcat. Quod ſi renuerint, tandem homines infrunito, & irreuerenti animo, in inferni voragine ſummerget. Igitur in ea nihil turpe, nihil flagitioſum, nihil impium ſpectandum, inuitandumque proponas: vbi Dei viui præcepta inſinuantur, narrantur miracula, laudantur dicta, & poſtulantur beneficia. Recordare domum Dei, domum eſſe orationis, & non ſuperbiæ. Nunquam legiſti de Pompeio? cum porticum dumtaxat templi Dei in Hieroſolymis prophanaſſet, vertens in ſtabulum equorum: ſemper ab eo tempore, vſque ad mortem in bellis perdidiſſe: dum ante victorem extitiſſe ſemper, teſtantur Hiſtoriæ. Credis ne maius peccatum fuiſſe Pompei Ethnici, qui porticum templi in ſtabulum equorum vertit, quàm Chriſtianorum, qui millies in die in porcorum ſtabula, Eccleſias peccatis ſuis vertunt? Parum tibi videtur, ò Chriſtiane, ante conſpectum Dei ſingulari modo in Eccleſia commorantis eleuari? Cum tamen in eius præſentia ſtent Angeli admirantes; cuius Maieſtatem Throni ſub pedibus eius venerantur, Dominationes adorant, Poteſtates tremunt, Virtutes cœlorum

Ad Eccleſiã quomodo cõ fugere debeat.

Eccleſia militãs, typus eſt Eccleſiæ cœleſtis.

Põpeius Magnus cur in bello vicebatur.

Chriſtiani male ſe habent in eccleſijs.

Digitized by Google

cœlorum reuerentur, Principatus timent, Cherubin quoque, ac Seraphin: atque omnis militia cœlestis exercitus alternantes melos dant vocibus. Tu autem qui terra es, & cinis non times coram Deo eleuari? Memento, quòd cum Christus feciſſet de funiculis flagellum, eiecit omnes vendentes, & ementes, omneſque negotiationibus deditos. Eijciet & te ſimiliter, qui coram Regibus, ſimilibuſque perſonis in dignitate, & celſitudine conſtitutis modeſtius te habes, quàm coram Deo. Curia cœleſtis exercitus modeſtius ſe habet coram Deo, quàm homo. Matth. 21. Io. cap. 2.

Μὴ καταφρόνει τῆς ζωῆς σου, καὶ ἀδιαφόρως πράττε παρὰ τὸν νόμον, ἵνα μὴ παρὰ νόμον τιμὴ ἀπώλειαν ἔχοις.

PRÆCEPTIO CXXXII.

Ne negligenter habeas vitam tuam, nec temerè contra legem facito: ne contra legem faciens, perniciem incurras.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXXII.

DVo prohibet in hac præceptione Author, negligentiam, & temerarias actiones: negligentiam circa propriam vitam: temerarias actiones contra legem. At quoad primum attinet, multoties de negligentiæ malignitate dictum eſt. Nunc autem dicimus etiam nil peius negligentia. Quandoquidem aut temporalia reſpicit, aut ſpiritualia: ſi temporalia, negligens nunquam ditabitur: ſcribitur enim: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi. Si ſpiritualia, quæ propriè odio habet negligens, quia triſtatur de bono ſpirituali, illudque refugit: ſcribitur quoque: Vult, & non vult piger. hoc eſt, vult regnare cum Deo piger, & non vult laborare pro Deo: ſed anima operantium impinguabitur. Ergo ne negligenter habeas vitam tuam, operare bona, attende ſancta, labora pro Deo, vt cum Deo regneris. Quo verò ad ſecundum, ſimiliter poteſt eſſe ſermo, vel de humana lege, vel de diuina: verum contra Negligentia nil peius. Prouer. 20. Prouer. 13.

Digitized by Google

vtramque faciens, perniciem incurres. Solon dicere solitus erat, his duobus, præmio scilicet, & pœna, omnem Republicam contineri, vt qui innocentiam seruarent, præmio, honoribusque extollerentur: quin verò vitijs, & facinoribus deseruirent, debitis mulctarentur pœnis. Dicebat Plato, quòd legum aliæ ad bonorum hominum doctrinam ponuntur, vt per eas intelligant, quo pacto inter se amice versentur: aliæ ad compescendam illorum pertinaciam, qui indomiti natura sunt, spretaque omni disciplina, nulla ratione mouentur: cum in omnem ruant improbitatem. Igitur cum præmijs, & pœnis lex constet, qui contra legem nempe humanam faciet, punietur: & similiter, qui contra diuinam. Contra namque ius naturale delinquens, cerrè contra ius diuinum delinquere necessum est; quia in naturali iure nihil aliud præcipitur, nisi quod Deus vult fieri (vt docet Augustinus,) nihil aliud veritur, nisi quod Deus prohibet fieri. Nam diuinæ leges (vt alias dictum est) natura constituunt. Igitur perniciem incurrit, qui contra vtramque legem facit. Qui enim interficit aliquem, lege humana sancitum est, tale capite plecti: sed idem quoque Deum offendit, qui prohibuit homicidium, dicens, Non occides. Et qui mœchatur, factus est legis transgressor, sed & ipsemet Deum offendit, prohibentem in lege mœchationem, dicens, Non mœchaberis. Et qui Deum blasphemant, vltimo supplicio, quod est mortis, debent puniri: sic enim sanxerunt leges. Et lex diuina præcepit Deum esse honorandum, & non blasphemandum. Quare cum filius mulieris nomen Domini blasphemasset, à populo iussu Domini lapidatus est. Dicitur namque ibi: Educ blasphemum extra castra, vt lapidet eum omnis populus. Et qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Ergo vtrobique pernitiem incurrit, qui contra legem aliquid facit. Si igitur pernitiem incurrere nolueris, caue ne facias temerè aliquid contra legem, cum diuinam, tum humanam, quia lex improbis, & transgressoribus posita est, non iustis, & probis.

In Dialogo 9. de legibus Leges ad bonorũ doctrinam, & malorum punitionem latæ sunt.

Ad Casulanum. & habet dist. 19. c. sana. §. cũ ergo.

In auth. vt non luxur. col. 5. ff. de pœnis, l. vlt. iuxta glos. Leuit. 24.

Digitized by Google

Μετὰ πάσης ἀσφαλείας μνημόνευε τῶν εἰρημένων, ἵνα σε λαμπρὸν τῷ βίῳ ἀναδείξωσιν.

PRAECEPTIO CXXXIII.

Memor sis horum præceptorum cum omni studio: vt te clarum in vita reddant.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXXIII.

PRæceptnm iussio est, vel imperium faciendi aliquid, vel non faciendi; id autem cum in decalogo reperiatur, atque in hac parœnesi, quæritur de quibus præceptis loquitur Author, dum præcipit, dicens, memor sis horum præceptorum cum omni studio, vt te clarum in vita reddant. Respondetur, quòd huius præceptionis sensus geminus esse potest: primus, vt sit de legis præceptis: secundus, vt sit de præceptis hoc est de suis præceptionibus. Vterque sensus verus est, & rectus. Nam primus sensus ex hoc non est alienus, quandoquidem cum paulo ante dixerit, non faciendum esse, contra legem: nunc monet, vt horum legis præceptorum quisque debeat esse non immemor. Quia lex lux est non solum custodienti, sed & quærenti, & memoranti. Alter sensus est de præceptis ab Authore datis, & hic sensus est proprius quidem, & germanus: nam dicit, vt memor sis horum præceptorum, hoc est à me adhuc usque datorum. Rursus primus sensus rectus est, quia præceptum importat legis applicationem ad ea, quæ ex lege regulantur, iuxta D. Thomam. Vnde præcipere est actus rationis (inquit idem author) qui importat motionem cum quadam ordinatione. Secundus verò sensus perquam germanus est: ratione illius articuli horum. Itaque rectè dicit, vt memor sis horum præceptorum, hoc est meorum, vt te clarum in vita reddant. Et vere præceptiones hæ sanctissimi huius Nili Episcopi, & inclyti martyris, tot stellæ videntur, tot sydera corruscantia, tot soles: vt qui earum memores sunt cum omni studio, clari, & illustres in vita penitus reddantur. Quandoquidem hic virtutes omnes doces

Quid sit præceptum.

Dubium.

Responsio.

Lex lux est.

Præceptum quid sit, & quid importat. p. 2. q. 90. ar. 2.

22. q. 47. ar. 8.

Præceptiones Nili encomia.

Digitized by Google

amplectendas, cunctaque vitia fugienda, detestandaque; sed clarum est, virtutes hominem clarum reddere, cum vitia obscurent, obtenebrentque. Igitur quemadmodum quod præcipitur, imperatur, & quod imperatur, necesse est fieri (vt docet B. Gregorius) & si non fiat, pœnam habet, quia præceptis non obtemperans, reus est, & debitor pœnæ: ita certè si fiat, præmium magnum expectatur. Memor itaque esto horum præceptorum, vt cum memoria perseuerans exequutio, (quamuis impossibile fere sit, vt memorans continuo, aliquando non exequatur) te clarum reddant, & in vita, & in morte, & post mortem: & in cœlo, & in terra.

Et habetur dist. 14. q. 1. quod præcipitur.

Ζήλωτον βίον σεμνὸν, ἵνα ἔχῃς παῤῥησίαν ἐπὶ τρόποις οὗτος ἁμαρτάνοντας.

PRAECEPTIO CXXXIIII.

Puram emulator vitam: vt habeas liberam potestatem increpandi peccantes.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXXIIII.

Prælatus, Prædicator, & quilibet Christianus possunt corrigere, sed differenter.

TRes sunt, qui liberam potestatem habent increpandi peccantes, Prælatus, Prædicator, & Christianus quilibet. Prælatus ex officio: Prædicator ex delegato sibi munere: quilibet Christicola ex Christi Domini nostri præcepto. Prælatus, sibi subditos monendo, arguendo, coercendo, increpando, puniendo, &c. Prædicator, suos auditores docendo, arguendo, obsecrando, increpando, &c. Christianus quilibet corripiendo, seu corrigendo. At singula examinemus. Et primum, quo iuxte prælatus hæc possit exequi: totius sanctitatis exemplar præbere se debet. Non enim decet illum voluptati deseruire, in oribus lasciuiæ frena relaxare: remq; perfunctorie, atque adulatorie agere. Bene dicebat Diuus Hieronymus, Quomodo potest Præses Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruit? aut qua libertate peccantem corripere potest, cum tacitus ipse sibi respon-

In Epist. ad Titum, & habet dist. 25. can. p.

Digitized by Google

respondeat eadem se admisisse, quæ corripit? Et reuera Prælatum irreprensibilem, sine crimine, nullaq; peccati conscientia morderi necesse est: vt non immerito dixerit Dominus ad Ezechielem, de Prælatis loquens: Speculatorem dedi te. Speculator quippe in alto manet, vt inde cuncta discernat: sic Prælatus speculator populi positus, debet stare in alto per vitam, vt possit prodesse per prudentiam. Ideo Christus alibi assimilauit Prælatos nedum sali, & luci; sed ciuitati supra montem positæ, & lucernæ super candelabrum. Sed quid si Prælatus corriperit, vel quicquid aliud officij sui fecerit, existens in mortali peccato etiam in occulto, docet Diuus Thomas, eum mortaliter peccare, quamuis hoc, vt frater agens neutiquam. fusius hæc traderem: sed scholia sunt. Prædicator simili quoque modo sanctitate pura, & virtuosa perfectibilitate præditus esse debet, ne cum alijs prædicauerit, sua vita scelesti reprobus efficiatur. Indignum quidem est, eum qui Angeli officium suscepit, quod est euangelizare, quinimo Christi Prædicatoris suprèmi, qui præsentia sua mirabili hoc sanctificauit officium, diaboli naturam induat, induet profecto, si verba sanctis operibus non confirmauerit. B. Gregorius exponens illud Cantico rum: Nasus scilicet tuus sicut turris Libani: habet, Prædicatoris vita debet in alto fixa permanere, vt more narium discernat fetores vitiorum, odoresque virtutum. Cæterum, & de vnoquoque nostrum etiam fatendum est, vt puram emulemur vitam: si enim impurè viuimus, quomodo videntes proximum peccantem, liberè poterimus eum admonere, corrigere, & increpare? secus tanquam sordidi corripiemur nos à cæteris, qui & nobis dicent: Medice cura teipsum. Hipocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui. Et verè, qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam? Et qui magna infirmitate grauatur, quomodo poterit minimam fratris sui sanare? Igitur quicunque sis, qui alios increpare officium assumpsisti, puram æmulator vitam: vt liberè eos increpare possis.

Cap. 3. Prælatus est populi speculator.

Matth. 5.

Prælatus in peccato mortali corripere nō potest. 22. q. 33. ar. 5 4. sen. dist. 19 q. 2 art. 2.

Prædicator debet esse sanctus.

Sup Ezech. homil. 11.

Qui corripit, debet esse immunis à vitijs.

Digitized by Google

Ἀσφαλίζου τὴν αὐθάδειαν, μὴ ἐπί τινι πλήξῃς τινὶ, ἵνα μὴ καταχριθῇς ὡς ὑψηλοφρονήσας.

PRAECEPTIO CXXXV.

Abige à te contumaciam, neque increpa quenquam temere: ne condemneris, vt arrogantia inflatus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXXV.

Cõtumacia quid sit.

Contumax qui.

Cõtumacia tripliciter incurritur. 4. sen. d. 18 q. 2. ar. 1.

COntumacia, quæ propriè spretus est, seu neglectus inferiorum erga superiorum authoritatem, qui & inobedientiam, & tumorem, seu superbiam semper includit, (vnde & contumax est, qui nullis rationibus ab intento abduci potest, sed obstinato persistens animo: in eo quod prius concepit, remanet) trifariam incurri potest. Primo, non comparendo Iudici. Secundo, absque licentia recedendo, ante iuditij terminationem. Tertio & vltimo, sententiæ non parendo, iuxta B. Thomam (Iuris conditiones sunt hæ) & diuiditur etiam in veram, & præsumptam, & in plura alia verba. Ita spiritualiter & homo contumax erit, si rebus diuinis non interfuerit, si à præceptorum obseruantia recesserit: denique si sententię Dei, qui præcipit seruari mandata, ac quotiescunque animam peccaturam toties interiturã minimè paruerit. Vide igitur & hæc si in te fuerint: quia dubio procul contumaciam incurristi. Vnde quemadmodum contumacem Curia persequitur, apprehendit, ligabit, in vinculis conijcit, sententiat, damnat, morti denique tradit: ita & tibi accidet contumaci erga Dei præcepta, Curia cœlestis persequetur, apprehendet, ligabit, in carcerem inferni detrudet sententiatum, damnatum, & morti æternæ traditum: nunquam quidem moriturum: sed per infinita seculorum secula cruciandum. Abige igitur à te contumaciam, hoc est peccatum; nę sis potiorum contemptor: ne tandem damneris. Quod si feceris, videriſq; alios sic delinquere: ne increpes illos temerè.

Quan-

Digitized by Google

Quandoquidem aut contumax aliquando fuisti, aut non: si sic, debes igitur compati proximo tuo, qui in eadem contumacia, in qua tu aliquando quoque inspectus es, reperitur. si non, debes similiter & illius misereri: cogitans te posse esse contumacem: non enim in gratia es confirmatus à Domino. Vnde scribitur: Qui stat, videat ne cadat. Communiter autem expertum est, præsumentes de se, semper incidisse, iusto Dei iudicio, in eandem contumaciam, qua & alios reprehenderunt, & meritò, quia superbi. Igitur ne increpas temerè quenquam, quia vt arrogantia inflatus, condemnaberis: sciasque correctionem libenter suscipi, quando cum animi compassione profertur. Quod si vt Prælatus hoc agis, memento quid dixerit Diuus Augustinus in Regula, quod scilicet Prælatus non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente, fœlicem. Et Paulus Orosius de Ormesta insignem sententiam Prælatis reliquit. Nempe boni pastoris esse tondere pecus, non deglúbere. Deglubit sanè pecus, qui gregem extorquet, qui populi sanguinem sugit: qui denique quenquam temerè increpat: ac propterea vt arrogantia inflatus, condemnabitur.

Delinquentes, & contumaces nó debent temerè increpari.

Lib. 8. Boni pastoris officium.

Μὴ γυμάσῃς ἐπὶ πάσῃ ἐτέρᾳ, ἵνα μὴ γελασῇς ὃ σὺ οὐθλεις.

PRAECEPTIO CXXXVI.

In alterius infortunio ne rideas: ne rideari à quibus non velis.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXXVI.

NVllus tam compositę fœlicitatis inuenitur in mundo, vt non aliqua ex parte cum statu sui qualitate rixetur. Quid enim in hac vita, vel qui fœlices vocantur, vel qui infœlices, non experiuntur aduersi? quas calamitates non sentiunt? quas non procellas, tempestatesq; quis patitur? quibus nõ exagitatur incommodis? cuius quoque (vt inquit B. Ambrosius) parcitur meritis? continuis certè aduersitatibus premitur homo: quamuis nihil

Hominũ nemo fœlix.

In libro de morte Satyri

Digitized by Google

nihil aduersi sibi aduenisse putat. Infœlicitatibus fœlicitates mixtæ sunt; si cuncta prospere tibi suppetant, scias aduersa latere vt erumpant. Et si Senecæ viro integerrimo dicere licuit, miserum esse illum, qui nunquam fuit miser, cur & mihi non licebit dicere, infœlicem esse eum, qui fœlicem se putat? cum iuxta propriam sententiam nullus sit fœlix? Quare bene dixit Menander, quam facilè cadunt splendidæ fortunæ: Ac propterea, qui putat se fœlicem esse: infœlix est. Et peior est ruina, & casus eleuatione, summumque infœlicitatis genus est, fuisse fœlicem. Quotquot igitur homines sunt in mundo: vndique tribulationibus subiecti sunt. Sed vide hominis superbiam, atque immanitatem, quinimmo stultitiam magnam, qui videns hominem tribulationibus vexari, infortunijsque percuti, ridet, ac si ipse à communibus excluderetur calamitatibus, ac si aduersitatibus aliquando non afficietur. Quare sequi necessario oportet, vt rideatur etiam ipse à quibus non vellet: sic permittente Deo. Hoc est quod inquit Author, in infortunio alterius ne rideas, ne rideari à quibus non velis: quia veniet tempus, quòd hi in quorum infortunio risisti, ad meliorem transient fortunam; tu quoque ad infœlicem: sicque viceversa in tui infortunio ridebunt, quia in sui infortunio risisti. Accipit autem hic risum Author pro derisione, cum quis scilicet malum alicuius personæ, vel defectum, in ludum, in iocum, vel in risum ponit, vt erubescat, & verecundetur, quia finis huius est, vt erubescat: sicuti conuitiatoris, vt tollat honorem. Quando igitur vides aliquid magnum malorum alicui euenire, quod proprium infortunium est, ne rideas: quia Deus permittet & de tui infœlicitate alios ridere. Scribitur enim, quod eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur & vobis. Experimento certè comprobatum est: gaudens alienis malis, alios & congaudere suis: sed quid? quod si de re notabili sit derisio, peccatum mortale esse docet D. Thomas: grauiusque contumelia. Et tanto grauius erit: quanto persona ridicula dignior fuerit. Nam ad iustos, proboſque, ad parentes, & ad Deum quoque iniquorum malitia, atque improbitate, se extendit derisio. Ad iustos paruipendendo vitam, ad parentes deridendo actiones, ad Deum calumnia. Verum id postremum omnium quippe grauissimum existit, quia nullus nobilior, & maior Deo reperitur.

In libro de prouidentia.

Hominis superbia, immanitas, atque stultitia

Derisio quid sit.

22.q.75.ar.1. Derisio si sit de re notabili peccatum mortale est.

Itaque

Digitized by Google

Itaque infortunatum ne irriſeris, communis enim eſt fortuna: tu quoque talis fieri poteris. Quamobrem dicebat Euripides in Andromache, Calamitatibus hominum infortunatorum nunquã inſultaui, metuens ne quid etiam ipſe patiar. Nota ſententiam Ethnici, & obſerua, quia tu quoque in tui infortunio non irrideberis. Fac igitur & tu ſimiliter: ſecus & de te aliquando cæteri ridebunt. Infortunatus non eſt irridendus.

Φύλαττε τὰς παραινέσεις ταύτας, ἵνα εἴφατον δόξης προσήκουσι σοι.

PRAECEPTIO CXXXVII.

Obſerua abominationes iſtas: vt coronam tibi gloriæ concilient.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXXVII.

Væ vocat abominationes Author, nunquid præceptiones? quod ſi haſce, quomodo ſunt abominationes? nonne vitiorum omnium expultrices, virtutumque matres, & magiſtræ? Nunquid & non contradicit ſibiipſi paulo ſuperius? vbi præcipiebat, vt quiſque ſuorum præceptorum cum omni ſtudio memor eſſe deberet, quia clarum in vita hominem reddebant, idque rurſum ſtatim docebit? Quod ſi de alijs loquatur abominationibus, quomodo obſeruandas præcipit, cum ex ſe ſint execrabiles, ac ob id fugiendæ? quomodo igitur gloriæ coronam conciliare poterant? Videtur quidem hoc impoſſibile, cum contradictionem implicet; videbitur quoque Author vndequaque impius, cum talia doceat: aut dices male verſam eſſe præceptionem, ac propterea iniuſtè Authori hoc impoſitum. Verum minime putandum eſt, ſanctiſſimum Antiſtitem, Martyremque inclytum ita procaciter, impiæque loqui: nec præceptionem male eſſe translatam, iniuſteque id eſſe Authori impoſitum. Vt igitur huius præceptionis ſenſus habeatur, ſciendum eſt primo, aliquas præceptiones, & ferè omnes, vt in pluribus duo continere: alterum proſequendum, alterum verò fugiendum. Proſequendas ſcilicet

Dubium.

Præceptio.

Reſponſio.

Præceptiones quid in ſe continẽt.

Digitized by Google

virtutes, bonaque opera amplectenda: fugienda verò vitia, quæ sunt abominationes. Est denuo animaduertendum, tam virtutes, quàm vitia bifariam sumi posse, positiuè, & negatiuè, hoc est, quatenus aliquid ponunt, seu affirmant, & quatenus aliquid negant. His sic positis, dicendum est, quòd præcipit obseruanda huiusmodi vitia, hoc est abominationes, negatiue, vt cauẹantur non positiue, & affirmatiue vt custodiantur, & obseruentur: sicque coronam gloriæ conciliabunt. Vt autem id fiat magis clarum, adducamus exempla aliquot. Præcipit Author præceptione centesima nemini adhærendum esse contra legem Dei, adhærere autem alicui contra legem Dei abhominatio maxima est: quia postponitur Deus creaturæ, Deo postponendæ: hanc abhominationem iubet Author obseruari non positiue, vt scilicet adhæreatur alicui contra Deum: sed negatiue, vt nemini adhæreatur. Sic etiam præcipit præceptione centesima trigesima, Ne cauillis petatur homo: sed petere hominem cauillis, abhominatio est, quia offenditur homo in honore, in fama, & cæteris ad dignitatem pertinentibus. Hanc præceptionem docet Author obseruandam non positiue, & affirmatiue, vt scilicet cauillis petatur homo: sed negatiue. Quemadmodum etiam qui in spirituali vita proficere desiderat, peccata, vitiaque semper obseruat: superbiam scilicet, auaritiam, luxuriam, iram, gulam, inuidiam, & accidiam: cætera que ex his emergentia peccata: sed qua nam ratione? vt perpetrentur? minime: sed ne ab ipsis lædatur, vt euitet, vt detestetur penitus. Ita quoque abhominationes obseruandas præcipit. Ita namque gloriæ coronam conciliant. Quæ certè sic à te obseruandæ sunt: vti rectè digressum est. quas si non obseruaueris, facile committes: incideṣque in laqueum, à quo egredi non poteris. Oportet enim prudenter se gerere, quemadmodum prudens Dux in bello: dum hostis sui vias diligenter rimatur, dum technas, dolos, & fraudes inquirit, & detegit: non nisi vt euitet, & euitando, vt hostem vincat: sicuti tandem debellat, & vincit; ex quo magnus sibi resultat honor, & gloria. Sic etiam & tu istas obseruabis abhominationes, vt gloriæ coronam tibi conciliare possint.

Nota.

Vitia sunt obseruanda negatiuè, nõ positiuè.

Exemplum primum.

Exemplum secundum.

Optimum exemplum.

Digitized by Google

Τίνα ἐγκρατὴς τῶν ἐντολῶν τούτων, ἵνα προσάξωσι σε ἔμφανῆ τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἄρεστον τῷ θεῷ. οὕτω γὰρ ἥδεται τὸ θεῖον, καὶ τοιούτοις κατορθώμασι θεραπεύεται ὁ θεός.

PRÆCEPTIO CXXXVIII.

Sis obseruans horum præceptorum: vt te clarum efficiant hominibus, & acceptum Deo: sic enim gaudio afficitur Deus: & huiusmodi operibus colitur Deus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXXVIII.

TRia sunt (cæteris etiam prætermissis) quæ clarum hominibus, & Deo gratum faciunt hominem: Integritas, scientia, & grauitas. Integritas vitæ: scientia spiritus: & grauitas morum. Integritas in obseruatione: scientia in doctrina: & grauitas in conuersatione. Integritas in obseruando præcepta: scientia in docendo sana: grauitas in conuersando rectè. Nam ex integritate melior redditur homo: ex doctrina sana fidelior: ex grauitate optimus. Quandoquidem ex vitæ integritate ob præceptorum obseruantiam melior dubio procul euadit homo: ex sana doctrina magis confirmatur in fide: ex grauitate morũ ob bonam conuersationem fit perfectus. Hoc igitur est quod dicit Author, sis obseruans horum præceptorum: vt te clarum faciant hominibus, & acceptum Deo: quia ex præceptorum obseruantia fit homo integer, sciens, & grauis, & ex his necesse est reddi hominibus clarum, Deo autem acceptum. Et quamuis supra intulerit Author memorem te debere esse horum præceptorum, nihilominus tamen cum obseruantiam Deus velit, iubet vt sis obseruans, quia non sufficit solum memorari præcepta: sed requiritur etiam illorum obseruantia. Quemadmodum non sufficit bona docere, sed necessum est quoque illa facere; ita vt facere præcedat penitus docere; & facere sit longius docere. Quare & si iuxta prima elementa docere sit longius facere: physicè tamen,

Integritas; scientia, & grauitas clarum efficiũt hominem.

Præcept. 133.

Præcepta obseruari debent, non solum memorari.

Digitized by Google

tamen, seu melius, logicè debet esse longius facere, quàm docere. Et magis placet Christo facere tantum, quàm docere tantum. At qui facit, & docet ea quæ Christus desiderat: optime perficit. Qua de re alibi dixit: Qui docuerit, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui verò vtrunque perfecerit, nempe qui fecerit, & docuerit, magnus. Ideo dicit, sis obseruans horum præceptorum, ideſt meorum: quæ & Dei sunt quoque; quia iuxta Dei præcepta sunt tradita: neque ab illis ad minimum quid discrepant. Quæ si obseruaueris, duo consequeris optima, iam paulo ante enarrata: clarus scilicet eris hominibus, & Deo acceptus. Quia duo quoque dat Deo præceptorum obseruator: gaudium, & dona: gaudet namque Deus mirum in modum videns hominem sua obseruare præcepta, quemadmodum & pater iubilat respiciens filium suis obedire mandatis. Dat secundo munera, atque honorem, quandoquidem hisce operibus colitur Deus, non tantum thurę, hostia, atque precioſis muneribus, quæ tandem cuncta sunt corruptibilia: sed morum compositione, vitæ probitate, actionibus incorruptis, quibus & Deum assequimur, & vitã meremur ęternam. Sis igitur horum pręceptorum obseruans, quia clarum te efficient hominibus: & acceptũ Deo.

Matth. c. 5.

Ex pręcepto rum obseruatione quid consequitur homo.

Ἀεὶ προκόπτειν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς ἔργοις σπούδαζε. ὁδὸς γὰρ εἰς ἀρετὴν ἡ τοῦ βίου φυγή, ἀγαθή τε καὶ εὐπετὴς.

PRAECEPTIO CXXXIX.

Semper proficere in bonis operibus ſtudeto: vitæ enim fuga, via eſt ad virtutes, bonaque, & compendiaria.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXXXIX.

Opera bona neceſſaria ad ſalutem.

BOna opera adeo sunt ad salutem neceſſaria, vti media ad finem: sicut enim absque medijs finis minimè consequi potest, ita & absque meritis cœlum, vbi salus nostra verè consistit. Quæ quidem bona erunt, si formata fuerint gratia, & charitate: absque quibus nullum bonum formaliter erit

Digitized by Google

erit bonum, nisi moraliter. Prædestinatio certè hominis non absoluta, sed conditionata perpenditur, si bonis scilicet operibus vacauerit homo. Ita docet B. Ambrosius super illud Pauli Apostoli ad Timoth. Deus vult omnes homines saluos fieri. Prædestinauit quidem Deus pauperem ad vitam, si patiens fuerit: diuitem, si eleemosynam pauperibus erogauerit: Principem, si Iustitiam exercuerit: Religiosum, si Regulam obseruauerit: reliquosque, si bonis operibus sedulo operam nauauerint. Hoc est, quod dicunt Theologi, voluntate concomitante non omnes saluandos, sed eos tantum qui bona acturi sunt: licet antecedente velit Deus cunctos saluari. 1. ad Timot. cap. 1. Prædestinatio hominis quæ.

At Diuus Thomas docet, quòd prædestinatis conandum est ad bene operandum, & orandum, quia per huiusmodi, prædestinationis effectus impletur. Vide igitur bonorum operum necessitatem. Quare & Christus Saluator noster præcepit, dicens: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et Petrus Apostolorum Princeps: Satagite (inquit) vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Verum opera nostra nisi adiuta fuerint, & formata gratia, & charitate, nihil erunt. Quid, quod cum in Deo duplex reperiatur potestas, ordinaria scilicet, & absoluta: neutra quidem homini peccatori absque meritis cœlum tribuere potest (prout mirabiliter docet Diuus Thomas) Non ordinaria, quia non nisi meritis mediantibus, hominem saluari ordinauit: non absoluta, quia contradictionem implicare videtur omnino, quod homo scilicet simul peccator, & beatus esset. Quod quidem necessario sequitur, si absque meritis, & sine renouatione hominis interiori (sic opinante Scoto) beari posset homo: ac sine satisfactione, & absque infusione gratiæ (ita docente Ricardo) de potentia absoluta, seu de speciali priuilegio dimitti posset peccatum mortale. Quare absolutè dicendum est, quòd & si homini in peccato mortali constituto, omnem pœnam Deus remittere possit, permanente eius animo prauo, & iniquo, cum nulla necessitate compellatur de peccatoribus vindictam sumere: Ita quod si vult, potest non sumere supplicium; & quamuis possit peccatum remittere sine gratia, quæ sit animæ qualitas (de absoluta eius potentia loquimur) quia per auxilium suum particulare, diuinamq; inspirationem potest hominis animum à prauitate auertere, & ad se trahere: & po- 1. 1. q. 23. ar. 8. Matth. 19. 1. Pet. 2. Opera nostra absque charitate, & gratia, nihil erunt. 4. sen. dist. 44 4. sent. dist. 1. art. 1. q. 7. Conclusio prædictorũ.

Digitized by Google

& poteſt quoque hominem diligere,& efficere abſque infuſis habitibus, ſui dilectorem: ſi tamen gratia pro gratuito Dei beneficio accipiatur, repugnat Deum abſque gratia remittere peccatum: cum ipſa peccati remiſſio gratuitum Dei ſit beneficium. Et ſi ſermo eſt de perfecta peccatorum remiſſione,repugnat etiam quod remittatur peccatum ſine gratia, & diuina beneuolentia acceptante, ſiue gratia ſit creata, ſiue increata: nam perfecta peccati remiſſio tuuc eſt, quando in gratia reddimus cum Deo, eique reconciliamur; & inimicitia quam peccatum inuexerat, deſtruitur; id verò ſine Dei beneuolentia fieri nequit. Rurſus, impoſſibile eſt,quòd Deus remittat peccatum homini actualiter peccato adhærenti,implicat enim contradictionem: ſequitur ſcilicet Deum non odio peccatores habere, peccatumque contra diuinam voluntatem haud militare,quinimo talibus Deum fauere,quod eſt contra illud: Altiſſimus peccatores odio habet: & impijs reddet vindictam: tandem peccatum nulla potentia deleri, aut remitti poteſt, ſine renouatione interiori, & tranſmutatione reali à prauitate ad rectitudinem:quam renouationem Diuus Thomas multis in locis ſuæ doctrinæ, gratiæ infuſionem appellat. Abſolutè igitur dicendum eſt, hominem peccatorem, vt formaliter peccatorem ſine gratia non poſſe conſequi beatitudinem tanquam formaliter,& intrinſecè dignum beatitudine: neque opera ſua, ſine tali auxilio eſſe vitæ æternæ meritoria, quia in ipſis minime habent aliquid quo formaliter digna ſunt tali præmio: ſunt etenim opera noſtra tanquam pannus menſtruatæ mulieris. Et alias Magiſter noſter Chriſtus dixit: Cum hæc feceritis, dicite, quia ſerui inutiles ſumus. quia abſque gratia nullum opus meritorium, nullum validum. Quomodo igitur abſque bonis operibus, & meritis, lucem illam inacceſſibilem homo conſequi poterit? ſi tamen à Deo huiuſmodi opera acceptentur, tanquam pro quibus Deus velit beatitudinem dare, non exiſtente gratia in homine: poteſt dici, quòd erunt digna vitæ æternæ extrinſece: neq; peccatum remitti poteſt abſque gratia,ſumendo peccati remiſſionem, ſecundum quod importat bonorum omnium reparationem, quæ quis peccando, amiſit: licet ſuſtineri poſſit de remiſſione peccati ſolum quantum ad reatum,ſeu obligationem ad ſenſibilem pœnam. Igitur proficere ſtudeto

Deum remittere peccatũ abſq; gratia, ideſt gratuitò ſuo beneficio, repugnat.

Deum remittere peccatũ homini,actualiter peccato adhærẽti,impoſſibile eſt. Eccl.12.c.

1.2. q.113. art.2. de verit.q.28.ar.2 ad 4.

Homo quomodo nõ poteſt cõſequi beatitudinẽ.

Opera noſtra quomodo ſunt digna beatitudine.

Digitized by Google

studeto in bonis operibus semper, quandoquidem opera vult Deus, non nugas; facta, non verba; fructus, non folia. His etenim vitam tandem adipiscēris æternam. Et eo magis conandum est, quo vita brevis, & fugax: fugacior quidem vento, breviorque ipso nunc, quo viuimus: atque illius fuga via esse debet (prout in se est) ad virtutes, bona, & compendiaria. Nam ad hasce capescendas natus est homo, non ad vitia: illisque, non his beabitur. Deus opera desiderat.

Χρὴ τὸν ἐπιθυμοῦντα τῶν ἀφθάρτων, εἶναι οὕτως ἀγωνιᾶν τὰ φθειρόμενα.

PRAECEPTIO CXL.

Oportet incorruptibilium desiderio flagrantem: pro nihilo ducere corruptioni obnoxia.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXL.

IN eodem contraria minime esse possunt, vt docuerunt Philosophi, & recte: quia multum à seinuicem distant; Quinimo vnum non compateretur reliquum, sed destrueret. Quando enim vidisti calidum, & frigidum, humidum, & siccum in vno eodemque subiecto permanere? Nec verum est in gradu remisso contraria posse ad inuicem stare: quandoquidem in quouis sint gradu contraria, sunt & incompossibilia in eodem; & alterum contra alterum pugnare necessum est: & sermo est de contrarijs formaliter, & secundum se, non secundum extrinseca, & virtualiter inuentis, vt in medio puta animam, cœlum, vel formam mixti. Nam iuxta doctrinam Aristotelis, cum contraria ex specifica differentia sint contraria: per hoc idem sunt in eodem incompossibilia. Quare Aristoteles, omnes contrariorum conditiones inter quas est incompossibilitas in eodem reducit ad perfectam differentiam; ac propterea in quocunque sunt gradu, sunt contraria, & in eodem incompossibilia. Quod si afferas, Contraria non possunt esse simul.

Contraria nullo modo possunt esse simul neque in gradu remisso.

Metaph. 10.

Digitized by Google

Cõtraria remissa remanere in mixtis, quid est causa.

ras, in mixtis remanere contraria remissa, dicitur, quod id facit forma mixti continens; nihilominus tamen quemadmodum contraria in summo contra se nituntur, ita & proportionaliter remissa ad inuicem pugnant. Igitur contraria in eodem minimè esse possunt.

Incorruptibilia, & corruptibilia, quia contraria, non possunt esse simul.

Incorruptibilibus contraria sunt: hæc enim tabefiunt, senescunt, & sordescunt, quia sub tempore; illa verò semper eadem manent, nec desinunt, nec intereunt; quia supra tempus. Qui ergo incorruptibilium desiderio flagrat, corruptibilia omnia pro nihilo ducere necessum est: quoniam re uera nihil sunt, si enim aliquid essent, persisterent. Discurre antiquitatem, inspice maiores nostros; videbis certè rerum mundanarum mirabilem tragœdiam. Incorruptibilia verò cœlestia sunt, nũquam peritura: corruptibilia terrena omnia. Flagras igitur tu cœlestium desiderio, contemne terrena tanquam nihil: quia sic cœlestia assequeris: quinimo vtraque cum sint contraria, haud simul fere poteris. At verò contemnere quidem debes, cum nulla sors longa sit: cum dolor, & voluptas inuicem cedant, sed breuior voluptas. Cum à duobus quasi tortoribus torqueatur homo, à timore scilicet, & dolore: non simul torquentibus, sed (vt inquit Diuus Augustinus) cruciatus alternantibus. Quandoquidem si bene tibi fuerit, timebis: si male, dolebis. Rursus, contemnere debes, cum te stantem, & rectum fecerit Deus, non humilem, nec in terra quadrupedum more inclinatum: quod etiam Ethnicus Poeta innuit, dicens:

Super Ioan. serm. 7.

Ouid. libro metamorph.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Nonnisi, vt quemadmodum te fecit, sic eum agnoscas, sic desideres, ita concupiscas. Itaque flagrans incorruptibilium desiderio, ducas pro nihilo corruptioni obnoxia, quia non se compatiuntur ad inuicem. Aliter scias, quòd si mens tua, cuius origo de cœlo est, ad inferna, & ima se prostrauerit, descenderitque: eo cadet, quo seipsa deiecit; ad terrena se deiecit, ad terrena se inueniet; ac propterea ad terrenorum centrum, quod vt habent Theologi, terræ centrum infernum est,

Digitized by Google

Εἰ τὴν ζωὴν τὴν ὄντως οὔσης, προσδέχου ἀεὶ τὸν ἀνθρώπινον θάνατον, μίσει τὸν παρόντα βίον. ὁρᾷς γὰρ τὸν τροχὸν, ἀπαύστως κυλιόμενον.

PRAECEPTIO CXLI.

Si vitam quæ verè vita est, desideras; expecta semper mortem humanam, & odio prosequere vitam præsentem: Vides enim quod rota indesinenter voluatur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXLI.

VErum est Philosophorum axioma, omne ens desiderare permanentiam sempiternam. Nemo namque naturaliter sui destructionem concupiscit. Quinimo quodcumque animal cum laborat, pro vita manutenenda, conseruandaque laborat. Quod si in indiuiduo fieri nequit: in specie illud conseruare conatur. At quo ad nos rationales attinet, qui Dei misericordia sacrosancti Baptismatis lauacro regenerati sumus ad vitam: qui post mortem beari possumus, cum anima sit immortalis, & æterna: ac propterea capax præmij ob meritum, vel pœnæ ob delictum. Si vitam quæ verè vita est, desideras: expecta semper mortē humanam (vt docet Author) & vitam hanc odio prosequere: cum rota indesinenter voluatur; ideoque velis, nolis, in alteram commutabis. Vita quidem gemina esse cernitur: præsens, & futura. Illa caduca, & fragilis: hæc perennis, & perpetua. Vtraque proponitur tibi amplectenda. Ad quamcumque igitur porrexeris manum, deuenies. Nescio tamen si ad præsentem, aut ad futuram. Præsens certè, vt in dies experimur, quinimo proprijs cernimus oculis, atque manibus contrectamus: in initio, medio, & fine: miserijs vndique plena est: In initio gemitibus: in medio angustijs: in fine doloribus. At tandem finitur necessario morte corporali: nec subterfugi quidem vllo modo potest, vel ob potentiā, vel ob diuitias, vel ob sapientiam,

Omne ens desiderat esse.

Vita quotuplex.

Vita præsens vndique miserijs plena.

Digitized by Google

vel ob ſanctitatem, quia ſuum diem obierunt extremum potentes, diuites, ſapientes, & Sancti: quinimò Sanctus Sanctorum Chriſtus. Quare aſſimilat Beatus Gregorius vitam noſtram nauiganti, qui aut ſtet, aut ſedeat, aut iacear, aut vadat: impulſu nauis ducitur; deuenitque tandem in portu. Ita & nos ſiue vigilamus, ſiue dormimus, ſiue iacemus, ſiue ambulamus: vel volentes, vel nolentes: per momenta temporum quotidie ad finem ducimur. Et quamuis mortem procul à nobis eſſe putamus, vel ob iuuentutem, vel ob robur corporis: illa tamen abdita latet medijs viſceribus: ſemperque è vita ſubripit partem aliquam. Itaque quemadmodum lampas deficiente oleo, perit, lumenq; extinguitur momento: ita & nos paulatim morimur, lumenque vitæ momento deficit vno. Quid igitur facies? amore proſequeris præſentem vitam? Caue, quia latet venenum: rotaque ſemper voluitur; & tandem demergeris. Deſidera igitur illam, quæ verè vita eſt ſine morte: quæ verè beat ſine defectu: vbi completa omnium ſatietas ſine eſurie. At verò id faciens, expecta (vt inquit Author) ſemper mortem humanam: quia hæc finis omnis miſeriæ, initium verò omnis fœlicitatis: finis omnium calamitatum, initium autem omnis requiei: finis vitæ fragilis, & caducæ, initium verò vitæ æternæ.

In regiſtro. Vita noſtra ſimilis nauiganti.

Optimum exemplum.

Μὴ ποθήσῃς ἀγαθὰ ὧν ἡ χρῆσις παρῆλθεν, καὶ ἡ κτῆσις ἀπόλωλεν.

PRAECEPTIO CXLII.

Ne appetas bona quorum vſus præterit: & poſſeſſio perit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXLII.

Bonum duplex verum, & apparens.

DVplex bonum reperiri, nedum nos in præſenti docemus, ſed ex Philoſophis nemo eſt, qui negauerit: verum ſcilicet, & apparens. Verum ſtabile, & firmum eſt: apparens è contra. Non enim omne quod apparet, verum eſt, & bonum: ſi namq; omne quod apparet, verum eſſet, & bonum:

tunc

Digitized by Google

tunc multa falsa essent vera, & multa mala bona: quia essent existentia: id autem implicare videtur: ergo apparens bonum, malum, & falsum est. Cum igitur appetis, quæ bona appetis? vera, an apparentia? tecum reuolue: si sunt vera, optima certè bona appetis: proportionata quidem, accommodaque rationali potentiæ tuæ: nempe voluntati; quandoquidem bonum voluntatis obiectum est: congruaque intellectui, quo nihil præstantius: nam bonum intellectum, obiectum voluntatis est; quorum vsus, & possessio nec præterit, nec perit (si tamen talia bona transcendentia fuerint, non tamen metaphysica: nam ad altiora tendimus) Si autem apparentia bona erunt, mala, falsaque bona appetis. Nam & si apparens bonum voluntatis quoque obiectum existat, id tamen apprehensione causatur: nihilosecius hallucinaberis in fine, quia vsus, possessioque bonorum apparentium: & perit, & præterit. Magnus Basilius, magnus quidem sanctitate, & doctrina, in libro de modo legendi Gentilium libros constanter asseruit, docuitque hanc vitam humanam nihil omnino esse arbitrandam, nec bonum quicquam existimandum, neque appellandum: quod vtilitatem nobis hucusque suppeditet. Ne quicquid in hac cernitur vita, siue dignitas, siue maiorum amplitudo, siue corporis vires, siue forma, siue imperium, siue magnitudo, siue honores ab hominibus habiti, siue quicquid aliud simile; excellens dici posse, quia spes nostræ longius procedunt: & ad alterius vitæ præparationem cuncta molimur. Et verè non vides, quòd quicquid est opere, & manu factum, labi, & consumi vetustate capta confirmatur? Cuius vt primum Imperium, ac potentissimum extitit, ita (vt inquit Paulus Orosius de Ormesta) & primum cessit: vt veluti quodam iure succedentis ætatis debita posteris traderetur hæreditas, ipsis quoque eandem tradendi formulam seruaturis. Ne igitur appetas bona, quorum vsus præterit, & possessio perit: Appete bona, quorum vsus, & possessio nec præterit, nec perit: quia cœlestia sunt.

Bona apparentia sunt falsa, & mala.

Vita humana nihil est.

Lib. 2.

Digitized by Google

Γέλα τοὺς εὐπραγοῦντας, τοῖς δυσπραγοῦσι σύμπαχε τοῦτο μὲν μισθὸς, ἐκεῖνο δὲ φιλοσοφίας πρόξενον.

PRÆCEPTIO CXLIII.

Fœliciter agentes ride, infœlicibus condole: alterum enim fœlicitatis merces est, alterum verò philosophiæ est documentum.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXLIII.

IN hac præceptione duo præmonet agenda Author: vnum gaudij, alterum mœroris: vt rideamus scilicet, & vt condoleamus. Vt rideamus fœliciter agentes: & vt condoleamus infœlicibus. Vt rideamus fœliciter agentes, quia hoc est fœlicitatis præmium, & merces, nempe risus: & vt condoleamus infœlicibus, quia hoc documentum est philosophiæ nedum Christianæ, sed Ethnicæ: quinimò philosophiæ naturalis; scilicet infœlicibus condolere. At verò in primo loquitur de terrena fœlicitate, quam qui habet, & in ea proficit: ridendus est, hoc est non curandus. Prouerbio namque dici solet: de hoc ride. Et verè fœlices ridendi sunt; quandoquidem terrena fœlicitas in quinque consistere perspicitur: in voluptate, in diuitijs, in potestate, in dignitate, & in fama: sed omnia hæc dilabuntur. Et à postremo exordientes, fama violatur, dignitas amittitur, deprimitur potestas, auferuntur diuitiæ, & voluptas corrumpitur. Violatur fama, iniquorum calumnijs: amittitur dignitas, mundi malignitate: deprimitur potestas, subditorum inobedientia: auferuntur diuitiæ, latronum ingluuie: corrumpitur voluptas, temporum lapsu. Igitur quoscunque sic fœliciter agentes, ride, quia fœlicitas non est, vbi in fœlicitate non perseuerat. Quare fœlicitatis merces rectè talis risus erit. Si autem de vera fœlicitate, quæ est virtus, seu virtutis operatio, intelligit Author, quemadmodum & dilucidari potest: tales ride, hoc est, de his gaude: quia virtuosè operantibus, gaudendum maxime

Fœlicitas terrena in quibus cõsistit.

Fœlicitas vera quæ est.

Digitized by Google

maxime est: huiusce enim fœlicitatis merces est gaudium. Infœlicibus deinde condolendum est, quia hoc docet vera philosophia: infœlicium scilicet misereri: infortunatis compati: miseris condolere. Quandoquidem à vera philosophia, (vt testatur Seneca) nunquam recedit religio, iustitia, pietas, miserorum compassio: & omnis alius comitatus virtutum consertarum, & inter se cohærentium. Hæc enim docuit colere diuina: & humana diligere. Debemus quippe de malis proximi dolere ad membrorum similitudinem. Dum enim vnum patitur membrum, ad passionis locum spiritus, & aliorum sanguis quasi compatientes, in vnum confluunt. Ideo patientissimus Iob dicebat: Flebam quondam super eum, qui afflictus erat: & compatiebatur anima mea pauperi. Et beatus Ambrosius docebat, dicens: Compatiamur alienis calamitatibus, & necessitates aliorum, quantum possumus, iuuemus. Bene itaque inquit Author, vt fœliciter agentes, rideas; quia risus est terrenæ fœlicitatis merces: deinde vt infœlicibus condoleas, quia alienis calamitatibus compati, verę philosophiæ documentum est.

Infœlicibus condolendū est.

Epist. 91.

Optimum exemplum

Cap. 30.

Lib. de offic. & habet 86. dist. c. non satis.

Τὸν ἀσυμπαθῆ ἄσκει, οἷον αὐτὸν ἔγνως, γυμνασθέντα τοῖς μάρτυσιν. ἐπειδὴ, τὸ τῆς συνειδήσεως μάρτυρι καὶ ἡμεῖς ἀπαιτούμεθα.

PRAECEPTIO CXLIIII.

Patientiam exerce quemadmodum ipsam cognouisti exercitatam martyribus. Quandoquidem conscientiæ testimonio etiam nos examinabimur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXLIIII.

SVperius prædocuit Author patientiam exercendam ante tempus propter habitum, nunc verò exercendam actu admonet, non prout à nobis debilibus exercetur: sed quemadmodum exercitatam cognouimus sanctis Martyribus. Nam & si ab iniquis persequuti, comprehensi, ligati, in car-

Patientia quomodo exercenda.

Digitized by Google

in carceris custodia septi, famis, ac sitis diuturnitate ferè consumpti, Tirannorum minis territi, pœnis varijs in corpore afflicti, & vsque ad necem demum deducti: nihilominus tamen nec signum doloris quandoque ostenderunt, nec verbum vix vllum reuitendo, emiserunt: sed iudices exprobrantes, mens, affectus, eorumque intentio in cœlo semper erat, omnia cum patientia supportantes: qua & hostes vicerunt cunctos, triumphantes de mundo, subiugantes carnem, & illudentes Diabolum: vt non immerito à militanti Ecclesia summis extollantur laudibus, anteponuntur in triumphanti, coronantur à Deo, honorantur ab Angelis, & adorantur à nobis: quia martyrium actus maximæ perfectionis est, & heroicus: cum imperetur à charitate, & eam ostendat, non autem secundum se. Hanc quidem martyrum patientiam à nobis exercendam proponit Author, quod & si martyrium ferro, & flamma actu non sustineamus: animus tamen sufferendi in nobis deesse minimè conuenit: & talis, qualis martyrum corpore, & mente: quia conscientiæ testimonio etiam examinabimur. Quandoquidem etiam, iuxta beatum Gregorium, duo sunt martyrij genera, vnum in publico: aliud in mente simul, & actione. Mori quidem à persequente martyrium in aperto opere est: at contumelias ferre in occulta cogitatione martyrium est. Igitur, quia sine ferro, flammaque martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodimus: ideo martyrum patientiam nobis exercendam proponit Author, quæ quadruplicis generis esse perspicitur: fidei, charitatis, fortitudinis, & patientię. Nam quatuor sunt actus virtutis martyrij, vt testatur Beatus Thomas: fides, charitas, fortitudo, & patientia; quarum prima requiritur vt finis: secunda, vt imperans: tertia, vt eliciens principaliter: quarta & vltima, vt eliciens consequenter. Prima requiritur vt finis, quia propter Fidem quis efficitur Christi martyr: secunda, vt imperans, quia amor Dei animat hominem ad martyrium: tertia, vt eliciens principaliter, quia in martyrio præcipuum est fortitudo: quarta & vltima, vt eliciens consequenter, quia patientia omnia hæc comitatur. Itaque hæc martyrum patientia maximè amplectenda est, exercendaque: quam si in corpore, si expedit, vel in animo saltem minimè custodieris: conscientiæ testimonium peribebit de te; ita vt

quid est martyrium.

In homilia de virginibus. Martyrium quotuplex.

22. q. 124. art. 1. Actus virtutis martyrij, qui.

Martyriũ saltem in mente custodire debemus, dũ abest persecutor.

qualis

Digitized by Google

qualis in aduersis, talis in iudicio eris. Hoc est, quod dicit: patientiam à te exercendam esse, quemadmodum cognouisti exercitatam sanctis martyribus. Itaque illam sic exerce, non aliter. Sit tibi in exemplum tot viri illustres mundi huius aduersa humiliter patientes, tot nobiles morti fortissimè obiecti: tot martyres inuicti, egregijque armis Fidei armati, qui voce libera, mente incorrupta, animo intrepido, fortiter seculo repugnarunt, iniquis, & scelestis Principibus restiterunt. Inter quos insignis ille Laurentius inspicitur, quem & si externus ignis exureret, intus tamen diuini amoris flamma incendebat. Quare cum vitam pro Christo propriam libenter exposuerit: vitam cum morte perennem commutauit, cœlum lætus aspexit, intrauit, de hoste prostrato trophæa retulit. Imitemur igitur & nos fratres, si non corpore, animo tamen Sanctorum Martyrum glorioſa certamina, vt cum Martyribus glorioſa præmia consequi in perpetuum valeamus. Beatus Laurentius insignis martyr.

Πάντων προτίμα τὴν ψυχὴν, καὶ τῆς ἀρετῆς ὁ δρόμος ἀκαμάτως ἀνύεται.

PRAECEPTIO CXLV.

Omnibus rebus præferas animam: & sic virtutis cursus sine defatigatione perficitur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXLV.

RAtionalis animę dignitas ex eo magna perpenditur, quòd omnia, quæ oculis cernuntur corporeis, quinimò quæ à nobis minimè videntur, propter animam à Deo facta, nedum docent Scripturæ, & Sancti Doctores ibi præcinuerũt: sed ex Ethnicis multi id ostendere conati sunt. Fecit enim Deus omnia propter hominem: hominem verò propter seipsum, inquiebat Chrysostomus, cum Augustino. Fecit quippe Deus hominem propter se tanquam diuini templi Antistitem, spectatorem operum, rerumque cœlestium, inquiebat Lactantius Firmianus. Sed in Genesi clarè id ostẽdit Moyses. Dignitas animæ rationalis. Super Matt.

Quæ

Digitized by Google

Quæ in terris gignuntur, omnia ad vſum hominis creari di-
Lib. 1 de off. cebat Cicero, iuxta Stoicorum placitum. Inde factum eſt, vt diuerſi diuerſa de homine protulerint: miriſque encomijs illum (vt par erat) tamquam rem quandam altiſſimam extulerint: atque epithetis varijs deſcripſerint. Lucius Apuleius
Hominis encomia, & laudes. in libro de Deo Socratis, de homine ſcripſit: præſtantiſſimum animal eſſe hominem. Iamblicus dicebat, hominem eſſe rerum omnium epilogum. Pithagoras appellauit eum Microcoſmum, hoc eſt paruum mundum, ob ſymboleitatem cum macrocoſmo. Plato dixit, hominem eſſe Deum terræ. Philo inquiebat, hominem eſſe totum: conformæ Ariſtotelicæ ſententiæ; dixit namque Ariſtoteles, hominem eſſe quodammodo omnia: cui etiam ſe ſubſcripſit Beatus Gregorius. Abdala Saracenus vocauit hominem, mirabile mundi. Mercurius Triſmegiſtus docuit, eſſe magnum naturæ miraculum. Hæc autem, & ſimilia non niſi ob animæ præſtantiam, qua à belluis differimus, faſſi ſunt. Mirabile tamen videtur illud,
Super Gen. ad literam. quòd Diuus Auguſtinus alibi ſcripſit: nempe ſicut Deus omnem creaturam, ſic anima omnem creaturam naturæ dignitate præcellit. Verum enimuero, quod faceſcit negotium il-
Hominis anima ſimilis Deo in quinque. luſtribus viris eſt: Deum hominis animam ſolam ſibi ſimillimam feciſſe in quinque, in vnitate, in trinitate, in immortalitate, in inuiſibilitate: in eo denique, quòd omnia replet per potentiam, per præſentiam, & per eſſentiam. Vnus eſt Deus: vna eſt anima. In perſonis trinus eſt Deus in vna eſſentia: in potentijs trina eſt anima in vna eſſentia, in Memoria ſcilicet, in Intellectu, & in Voluntate. Immortalis eſt Deus, immortalis eſt anima: quæ immortalitas ab imaginis ratione deſumitur. Inuiſibilis eſt Deus, & impalpabilis: inuiſibilis eſt anima, & non palpabilis. Vbique eſt Deus: anima tota eſt in toto: & tota in qualibet eius parte. Quis animæ præſtantiam,
De anima lib. 1. naturamque dignè explicare poterit? Non inconſulto Philoſophorum Princeps de numero difficillimorum illam eſſe ſtatuit. Verum hæc, & ſimilia proportione quadam intelligenda veniunt: quoniam nullus Deo ſimilis propriè redditur, niſi Deus. At quia ore proprio dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Ideo & hæc digreſſa ſunt. Quid quod propter hominem conditus eſt mundus? Quid quod ad eius cuſtodiã Angelum deputauerit?

Quid

Digitized by Google

Quid quod propter animam, non propter Angelum Deus factus est homo? Quid quod propter hominem principaliter Angeli mouent orbes? Quid quod propter hominem Angeli à motu cessabunt? Quid quod propter hominem finietur seculum? Quid quod propter hominem fecit Deus, quicquid fecit: facit, quicquid facit: & faciet, quicquid efficiet? Magna certè est dignitas animarum. Si igitur omnibus rebus dignior est anima, etiam Angelo, ratione hypostaticæ vnionis, cur detrimentum animæ tuæ facis? si parem Deo nos anima sola facit, cur negligis ipsius salutem? Seneca vir illustris, numquam me hercle satis laudatus, ad Lucilium scribens, optimè digreditur, quid parem reddat hominem Deo: quod à nobis apertius explicatur. Nulla res parem Deo hominem reddit. Non pecunia, quia Deus nihil horum habet. Non prætexta, hoc est vestis, quia Deus nudus est. Non fama, nec sui ostentatio, quia nemo nouit Deum: licet multi malè de illo æstiment, & impune. Non turba seruorum, lecticam tuam portantium, quia Deus maximus est, atque potentissimus: vnde non vehitur, sed ipse vehit omnia. Non forma, & vires, quia nihil horum non patitur vetustatem: at Deus non senescit, quia æternus est. Quid ergo parem hominem Deo facit? Respondit Seneca, Animus: sed hic rectus, bonus, & magnus. Sicut igitur similem, & parem sibi Deus fecit hominem: ita effice tu homo, vt similis, & par Deo reddaris in rectitudine, in bonitate, in magnitudine virtutum: hoc enim à nobis Deus exposcit. Noli igitur despicere animam, quam similem sibi fecit Deus, pro qua Christus & carnem induit, & mortem libenter pertulit. Despicis quidem, negligis, detrimentumque facis, quoties ad delictorum illecebras illam vergis: ad cœnum illam reuoluis. Præfer igitur animam omnibus rebus, sicut & prætulit illam Deus: quandoquidem virtutis cursus ita sine defatigatione perficietur: Dum enim cunctis rebus præferes animam, peccata facilè vitabis, virtutibusque promptè incumbes: ac ideo absque labore virtutis cursus consumabitur.

Deus quicquid fecit, quicquid facit, & quicquid faciet, propter hominem omnia facit. Epist 31.

Nulla res parem Deo hominē facit, nisi animus.

Hominis stultitia.

Digitized by Google

Πάντα μὲν φθαρτά, ἡ ψυχὴ δὲ ἀθάνατος. προτιμᾶσθαι τοίνυν τὰ ἄφθαρτα τῶν φθαρτῶν δίκη.

PRÆCEPTIO CXLVI.

Omnia sunt corruptioni obnoxia: anima verò immortalis est. Incorruptibilia ergo præferre decet corruptibilibus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXLVI.

Anima cur omnibus rebus sit præferenda.

Via præceperat Author animam rebus quibuscumque præferendam: assignat nunc causam cur nam sit omnibus rebus præferenda: Illaq; est, omnia scilicet esse corruptioni obnoxia: animam verò immortalitate plenam. Ergo iniustum est corruptibilia quæque incorruptibilibus præferre. Sed de animarum immortalitate, nedum Scriptura differit, sed etiã & Sancti Doctores: tum quoq; ex Philosophis Ethnicis plerique. Nos itidem in eo opere, quod de statu animarum mediarum post mortem, & de earũ merito inscripsimus, (Deo annuente quandoque in lucem edendo) vtcumque tetigimus. Cæterum ad rem vnde diuerteramus, redeuntes: dicemus magnam stultitiam eorum esse, qui corruptibilia præferunt animæ: cum hæc subsistat, illa verò pereant. Quæcunq; enim in mundo reperiuntur (omitto Deum, & Angelos) vel sunt simplicia, vel mixta. Simplicia cœli, & elementa: mixta autem reliqua omnia. Cœli ardentes soluentur: elementa ignis ardore tabescent. Vnde & Diuus Petrus admonens fideles, dixit: Adueniet dies Domini ficut fur, in quo cœli magno impetu transient: elementa verò calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Et quamuis hæc non secundum substantiam, & totaliter intelligantur, sed iuxta accidentarias eorum qualitates: nihilominus tamen clarum est nouos cœlos fore, & nouam terram, ac ob id omnia corrumpenda sicuti de facto videmus paulatim omnia corrumpi. Itaq; præferenda sunt incorruptibilia corru-

Cap. 1.

Omnia sunt corruptibilia, & saltem aliqua p accidens, præter Deum, Angelos, & animæ. 2. Pet. c. 3.

Digitized by Google

corruptibilibus: non caduca perpetuis. Omnia verò mundana corruptioni sunt obnoxia, anima autem perennis est: ergo hæc illis præferenda est omnino. Quid enim indecentius, quàm curuum recto corpore gerere animum? curuum autem geres: si corruptibilibus te submiseris. Dicebat Seneca ad Lucilium scribens: Sursum animum vocat initia sua. Erit autem illic etiam antequàm hac custodia exoluatur: si vitia sua deseruerit, purusque, ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit. Sed heu, cadunt animalia, & statim adsunt, qui ea subleuant: cadit anima, & non est, qui manum apponat. Condolemus miserijs, aliorumque infœlicitatibus, & non misereamur animæ nostræ: & tamen amicabilia, quæ sunt ad alterum (vt inquit Atistoteles) veniunt ex amicabilibus, quę sunt ad seipsum. Agnoscat quæso anima dignitatem suam, & diuinæ consors facta naturæ: nolit in veterem vilitatem (vt scribit Leo Papa) degeneri conuersatione redire. Id autem faciet, si dignitate sua postposita: terrena inciderit. Consors inquam diuinæ naturæ facta est anima, quia Deo similis, quia Verbum caro factum est: atque ob gratiam, qua consortes sumus diuinæ naturæ. Præfer igitur incorruptibilia corruptibilibus: secus iniuriam facis animæ tuæ ob multa, sed præsertim quia incorruptibilis est.

Epist. 80.

Lib. 9. Ethic.

In sermone de Natiuitate Domini.

Ἑτοιμάζου πρὸς τὰ λυπηρά, καὶ προδαίνεις τὰ πλείονα.

PRAECEPTIO CXLVII.

Præparate contra aduersa: & lucraberis inde plurima.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXLVII.

PAtientię virtus quam summis laudibus vniuersi concelebrarunt authores, in omnibus necessaria ita est viro Christiano: vt nullum contra aduersa opportunum inueniatur remedium præter eam. Adagium est, Durum patientia vincit. Quinimò Ouidius Poeta canendo docuit.

Patientia necessaria viro Christiano.

Ee 2 *Perfer,*

Digitized by Google

Lib.vlt.amorũ, Eleg.10. *Perfer, & obdura dolor hic tibi proderit olim,*
Sæpe tulit laſſis ſuccus amarus opem.

Quod ſi dixeris, eundem oppoſita etiam canendo, docere; cum alibi dixerit.

Triſtiũ lib.5. Elegia 13. *Contundit ingenium patientia longa malorum,*
Et pars antiqui, nulla vigoris adeſt.

Dicimus, quòd loquitur more humano: Nam reuera longa malorum patientia laſſat, aggrauatq́ue hominem: ſed ſuſtinendum eſt fortiter. Nihilominus tamen opponimus ei Iuuenalis carmina verè aurea, ſic dicentia.

Satyra 13. *Ponamus nimios gemitus, flagrantior æquo*
Non debet dolor eſſe viri, nec vulnere maior.

Sed & Idẽ Poeta eò loci fœlices vocat patientes his verſibus.

.. dicimus autem
Hos quoque fœlices, qui ferre incommoda vitæ
Nec iactare iugum vita didicere magiſtra..

Conſtantia contra aduerſa. Igitur contra aduerſa præparandus eſt fortiter animus. Exilia, tormenta, egeſtates, morbi, bella, naufragia, mors ipſa imperterrito ſuſtinenda ſunt animo. Quemadmodum & ab Ethnicis quoque ad Chriſtianorum confuſionem paruifacta ſunt: quia timidi, & imbecillis eſt animi, hæc omnia metuere. Quinimo miſerorum eſſe iudicat Seneca eum, qui nunquam fuit miſer. Sed neſcis ò homo dulces eſſe in hac vita tribulationes? illiſq́ue accidere, qui à Deo diliguntur? Deus namque (teſte Iſidoro) ſemper hic hos vulnerat, quos ad ſalutem perpetuam præparat. Igitur præpara te hic contra aduerſa: vt à Deo præpareris ad vitam. Sed ex patientia, iuxta Authorem, lucraberis quidem plurima: ſpecialiter autẽ octo. Quæ ſunt peccati derelictio, exercitatio ad virtutes, placatio iræ Dei, probatio vitæ, ſpes ad ſuperna, bonum rationis contra triſtitiam, augmentum meriti, & in bonum perſeuerantia. Quandoquidem & patientes ſemper conuertuntur ad Deum, operantur bona, hiſq́ue placant iudicem, probantur ſicut aurum in fornace, anhelant ad cœleſtia, ratio eorum ſuperat ſenſualitatem, inde merentur magna, & facile perſeuerant. Cæterum Scriptura, & præſertim ſapiens Salomon, multa patientiæ tribuunt. Patientia namque melior eſt fortitudine, quia patiens melior eſt viro forti: & qui dominatur animo ſuo, melior eſt expugnatore vrbium. Doctrina viri

Libro 1. de ſummo bono.

Octo lucratur homo ex patientia.

Prouer.c.16. Patiẽtiæ encomia, & laudes.

Cap.19 ,pu.

per

Digitized by Google

per patientiam quoque noſcitur, & gloria eius eſt iniqua prætergredi. Princeps itidem patientia lenitur, & durities lingua molli confringitur. Patiens melior eſt arrogante. Patientia hominum eſt iuſtorum. Patientia probationem operatur. Patiens Dei voluntatem adimplet. Fides patientia probatur. Patientia denique opus perfectum habet. At ſcias, quòd vna ex coniecturis prædeſtinati ad vitam æternam, eſt, cum quis aduerſa propter Deum æquo pertulerit animo. Præpara igitur te cõtra aduerſa: vt hæc omnia lucrari poſſis.

Cap. 25. Eccleſ. c 7.

Vna ex coniecturis prædeſtinati eſt patientia.

Μὴ ζήτει παρὰ τοῦ θεοῦ τὰ ἡδέα, μόνα δὲ τὰ συμφέροντα. ἐκεῖνα γὰρ αἰτηθεὶς, οὐ δίδωσιν. εἰ δὲ καὶ λάβῃς, φθείρεται.

PRAECEPTIO CXLVIII.

Ne petas à Deo dulcia, ſed ſola tibi ſalutaria: illa enim rogatus non donat. Quòd ſi ea acceperis: nocumentum tibi afferunt.

SCHOLIVM, SEV COMMENT CXLVIII.

IN ſuperioribus Author orationem ſæpe tetigit, modumque illius perferendæ ad Deum: nunc quæ à Deo petenda ſunt, inſtruit. Duo equidem peti poſſunt à Deo vniuerſaliter, temporalia, & ſpiritualia. Temporalia dulcia ſunt corpori, ſed amara animæ: ſpiritualia amara corpori, ſed dulcia animæ. Dulcia certè ſunt temporalia corpori, nam diuitiæ, ſanitas, ſcientia, pulchritudo, dignitas, & ſimilia dulcedinem habere videntur. At verò hæc animæ amara ſunt, quia in fine amaritudinem habent: quandoquidem rarò ſine peccato exerceri poſſunt. Spiritualia verò dulcia ſunt animæ, humilitas ſcilicet, obedientia, patientia, abſtinentia, caſtitas, & cætera huiuſmodi: quia in fine dulcedinem pariunt, ſalutemque animæ impendunt: amara verò corpori, quia his ſubditur corpus animæ. Corpus namque minime vult reſpicere pietate, nec ſubijci humilitate, nec conduci obedientia, nec reduci potentia, nec perduci perſeuerantia, nec introduci deuo-

A Deo petuntur temporalia, vel ſpiritualia.

temporalium, & ſpiritualium diſcrimen.

Corporis natura circa temporalia, & ſpiritualia.

Digitized by Google

deuotione, nec vniri charitate. Sed omnia oppoſita efficere conatur, elongari ſcilicet inuidia, corrumpi diſſolutione, abduci inconſtantia, firmari tepiditate, reſiſtere inobedientia, eleuari ſuperbia, pollere crudelitate. Igitur cum hæc pernicioſa ſint animæ, illa verò ſalutaria: petas à Deo non dulcia corpori, quia amaritudine plena: ſed dulcia, hoc eſt ſalutaria animæ. Quod ſi iam illa petis, non donat Deus, etſi rogatus: quia mala malè petis. Quod ſi acceperis, nocumentum tibi afferent: ad maiorem namque pœnam peccantis donat. Facit enim Deus more periti medici, qui dum in ſpe curationis reperit infirmum: ſibi noxia denegat omnino; deſperatus tamen, quæcunque petit, donat. Ita & Deus non donat, vt facilius regnum cœlorum aſſequi poſſis: obſtinatus tamen in petitione dulcium, donat: quaſi deſperatus de ſalute. Itaque debet homo temporalia omnia ſub conditione petere, ſi expediunt ſcilicet ſaluti animæ: ſi iuxta Domini voluntatem petantur, quæ petuntur. In vita ſanctiſſimi Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, & inuicti Martyris, memini me legiſſe, quendam ægrotum rogaſſe Deum, vt Sancti Thomæ meritis, ſibi ſanitatem præſtaret: fuit exauditus. Cœpit deinde cogitare, an illa corporis ſanitas in animæ bonum cederet. Quarè rogauit Deum denuo, vt ſi corporis incolumitas animæ ſuæ haud expediret, reuerteretur infirmitas, quod & factum eſt: ſtatim namque infirmitas reuerſa eſt. Vide ergo ſi temporalia, quæ dulcia apparent, ſub conditione peti debeant. Nam ſæpe votis expoſcunt homines, quòd non impetraſſe melius foret. Vnde & Magiſter noſter Chriſtus dum Patrem rogaret, vt à ſe tranſiret calix ſuæ paſſionis, ſub conditione rogauit: nempe ſi poſſibile eſt, ſi vis, non mea, ſed tua fiat voluntas: & ſimilia ſub conditione protulit. Spiritualia verò ſimpliciter, & abſolute peti debent, quia ſunt neceſſaria ad ſalutem. Quorum petitio multum grata eſt Domino, & accepta, quinimò tam efficax, vt non ſpiritualia duntaxat, ſed & temporalia concedat. Exemplum habemus de Salomone, qui dum ſapientiam vt populum regere poſſet ſuum, à Domino poſtulaſſet, dedit ei & ſapientiam, ſimul quoque & diuitias. Pete igitur & tu ſimilia à Deo, vt aſſequi poſſis & alia. Noli ea petere, quæ tibi nocumentum afferunt: pete ea, quæ tibi ſalutem impendere poſſunt. Hæc autem erunt ſpiri-

Optimum exemplum.

Temporalia peti à Deo debent ſub conditione.

Nota.

Matth. 26. c. Marci 14. c. Lucæ 22. c.

Spiritualia peti debèt à Deo abſque conditione, ſed abſolute

Lib. 3. Reg. cap 3.

Digitized by Google

ſpiritualia, illa verò temporalia: Hęc dulcia, ſed pernicioſa; illa vndequaque ſalutaria.

Μὴ μέμφου τὴν πενίαν. ἀπερίσπαστον γὰρ τοῦ νόμου τὸν ἀθλητὴν ἀπεργάζεται.

PRÆCEPTIO CXLIX.

Ne accuses paupertatem, conſtantem enim legis Athletam efficit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXLIX.

PAupertas, quæ à parua dicitur pecunia, vnde & pauper iuxta Varronem: minime Chriſtiano incuſanda eſt. Quamuis enim neceſſaria ad vitam deſint, vel ſi neceſſaria ſuppetant, opes non adſint: nihilominus tamen haud inculcanda eſt: primò, quia tu diues quandoque poteris eſſe pauper: ſecundo iuxta Authorem, cum paupertas pauperem conſtantem faciat legis athletam. Septem quippe bona ex paupertate proueniri, luce clarius teſtatur Beatus Thomas. Quæ ſunt peccatorum recognitio, conſeruatio virtutum, quies cordis, impletio deſiderij, ſpiritualium dulcedo bonorum, exaltatio meritorum, & cœleſtis hæreditas. Pauper namque facile ſua ſua recognoſcit peccata, non enim habet impedimentum diuitiarum, quæ hominem in peccatis ſummergunt: Inde conſeruat virtutes; facilius enim in pauperibus virtutes relucent, quàm in diuitibus: quia diuites ob diuitias non curant de virtutibus, ſed vitijs incumbunt: diuitiæ quidem vitia ſecum portant, etiam grammaticaliter. Inde cordis quies naſcitur. Nam diues inquietitudinem patitur tam in accumulando, quàm in retinendo, & in conſeruando. Impletur deinde in paupere deſiderium ſuum: è contra auarus non implebitur pecunia. Amplius pauper conſolatur in ſpiritualibus, à quibus ob ſuperbiam diues recedit. Inde exaltatur apud Deum: diues verò deprimitur: exemplum habetur de Epulone. Tandem ob paupertatem regnum cœlorum aſſequitur: vnde

Super Iſaiæ cap. 47.

Bona quę ex paupertate proueniunt.

Eccleſ. c. 1.

Digitized by Google

Lucæ cap 6. & cap. 12. vnde ſcribitur: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. De diuitibus autem: Veh vobis diuitibus, qui habetis conſolationes veſtras: & de illo cui à Domino dictum eſt: Stulte hac nocte animam tuam Demones repetent, quæ autem paraſti cuius erunt? Verum paupertas non ſit coacta, ſed voluntaria: ſecus non meritoria.

Lib. 1. Ethic. Lib. 2. Polit. Lib. 4. Polit. Malè dixit Ariſtoteles, impoſſibile eſſe indigentem operari bona: quamuis bene dixerit, impoſſibile eſſe indigentem benè principari, & ſtudio vacare: & alibi, qui nimis viles ſunt, & egeni neſciunt principari.

Chriſtus cur pauper naſci voluit. Contra eſt ſaluator noſter, qui pauper naſci, pauper viuere, pauper regnare, pauper mori voluit, atque in fidei ædificatione nonniſi paupertate vti, vt mundanam tandem confunderet opulentiam. Hanc inquam pro regni æterni adeptione prædicauit, hanc proſequendam iuſſit: Sancti quoque nonniſi hac beantur. Hac quoque Religionum authores, ſuas fundarunt Religiones, vt ſciant, qui ſeculo renuntiant, & qui Religionem intrant, non cupiditati vacandum eſſe, nec diuitijs incumbendum, nec terrenis inhiandum: ſed ſeruiendum eſſe Domino in ſimplicitate cordis, in humilitate, in paupertate, & ſimilibus, quæ nos ducunt ad cœlum.

Sancti ſemper paupertatem amauerunt.

Sermone 18. ſuper Epiſt. ad Hebræos. Paupertatis encomia, & laudes. Benè digreditur Chryſoſtomus de paupertate: inquit enim, Paupertas eſt manudoctrix quædam in via, quæ ducit ad cœlum, vnctio athletica, exercitatio quædam magna, & admirabilis, portus tranquillus. Sed audi, quæ dixit Apuleius; Paupertas priſca apud ſecula, omnium ciuitatum conditrix, omnium artium temperatrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes oratione percompta. Et alibi: Ij ſunt enim beati, quorum diuitias nemo nouit. Sed & Martialis Author non ignobilis: ſic illuſtrè de paupertate cecinit.

Lib. 1. de Magia. Lib. 3. de Aſino aureo. Lib. 11. in Neſt.

Non eſt paupertas Neſtor habere nihil.

Igitur qui de paupertate malè ſentiunt, de diuitijs bene: vt terreni, & vani, de terrenis, & vanis vanè loquuntur: quia terrena optimè ſibi placent. Tu autem ne incuſa paupertatem, amplectere illam: ſic enim conſtantem te legis athletam efficiet.

Ma

Μὴ ὑφαίνου τῷ πλούτῳ. αἱ περὶ αὐτῶν γὰρ φροντίδες χωρίζουσιν ἀπὸ θεοῦ, ὡς τὰ πολλὰ, καὶ παρὰ γνώμην τῶν ἀνθρώπων.

PRAECEPTIO CL.

Ne lateris diuitijs, curæ enim quæ ipsis impenduntur: à Deo separant vt plurimum, & præter hominum expectationem.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CL.

DVplicis generis esse diuitias omnes rectè senserunt: spirituales scilicet, & corporales: spirituales diuitiæ veræ diuitiæ sunt: quia cum habentur, nequaquàm amitti possunt. Non enim timent fures, nec latrones, nec prædones, nec temporis varietatem, nec hominum malitiam, nisi te volente: Eæ autem sunt virtutes omnes. Corporales verò diuitiæ falsæ sunt, quia paupertate plenæ, multisque obnoxiæ casibus. Quandoquidem velis, nolis, perdere possis: quemadmodum & videmus omnes ferè sigillatim temporum opportunitate amittere. Illis igitur lætandum est maximè, quia Deo coniungunt, conglutinantque: his verò flendum, quia citra instabilitatem, curæ quæ ipsis impenduntur: vt plurimum, & præter hominum expectationem à Deo separant, & disiungunt. Quid enim nos Deo coniungit, nisi charitas? & tamen diuitiæ impediunt charitatem principaliter: animum alliciendo, & distrahendo. Quæ insuper nos separant à charitate Dei, nisi mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, furtum, rapina, fraus, fallaciæ, inimicitiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, & similia his quamplurima? & tamen hæc omnia ex diuitiarum inordinata sollicitudine nasci (vt par est) necessario sequitur. Abstrahunt certè à recto diuitiæ, & illuc homines pondere suo trahunt: vbi originem habent. In terræ viscera nascuntur: & in terræ viscera trahunt amatores sui. Ac propterea vsque ad terræ centrum tandem vbi infernus est, diuites pertrahentur.

Spirituales diuitiæ veræ diuitiæ sunt, corporales falsæ.

Charitas cõiungit nos Deo.

Quæ separãt nos à charitate.

Diuitiæ abstrahunt homines à recto.

Digitized by Google

Si diuitiæ bonæ fuissent, Magister noster Christus vtique non pauper natus esset, nec sic vixisset: quinimo fugiendas esse semper prædicauit; cum sint impedimenta ad regnum cœlorum. Et alias dixit: Facilius est camelum per foramen acus transire: quàm diuitem in regnum cœlorum intrare. At legi (dices) plerosque sanctitate fulgentes, fuisse diuites. legitur de Abraam sanctissimo, quòd fuerit ditissimus auro, & argento. Similiter de Iob, de Centurione, de Zacheo, de tot discipulis Domini diuitibus, de tot summis Pontificibus sanctissimis, de tot Regibus, & Principibus, & plerisque ferè innumeris, quorum animæ fœliciter gaudent in cœlis. At dicam, aurum, & argentum (vt inquit D. Bernardus) & similia, nec bona esse, nec mala prout ad animi bonum spectant. Eorum tamen vsus bonus, abusio mala: sollicitudo inordinata peior, quæstus procax turpior, illicita congregatio damnosior, improba affectio periculosior, iniqua possessio iniquior, superba conuersatio diabolica, lætitia denique pessima. At rursus dicam plerosque Sanctos fuisse diuites non diuitiarum amore: sed solum possessione. Dicam tandem, quòd si diuites Sanctos in diuitijs imitari desideras: imitare eos in sanctitate: sic enim nihil nocebunt diuitiæ. Verum enimuero cum diuitijs abuteris, præsertim in curis earum inordinatis (vt inquit Author) atque in gestiente lætitia: separabunt te à Deo, vt plurimum, & præter hominum expectationem. Itaque diuitijs non est lætandum, tanquam daturis lætitiam: quia causæ doloris sunt. lætitia quippe seculi huius vanitas est. Igitur noli inanibus rapi gaudijs ob diuitias, quia diuitiæ bona externa sunt. Hęcq; natura rerum ob id à te aliena fecit, vt ipsis hærere nequaquam potueris omnino: sed quantum tibi essent necessaria. Gaude igitur his, quæ tua perpetuo esse possunt; quæque te coniungunt Deo, non autem separant.

Matth. c. 19.

Gen. 14.

Sancti diuites.

In libro de consolatione.

Diuitiarum abusus est malus.

Digitized by Google

Ἐγγὺς τὸ τέλος, ὁ ῥαθυμῶν ἑτοιμαζέσθω πρὸς μάσιγας. ὀ μακρὰν τὸ θέρος. ἀκανθῶν τοίνυν τὸν ἀγρὸν τῆς ψυχῆς ἀπαλλάξωμεν.

PRAECEPTIO CLI.

Prope est finis, ignauiæ deditus paret se ad supplicium. Non longe abest messis: à spinis itaque agrum animæ liberemus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLI.

FInis vniuersæ carnis iam sigillatim prope esse decernitur. Mors enim solita sua deformitate arcu cum sagittis ad sinistram accincto, cum falce sua crudeli messoris more, huc, illucuè discurrens, nec sexui parcens, nec ætati, nec personas aspiciens: irremissibiliter modo huic, modo alteri vitam demere conatur. Non enim vides quàm sit atrox, dura, dira, crudelis, iniusta? Non cernis quorundam vitam, mortem in medio flore præcidere? aliorum interrumpere, ipsa principia? alterius inter cœnandum solui? alterius somno continuatam esse? aliquem quoq; concubitum extinxisse? Quotidie quidem morimur, quotidie aliqua pars vitæ demitur: quinimo cum crescimus, vita decrescit; quicquid transit temporis, perit: hunc ipsum quem agimus diem, cum morte diuidimus. Quid igitur faciet ignauus, socors, piger, iners, & ocio deditus? præparet se ad supplicium, quia tempus, quo nihil pretiosius, à Deo sibi concessum, vt bene operaretur: malè, & otiosè consumpsit. Natura quidem non dedit nobis tempus, vt aliquid ex eo vacet perdere, sed acquirere. Et si Salustio Ethnico viro dicere licuit, quòd ignauia nemo immortalis factus est, neque quisquam parens, liberis, vt æterni fierent, ignauiam optauit: magis vt boni, honestique vitam suam agerent, cur & nobis cum Authore non licebit dicere, quòd ignauiæ deditus paret se ad supplicium, cum ad immortalitatem pro oppositio natus sit, & tamen ignauia ad animæ mortalitatem (morte illa inquam de qua scribitur:

Mortis terribilitas.

Vitę inæqualitas ob mortis inæqualitatem.

Nihil pretiosius tempore.

In Iugurtha.

Digitized by Google

Ezechielis cap. 18.

Anima quæ peccauerit, ipsa morietur) continuo ducitur? Itaque cum messis iam adesse conspiciatur, messor verò circumeat, vt metere possit: necessum est à malis herbis, spinisque, & tribulis agrum quamprimum emundare, ne simul cum malis bonæ metantur fruges: mixtæque ad inuicem, immunditijs vtentes, inficiant. Ager anima est, spinæ, tribuli, tentamenta, tribulationes, & peccata: messor mors: messis tempus, hora mortis: messis verò, corpora nostra. Quamdiu igitur anima in corpore est, seu (vt melius dicamus) quamdiu anima detinet corpus: inter spinas, & tribulos versatur. Patitur namq; tentationum inquietitudines, tribulationum aculeos, peccatorum vulnera. Necesse est igitur vt vigilet, vt excubet, vt sollicita sit super custodia sui, septaque vndique sepibus, expurget, emundet, liberet agrum animæ, liberet seipsam à spinis, tribulis, lolijs, & peccatis: vt adueniente messore, messis tempore, tanquam diligens colonus minimè cum spinis euellatur, & suffocetur: sed ab his omnibus libera, & selecta, munda, & sine peccatorum maculis in conspectu Domini Dei sui, & Sanctorum appareat: regnatura in perpetuum in cœli conuiuio.

Nota diligenter.

Vigilia necessaria animæ.

Οὐδὲν λανθάνει τὸν κριτὴν, ἂν μὴ μόνον λανθάνοντα ἁμαρτάνειν παιδεύσῃς.

PRAECEPTIO CLII.

Nihil Iudicem latet, frustra ergo peccare conamur: vt lateamus Iudicem.

SCHOLIVM, SEV COMMENT CLII.

Deus in quibus differt ab homine.

IN tribus differt Deus ab homine, in loci sublimitate, in perpetuitate vitæ, & in perfectione naturæ. Loci sublimitate cuncta prospicit: perpetuitate vitæ cuncta conseruat: perfectione naturæ cuncta perficit. Cuncta prospicit prouidentia: cuncta conseruat bonitate: cuncta perficit sapientia. Nam & loci sublimitati correspondet prouidentia: vitæ perpetuitati, bonitas: perfectioni naturæ, sapientia.

Ex

Digitized by Google

Ex his sequitur vbique esse, & nihil se latere: omnia posse, & nihil sibi deesse: cuncta perfectissime scire, & nulla ignorare. E contra homo, quia creatura, in loci humilitate habitabit, nempe in terra elementorum fœce, in corruptione vitæ versabitur, nam definit: & in imperfectione naturæ viuit, quia multa imperfecta habet. Quare nec cuncta prospiciet, nec omnia conseruabit, nec cuncta perficiet. Quandoquidem in prouidendo, deficit: in amando, errat: in sciendo, hallucinatur: ac propterea non potest esse vbique, vnde & multa sibi latent: pleraque rursus sibi deficient, quia non omnia potest: plurima denique ignorabit, quia non scit perfectè. Deus itaque cum solus ille sit, qui perfectissimè est sublimis, perpetuus, & sciens, nihil se latet, omnia potest: nihil sibi deest, cuncta perfectissimè scit, nulla verò ignorat. Sciet igitur nedum quæ agimus, sed & quæ cogitamus: iuxta illud, Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum: quod & nulli creaturæ (nisi Deo volente) propriè conceditur: magis tamen Angelis, quàm hominibus ob intellectus acumen. Quarè igitur peccare conamur, vt lateamus Deum, cum ipsum nihil lateat? scribitur enim, Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Et rursus: Scio, quòd omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Et alibi: Dominus scit cogitationes hominum: quoniam vanæ sunt. Non est igitur dubitandum Deum nihil latere. Si namque mentis nostræ vis, atque potestas ea est, vt quamuis intra mortale corpus existat cum anima, coerceri tamen nullo pacto potest, quominus (vt quietis impatiens) sibi liberam vagandi facultatem largiatur, quanto magis de diuina mente fandum est, quæ per vniuersas mundi partes intenta discurrens, omnia regit, cuncta moderatur, cuncta penetrat, præsens, & diffusa vbique, omnia discernit? Addit insuper Author, Iudicem, quia occulta cordium Deus iudicabit: iuxta illud Apostoli Pauli: Qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Ne igitur peccemus fratres, quia & si homines lateamus: quid faciemus de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? Iudicabimur quippe ab ipso: ipseque cordium nostrum occulta manifestabit. Quod si peccata ob naturæ imbecillitatem sint quotidiana; saltem studeamus, ne sint mortifera.

Imperfectæ hominis cõditiones, & variæ.

Dei perfectio, & scientia.

Psalm.

Ad Hebræos cap. 4. Iob cap. 13. Psal. 125.

Mentis humanæ vis, atque potestas.

1. ad Cor. cap. 4.

Πρὸ τῶν ἀνθρώπων αἰχμὼ οὗτος ἀγγέλους. πολλοὶ γὰρ ἡμῖν πάρεισιν, καὶ πάσης αἰχρᾶς ἀποχοινίζουσι πράξεως.

PRAECEPTIO CLIII.

Reuerere Angelos magis quàm homines, multi enim nobis adsunt: & ab omni turpi actione recedunt.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLIII.

Reuerentia quid sit.

Super Pſ. 34. 22. q. 81. art. 2.

REuerentia, quæ iuxta nonnullos authores, est honor in testimonium virtutis alicui exhibitus: propriè tamen, iuxta Beatum Thomam, est timor initialis, & castus: vnde & alibi habet, quòd reuereri est actus timoris, (& bene dicit; cum enim componatur ex re, & uereor: vereri propriè est timere cum pudore quodam erga eum, quem metuimus) tribus quidem personarum generibus tantum exhibi debet: Deo, Angelo, & homini. Deo, quia omnia sunt ex seipso, per ipsum, & in ipso: Angelo, quia inter creaturas nobilior natura, & Deo propinquior perpenditur: homini, ratione alicuius excellentiæ. Reuerentia erga Deum actus Latriæ erit: erga Angelum Duliæ: erga homines vel Superduliæ, vt Beatæ Virgini: vel Duliæ, vt Sanctis, Prælatis, Dominis, & virtuosis. Hoc autem obiter adnotandum est, reuerentiam cuicumque Cruci Christi Latriæ exhibendam esse propter significationem, & repræsentationem: Cruci verò vbi appensus est benignissimus Iesus, Latriæ ob contactum: ne in Pici, & Holcoth errorem incidas, quem confutatum alibi habes: & nos in explicatione orationis Dominicæ vtcumque confutauimus. Loquitur tamen Author de reuerentia exhibenda Angelis respectu hominum: non quibuscumque, sed bonis. Mali namque pro inimicis habendi sunt omnino; quia reuera inimici nostri sunt. Non enim nos amant, nec possunt amare: cum sint extra charitatis ambitum. Si enim nobis inuident, vnde & Diaboli dicti sunt, quomodo amabunt?

Reuerentia tribus personarum generibus exhibi debet.

Reuerentia cuicumque Cruci Christi latria est.

Angeli boni sunt reuerendi, non mali, quia inimici sunt nostri.

Certè

Digitized by Google

Certè vbi est inuidia, non est amor: & vbi est amor, necesse est, vt absit inuidia. Inuidia fugat amorem, & amor inuidiam. At quomodo amabunt, si omnia mundi mala eorum sunt prauitate commissa, & in dies committuntur? Itaque præcipit, Angelos bonos reuerendos esse, magis quàm homines, non alia ratione, nisi quia multi ex eis nobis adsunt. Dicebat Origenes, Adest vnicuique nostrum etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet: qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis videat quotidie faciem Patris, qui in cœlis est. Dicebat Hieronymus: Magna dignitas est animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodia sui Angelum deputatum. Verum enimuero tria quippe bona habemus à beatis spiritibus vniuersaliter, præsentiam, amorem, & custodiam. Præsentiam, quia semper nobis adsunt omnibus horis, & locis succurrentes, & prouidentes necessitatibus nostris. Amorem, quia diligunt conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant. Custodiam, custodientes nos in omnibus vijs nostris. Igitur & tot alia debemus & nos grato animo illis retribuere: fiduciam scilicet, deuotionem, & reuerentiam: fiduciam pro custodia, deuotionem pro amore, reuerentiam pro præsentia. Videamus igitur fratres quomodo cautè ambulamus, vbi credimus Angelos adesse. Caueamus audere illis præsentibus, quod aliquibus nos videntibus non auderemus: quia ab omni turpi actione recedunt, odiuntque summopere, & deserunt omnes operantes iniquitatem. Hoc est, quod dicit Author, reuerere Angelos magis quàm homines: quia multi nobis adsunt, & ab omni turpi actione recedunt. Simus illis deuoti, simus grati: in quouis loco reuerentiam exhibeamus tantis custodibus; quia pro nobis adsunt, vt protegant, vt defendant, vt profint. Refugiamus demonum consortia, malignorum spirituum dolos, fraudes, technas: festinemus angelicis sociari conuersationibus per exercitia virtutum, vt cum ipsis conregnare in cœlestibus mereamur in æternum.

Super Num. homil. 11. Angelorum bonorum amor erga homines.

Super Matt. lib. 3. Bona quę habet homo à sanctis Angelis.

Homo quæ debet retribuere sãctis Angelis.

Angeli sãcti ab omni turpi actione recedunt.

Fugienda sunt Demonum consortia.

Mensura

Μέρμνα τοῦ κριτοῦ τὸν ζυγὸν, καὶ πᾶν ὅτι σοι κίβδηλον τῆς βιωτικῆς πείρας ἔκβαλλε.

PRÆCEPTIO CLIIII.

Meditare sententiam Iudicis: & abige à te omne si quid tibi adhæret adulterinum mundanæ versutiæ.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLIIII.

Supremi Iudicis sententia meditanda.

INter cætera remedia ad euitanda peccata, abigendumque omne si quid alicui adhæret mundanæ versutiæ: nullum salutarius, opportuniusque, quàm supremi Iudicis meditari sententiam. Nihil certè est, quòd magis ad vitam proficit honestam (vt inquit Ambrosius) quàm vt credamus eum Iudicem futurum: quem occulta non fallunt, indecora offendunt, & honesta delectant. Terrenus Iudex potest quidem gratia præueniri, misericordia flecti, pecunia corrumpi, satisfactione, vel pœnitentia mitigari: ac ideo sententiam iuxta placitum pronuntiabit. Supremus verò tunc temporis hæc non faciet; quia ibi erit iustitiæ locus, non misericordiæ. Humanum iudicium quadrifariam peruerti potest, iuxta Isidorum: timore, cupiditate, odio, & amore. Timore, dum quis potestatis metu loqui pauescit: cupiditate, cum præmio muneris corrumpitur: odio, cum contra quemlibet aduersarium molitur: amore, dum amico, vel propinquis placere contendit; ac propterea sententia peruersa erit, quia vel innocens condemnabitur, vel noxius liberabitur. Iudicium verò diuinum timore peruerti non poterit, ob potentiam: non cupiditate, quia omnia sua sunt; nam Domini est terra, & plenitudo eius: nec odio, ob bonitatem: nec amore, ob iustitiam: ac ideo innocēs liberabitur, iniquus verò (vt par est) punietur. Iudicis terreni sententia facilè impediri potest vel appellatione, vel supplicatione, vel per querelam falsi, vel per integram restitutionem. His quippe modis sententia aliqua

Lib. de offic.

Libro 3. de summo bono c. 58.

Iudiciū humanum quibus peruerti potest.

Iudicium diuinū nullatenus corrumpi potest.

Sententia Iudicis terreni impediri potest: & quibus.

Digitized by Google

aliqua reuocari poteſt. At ſupremi Iudicis ſententia his reuocari modis impoſſibile erit: non quidem appellatione, quia crimina notoria erunt: & in notorijs appellatio non habet locum. Rurſus, ſententia illa dabitur in ſummo foro, & in ſummi fori ſententijs (vt habent leges) non datur appellatio; nemo enim eſt maior Deo. Non ſupplicatione, quia tunc temporis ſi tota cœleſtis curia oraret, non exaudiretur; non enim erit orationis tempus, ſed exequutionis. Nec per querelam falſi, quia teſtes veridici erunt. Et quamuis Diabolus in veritate non ſteterit, ac propterea malitia mendaces omnes exiſtant: eò tempore verum contra reprobos afferent teſtimonium. At inter cæteros erit propria conſcientia, quam negare minime poterunt: erit inſuper ſupremus Iudex, qui nullatenus circumueniri poterit. Sententia tandem diuina neque per integram reſtitutionem reuocari poterit, quia amplius non erit tempus operandi: & damnati iam ſunt in finali impœnitentia. Ideo metuenda eſt ſententia Iudicis, & meditanda; ac propterea abige à te ſi quid tibi adhæret adulterinum mundanæ verſutiæ. Cur autem addit verſutiam? eſt ſcieudum, quòd verſutia, quæ idem eſt, quod aſtutia, duplex eſſe perpenditur: carnalis, & ſpiritualis. Carnalis mundana eſt: ſpiritualis, cœleſtis. Hæc prodeſt, ideo proſequenda contra mundum, carnem, & Diabolum: illa obeſt, ideo prohibetur ab Authore; quia mundana, carnalis, & diabolica. Nam & ſi quandoque dicatur prudentia, eſt tamen ſpeciale vitium prudentiæ oppoſitum: vtens non veris vijs, & medijs, ſed falſis, & ſimulatis (vt docet Beatus Thomas.) Quare erit excogitatio non veræ viæ ad aliquem finem, vel bonum, vel malum aſſequendum: ſed fictè, & falsè. Addit igitur verſutiam, quia verſutus cum ſua verſutia non poteſt effugere iudicium Dei: cum omnia ſint manifeſta oculis eius. Igitur abige à te omne, ſi quid tibi adhæret adulterinum mundanæ verſutiæ: quia ſimilis Diabolo eris; de quo dicitur: Serpens erat calidior cunctis animantibus terræ: Ideo particeps illius in pœna. Adhærebit namque, ſi cuiquam dolos machinatus fueris: ſi aliena vel quæſieris, vel abroderis: ſi in artes varias te commutaueris, vt fallas: ſi mala molieris, vt inferas: ſi metueris ne tibi hæc ab alijs inferantur: ſi aliquos læderis: ſi denique mundo quomodolibet te implicaueris.

Iudicis ſupremi ſententia nullo modo reuocari poterit.

Conſcientia propria erit teſtis inter cæteros.

Verſutia, ſeu aſtutia duplex.

22.q.55.ar.3 Verſutia, ſeu aſtutia quid ſit.

Gen.c.3.

Homo quomodo mundanæ verſutiæ adhærebit.

Digitized by Google

Amplectere simplicitatem, quæ dolositati contraria est: de qua scribitur: Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Meditare sententiam iudicis, qui & te versutum iudicabit, non secus ac illum, cuius celeriter mens versatur in noxia. Vtere versutia bona, astutia sancta: ad repellenda nempe peccata. Nam & Christus Saluator noster hanc persuasit Apostolis, dicens: Estote prudentes sicut serpentes: & simplices sicut columbæ. Verum & hoc teneto necessariam esse simplicitatem, sed cum prudentia. Docet Diuus Hieronymus, prudentiam absque simplicitate, malitiam esse: simplicitatem absque prudentia, stultitiam.

Prouer. c. 10

Super Oseā.

Τηρᾶν ἀκακίαν καὶ τὴν ἄγαν πανοῦργον καὶ ἀπλῆν πορεύεσθαι, ἀλλ' ἀπερισπάστως μόνοις.

PRÆCEPTIO CLV.

Damnum esse otium, & segnitiem existimato, semperque aliquid peragere studeto, quorum rationem possimus reddere.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLV.

Lites negligentiam, pigritiam, segnitiem, otium, & similia prohibent. Author nunc quoque, quia ex his magnum sequitur homini damnum, cum corporale, tum etiam spirituale: & hæc rursus prohibet. Hæc namque sunt totius spiritualis ædificij ruina, nam ex meliore propter sanctos labores, fit quis deterior ob otium, propter segnitiem, ob negligentiam. Quare & claustro commorantibus, & in heremo sunt magis experti, & infestiores hostes, ac frequenter, vt admonet Ioannes Cassianus. Vnde horum impugnationem non declinando fugiendam, vt luxuriei: sed resistendo superandam esse, experimento comprobatum docet. Et certè nihil otio deterius. Rubigo ferrum corrumpit: otium vires emollit. Otiosus non sibi viuit, sed ventri, & somno: ex quo vitia nascei, manifestum est. Quod etiam moralis Poeta innuit, dicens.

Spiritualis ædificij ruinæ sunt otiū, & segnities.

De institutionibus monachorū lib. 10 Otio nihil deterius.

Nam

Digitized by Google

Nam ab diuturna quies, vitijs alimenta ministrat. Cato.

Quinimo otiosus non viuit, quia nemini viuit. Qui enim alicui viuit, labore, non otio viuit: Ac propterea otiosus nec sibi viuit; nam cum otio viuat, nec sibi, nec alicui viuit. Ideo eloquentiæ pater Cicero, dicebat: Mihi enim, qui nihil agit, esse omnino non videtur. Rursus, vestimentum tineas gignit, & fouet: sed ipsis consumitur. Otium peccata alit, & nutrit: quibus tandem animam perdit. Fax torpet immota: agitata verò ignem restituit. Aquæ nisi agitantur, vitium capiunt. O malum otium, ò pessima segnities, causæ omnium vitiorum. Non est malum, quod ab otio non causatur; non est bonum, quod à labore non oritur. Fugato otio, fugantur vitia: fugato labore, fugantur virtutes omnes. Vnde & Poeta Ethnicus cecinit, dicens.

Otiosus non viuit.

Lib. 2. de natura Deorũ.

Otij malignitas.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus.
Contemptæque iacent, & sine luce faces.

Ouidius lib. de remedio amoris.

Et verè, ciuitatum quarumlibet ruinas ab otio nasci verissimum est. Melius est quidem ciuitati negotium committi, quàm otium: quia præpotentia regna, imperiaque rerum, agitatione ad virtutes sæpe scendas excitari, ac propterea sublimari: nimia verò quies in desidiam resolui, idcoque, & destrui animadvertimus. Sit tibi in exemplum Vrbs Roma, cui dum negotium imminebat, mores optimos in suo statu continuit, & propterea orbis Domina exstitit: At quieti, & otio vacans, plurimis vitijs respersa est; quæ tandem, suæ destructionis causæ fuerunt. Studeamus igitur & nos fratres bonorum aliquid peragere, quorum rationem possimus reddere: nam de otio nulla potest adduci, quia ad laborem natus est homo. Dicit otium, & addit segnitiem, quæ illud est, cum quis quiete necessaria saluti corporis accepta, vacat ab aliquo opere spirituali, vel corporali: & proprie est vacatio à labore, cuius contrarium est negotium: hæc verò est timor futuræ operationis, iuxta Damascenum: vel fuga operationis ex timore laboris, iuxta Diuum Thomam. Vnde segnis, quasi sine igne dicitur, sicuti soccordia quasi sine corde: ex quo differre adinuicem voluit Donatus, ita vt segnities dicatur ad agendum, soccordia ad considerandum: nihilominus tamen pro eodem accipiuntur sæpissime. Fugiamus igitur otium, timeamus segnitiem: memento multa mor-

Ciuitates, & regna otio dilabuntur.

Roma destructa ob otiũ.

Quid sit otium.

Quid sit segnities.

1. 2. q. 41. art. 4.

Digitized by Google

talibus otium facere mala; otiosiq; homini nihil Deum concessurum. Laboremus igitur, vt mercedē recipere valeamus.

Ἀπὸ τοῦ βίᾳ λογίζου τὸ ἀβίβαιον, καὶ οὐδέν σε τῶν ἐν αὐτῷ περιπατῆσαι δυνήσεται.

PRAECEPTIO CLVI.

Semper vitæ considera inconstantiam: & nihil quod in ea vsu venerit, animum tuum diuersè trahere poterit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLVI.

In libro de morte, & vita. Quid sit vita.

VIta, quæ secundum Aristotelem, vel est mansio animæ in corpore: vel mansio animæ nutritiuæ in calido: vel quæ iuxta Donatum, significat mores, animam, alimentum, spacium viuendi, & fortunam, quæ viuentibus accidit: duplici quidem opere procul dubio manifestatur, cognitione, & motu. Cognitione, quia cognoscentes, propriè viuentes dicuntur: motu, quia à mouere sumitur, tanquam ab apparenti exterius: Indeque ad significandum naturam cui hoc conuenit, imponitur. Quandoquidem prius conuenit operationibus, deinde esse; ad quod ex illis translatum est.

Vita præsens incōstans in omnibus.

Verum enimuero cum cognitio imperfecta sit, & titubans, motus verò inæquales: concluditur vitam in omnibus esse inconstantem. Qui enim sani fuerant, videntur iam imbecilles: qui scientes, indocti: qui fœlices, infœliciſſimi: qui diuites, pauperrimi. Qui dominabantur, iam seruientes conspiciuntur: qui iuuenes, senes: qui læti, tristes: qui heri viui, hodie mortui. Igitur nulla certè res longa mortalium est: omnisque seculi fœlicitas dum tenetur, amittitur. Nam ratio commutabilis est, fortuna volubilis, & vaga, amici infideles, proximi inuidi, parentes sine amore, filij absque obedientia. In hominibus quantæ simulationes, in periculis quot fugæ proximorum, quantæ timiditates; in prosperitate quantæ adulationes, in negotijs quot mendacia? Et tot,

Nota diligenter.

& tan-

Digitized by Google

& tantæ ſunt mundi inconſtantiæ, vt non immerito aſſimilarint vitam hanc rebus cito periturís, ob inconſtantiam: vmbræ, fumo, flatui, auræ, fabulæ, ſomno, ioco, ſcenæ, ludo, & ſimilibus penè infinitis omnino inconſtantibus. Nemo igitur in vita hac ſpem ſuam ponat: ſed negligat, & ſpernat, conculcet, & contemnat. Neſcis, quòd lachrymis plena eſt, neſcis, quòd à fletibus inchoat, in fletibus perſeuerat, & in fletibus terminatur. Effuge igitur omnia, quæ in ea ſunt, potioremq; animam tuã iudices, quàm bona iſta fallacia: quorum incerta, inconſtans, & caduca poſſeſſio eſt. Quæ quotidie migrant, & multo velocius exeunt, quàm intrauerant. Quid igitur, quod in ea vſu venit, animum tuum diuersè trahit? Cum tui temporis curſus modo aſpero, modo tranquillo, nunc ſæuo, nunc placato, nunc recto, nunc obliquo motu fortuna ſic gubernaculum regente, peragatur? & (vt inquit Valerius Maximus) ſpe ſemper minore: dum & cupide votis extenditur: & fere ſine ratione conſumitur. Vis igitur, vt nihil quod in vita vſu venit, animum tuum nequaquam diuersè trahat: conſidera ſemper vitæ huius miſerrimæ inconſtantiam: quia dubio procul authoris dictũ verificabitur, ſcilicet, quòd nihil quod in ea vſu venerit: animum tuũ diuersè trahere poterit. Vita præſens quibus ſimilis. Vita præſens fugienda.

Τὰ φαῦλά σε τῆς γῆς μὴ τερπέτω τὰ πρόσκαιρα ἄγκιστρα γάρ ἐστι, τῷ ψυχῷ σου ἐκ ἰχθυῶν ἁγιώτατα.

PRAECEPTIO CLVII.

Læta vitæ huius fluxa ne te oblectent: Hami enim ſunt, animam vt piſces irretientes.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLVII.

MVndus hic immundus, duabus certè rebus conſtat, inter ſe tamen maximè diſſidentibus: lætis ſcilicet, & mœſtis. Nam & nonnulli lætantur: quidam verò mœrent. Nonnulli gaudent, quidam verò triſtantur: nonnulli rident, alij verò lachrymantur. Lætantur ob rerum fœlicem ſucceſſum: mœrent Mundus lætis, & mœſtis conſtat.

Digitized by Google

mærent ob infœlicem. Gaudent prosperis: tristantur aduersis. Rident fauſtis: lachrymantur infauſtis. Inter hos tamen meliores ſunt mœrentes lætantibus, quia ob mœſtitiam ad Deum recurrunt: ob lætitiam verò à Deo ſe auertunt, fluxis adhærendo: ex quo ſequitur omnino ruina animæ. Ideo Sapiens admonuit, quòd melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit. In domo verò conuiuij cum nonniſi læta tractentur, ſeparabunt vtique hominem à Deo: ac propterea meliores ſunt mœrentes lætantibus. Experimento comprobatum tenemus ex rerum proſperitate lætitiam gigni, ex lætitia defluxus ad vitia: ex vitijs impietatem aduerſus Deum: ex hac tandem damnum animæ. Itaque Author bene dicit: Læta huius vitæ fluxa, ne te oblectent, quia oblectamenta fallacia ſunt, & breuia: initiumque futuræ triſtitiæ, quia deſinunt & deſipiunt. Eſt quippe huius mundi lætitia ſicut ebrietas, quæ vanis horis hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat. Sed Author læta vitæ huius fluxa hamis comparat, & rectè. Quandoquidem hamo capitur piſcis, non aliter quàm tecta exterius carne: & in aruadinis faſtigio filo connexo. Piſcis verò totum putans eſcam, neſciens ſub carne latere hamum, irruens deglutit: & miſer tandem captus remanet omnino; quod cauſa mortis ſuæ exiſtit. Sic & mundi huius læta hami ſunt, tecti exterius mundana dulcedine, animam vt piſces irretientes: exterius tecti carne: quia omne quod eſt in mundo, vel eſt concupiſcentia carnis: cauſa tandem mortis animæ. Chriſtiano igitur rectè gaudendi cauſa non præſens ſeculum eſt, ſed futurum: & ita vtendum eſt temporalibus, ne obſint æternis: vt in via qua peregrini ambulant (vt inquit Auguſtinus) hoc placeat, quòd ducit ad patriam. Igitur læta terrena, cum ſint fluxa, ne te oblectent: oblectent te cœleſtia, quæ ſemper manent.

Eccleſiaſtes cap. 5.

Optima exempla.

Ἀπέχου οὗτος πειρασμούς. σισταθὼν δὲ, τῷ ἀνδρείως ἐπιδείξει. μή ποτε πλουτοῦν παρίδῃς δακρύοντα, ἵνα μὴ παροφθῇ τῆς δεήσεώς σου τὸ δάκρυον.

PRAECEPTIO CLVIII.

Arce tentationes, tentatus verò fortitudinem præsta: Ne vnquam pauperem despicias lachrymantem: ne contra despiciatur orationis tuæ lachryma.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLVIII.

HAec admonet Author in hac præceptione, arcere tentationes: tentatus, præstare fortitudinem: & non despicere pauperem lachrymantē. Primum fit dum veniunt: secundum, quando iam præsunt: tertium, quando recesserunt. Nam vnum certè ex altero dependere, necesse est. Hostis enim noster antiquus duplici via contra nos dimicare conuenitur: ex se, & aliunde. Multoties ex se pugnans, vincitur: at victus, ad alia tentationum genera recurrit, vbique tentationum laqueos prætendere non desinit: discutit omnium mores, ventilat omnium causas, scrutatur omnium affectus: & (vt inquit Beatus Gregorius) eius est intueri humani generis vniuscuiusque naturam, cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ facilius nouit inclinatè mentem: vt quoquo modo, teste Leone Papa, fidem credentium valeat corrumpere. Igitur in belli initio arce tentationes, nam & si possit Diabolus excitare tentationis motum: in te tamen est, si volueris dare, vel negare consilium. In medio autem fortitudinem præsta. Diabolus namque suggerere potest: cogere verò non potest. Quandoquidem liberum reddidit, voluntatemque tuam nulli subiecit nisi tibi, & Deo: quam & excitare, & compellere ad salutem tuam, & eius gloriam dubio procul potest. In fine verò victis tentationibus, miserere lachrymantis pauperis cum paupertatis miseria, mise-

Diabol' quo modo cōtra nos pugnat.

Lib. 1. moral.

In sermone.

Diabolus nō potest cogere voluntatem.

Digitized by Google

miserabiliter prælíantis: subueni illi, ne despicias ęrumnas eius, sicut & Deus misertus est tui, qui te fecit victorem in bello spirituali: ita enim nec orationis tuæ lachrymas aliquando despiciet, si pauperis lachrymas ob paupertatem emissas non despexeris. Verum ad arcendas tentationes, necesse est illarum causas scire, atque postmodum arcere. Nam causis resciſſis, omnia quæ sequuntur facilè euerti, rescindique possunt. Quatuor igitur sunt, iuxta Hugonem, tentationum causæ: loci amœnitas: diuitiarum abundantia: pretiosus ornatus: & mulierum species. Loci amœnitas ex habitantium gratia; nam ciuitates, & oppida non tantum ex situ loci, sed ex habitantium gratia, amœnitatem recipiunt. Diuitiarum abundantia, quia vbi sunt multæ diuitiæ, ibi multa animæ pericula: idque inficiari minimè potest. Pretiosus ornatus, vt vestimentorum exquisitę varietates, & equorum cura pinguium, ex quibus superbiæ multæ nascuntur. Mulierum denique species, quarum vox blanditur auribus, & facies oculis. Hæ sunt tentationum omnium causæ: & ex his cuncta ferè pullulant peccata. At prima arcenda est inferni consideratione, vbi erunt tenebræ, & caligo, ignis ardens, & non consumens: frigus, & stridor dentium, vbi fœtor pro suaui odore, & sempiternus horror pro amœnitate: & multa his similia, quibus facilè arceri possunt homines à peccatis, & resistere primæ tentationum causæ. Secunda, arcenda est consideratione instabilitatis diuitiarum: cum nunquam in eodem statu permaneant. Tertia, arcenda est, considerare, quòd subter eum, qui mollibus vestitur, sternetur tandem tinea, & operimentum eius erunt vermes. Quarta & vltima, arcenda est fuga. Effugies certè, si consideraueris fructus eius acerbissimos, amariores felle, crudeliores gladio: Destruunt namque bona omnia hominis tum interna, tum quoque externa. Arce igitur tentationes, & præsertim causas eius: tentatus verò præsta fortitudinem. Verum enimuero vt tentationes vincere possis, semper illas arce in initio: aliter vinceris ab illis. Est enim tentatio vt serpens, qui dum caput in foramine ponit (quod supra quoque tactum est) reliquum corpus totum secum trahit: at si aliam corporis partem, non poterit quippe intrare. Ita quoque & tu facies, arce tentationes, & præsta fortitudinem in principio: sic certè victor eris;

De clausto animæ.

Causæ tentationum potissimæ, quatuor.

Tétationum causæ quomodo arcendæ sunt.

Tentationes arcédæ sunt in initio.

Præcept. 114 Exemplum.

Digitized by Google

eris; aliter cum magna tui ignominia, atque dedecore, & cum maxima tui hostis gloria turpiter succumbes.

Ἡ φιλοσοφία χρῆμα τοῖς ἀνθρώποις ἐξαίρετον. οὖσα δὲ μονογένης, μόνῃ μόνῳ σαυτὴν τῷ κεκτημένῳ βούλεται.

PRAECEPTIO CLIX.

Philosophia hominibus res est eximia: vnigenita verò existens sola soli vult coire possessori.

SCHOLIVM, SEV COMMENT CLIX.

PHilosophia, quæ vt ex nominis ethymologia habetur, & vt explicant Augustinus, & Boetius, sonat amorem: quam Plato donum, Cicero inuentum Deorum vocat: duplicis quidem generis esse perspicitur. Altera enim est, quæ circa elementa mundi versatur: altera, quæ circa mores. Prima magis falsa, quàm vera continet, tum quia pauca vera multis commixta sunt falsitatibus, propter intellectus humani imbecillitatem, & ob difficilem rerum intelligentiam; Quare & Socrates hac relicta tanquàm incerta, ad moralem se transtulit omnino: tum quoque quod cum scrutetur mundi plagas, orbis spatia rimetur, inuestiget maris, terræque ambitum: inquirat denique rerum omnium naturas, quæ sibi (vt ait beatus Ambrosius) prodesse nihil possunt, Deum tamen ignorat: quem solum deberet inquirere. Secunda autem vera philosophia est, quia hæc etiam secundum Ethnicos sola docet inuenire Deum. Dicebat Plato, vt author est Diuus Augustinus, hoc esse philosophari, nempe Deum amare. Dicebat Seneca, Philosophia permittet mihi, vt me parem Deo faciat. Dicebat Cicero, Philosophiam esse magistram morum, nam medetur animis, inanes detrahit sollicitudines, cupiditatibus liberat, pellit timores. Rursus aiebat Seneca, ab hac nunquam recedere religionem, iustitiam, pietatem, & omnem altum comitatum virtutum consertarum inter se quærentium; hanc decuisse colere diuina, dili-

Lib. 14. de ciuit. & cõtra Academic.
In Arithmetica.
In De Philosophia.
Lib. 1. Tuscu. quæst.
Super Beati immaculati.
Lib. 8. de ciuit.
In lib. de moribus.
In lib. 2. & 3. Tuscu. quæst.
Epist. 91.

Digitized by Google

gere humana, penes Deum imperium habere, & inter homi-
In lib. de pomo, & morte. nes consortium. De hac loquutus est Aristoteles, dum dixit:
Philosophia docet homines suum cognoscere Creatorem.
Socrates de Philosophia protulit, quòd vera Philosophia est
Vera philosophia quæ est. mortis meditatio, hoc est separare se à carne. Quemadmodum dicebat Paulus Apostolus: Quasi mortuos, & ecce viui-
Ad Galat. 2. mus. Et rursus: Viuo ego iam non ego: viuit verò in me Christus. Hæc igitur est Philosophia vnigenita, de qua loquitur Author, quæ adhortatur vt Deo libenter pareamus, vt fortunæ viriliter resistamus, vt sequamur virtutes, vt feramus casum. Hæc quidem est, quæ facit Deum noscere, quæ ad institutionem rectè, & honestè viuendi pertinet, quæ est
De institutione nouitiorum. disciplinæ bonitas, & beatitudo. Nam, vt syllogizat Hugo, per scientiam itur ad disciplinam, per disciplinam itur ad bonitatem, per bonitatem ad beatitudinem. Damnatur quippe Philosophiæ abusus, non Philosophia in se: Philosophiæ insciti a, non scientia: extollitur Philosophia absolutè, summis laudibus concelebratur, quæ Deum facit noscere.
Super Cant. Philosophiam falsam Bernardus exprobrat, dicens: Philosophorum ventosa loquacitas, non bonus est imber, qui sterilitatem magis intulit terris, quàm fertilitatem. Vinum enim
secularis sapientiæ inebriat quidem, sed curiositatem; inflans, non nutriens; inflans, non ædificans; ingurgitans, non con-
Lib. vlt. Tusc. quæst. Philosophiæ laudes, & encomia. fortans. Philosophiam in se summis encomijs extulit Cicero, dum eam appellauit ducem vitæ, virtutis indagatricem, expultricemque vitiorum. Dum dixit, quòd non modo nos, sed omnino hominum vita sine illa esse non potuisset. Quòd vrbes pepererit, quòd dissipatos homines in societatem vitæ conuocauerit, quòd eos primò inter se domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum, & vocum communione coniunxerit; quòd sit lumen legum, magistra morum, & disciplina. Verum quæ est vnigenita, quæ sola soli vult coire, posiessori cunctis præstantior est. Illa namque extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad satus accipiendos. Quandoquidem
Lib. 2. Tusc. quæst. iuxta Ciceronem, cultura animi philosophia est. Cole igitur virtutibus animum, vt vnigenitam assequaris philosophiam: Nam ager quamquam fertilis, sine cultura tamen fructuosus esse non poterit.

Digitized by Google

χιτὼν ἡ ἀρετὴ τοῦ θεοῦ. ταύτην ὕφαινε, καὶ γίνῃ στολὴ τοῦ τὼ κτίσιν ἐνδυομένου.

PRAECEPTIO CLX.

Virtus, Dei indumentum est: hanc contexe, & ornaberis stola Dei, naturam humanam induentis.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLX.

NVllus pretiosam non amabit vestem, quinimo quanto pretiosior, tanto desiderabilior erit. Magis aurea appetet homo, quàm sericam, & plus sericam, quàm lineam, vel laneam, cæteris paribus. Vestis pretiosa ab omnibus amatur.

Inde est, quòd qui pretiosis induuntur vestibus, maiores vocantur: magnatibus enim propriè pretiosæ cõgruunt vestes. Quare Rex pretiosis solet indui vestibus, non plebeius: & à vestibus cognosci sæpe solet homo, qua dignitate fulget: etiam Saluator noster Christus dixit, quòd qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Matth. c. 11.

Verum inter quascumque personas Deus cum sit præstantior, nobiliori, præstantioriq; induetur vestimento. Nemo igitur erit, qui tale indumentum respuet, si sibi offeretur. Certè si Rex, seu præpotens aliquis vestem suam nobilem, alicui offerret, magno sibi esset honori, simili indui vestimento. At homo si vult, potest Dei indumento tegi, quo nihil pretiosius. Num verò Deus vestimentum habeat non est ambigendum. Quomodo autem habeat, & quale sit, est modò inquirendum. Quemadmodum igitur Deus nec oculos habet, nec manus, nec brachia, nec corpus, sed si in scriptura dicitur, Deum hæc omnia habere, per metaphoram, & rei similitudinem intelligenda veniunt: sicuti etiam Diuus Augustinus facit Deum totum oculum, totum manum, totum partem, non propriè, sed metaphoricè, & per similitudinem: quatenus enim omnia videt, ideo totus est oculus: omnia operatur, ideo totus manus: omnia replet, ideo totus pars: eadem quippe ratione Deus, vt Deus non indiget adiacente aliquo extrinseco, cum talium rerum ex- Deus dicitur habere membra corporalia metaphorice. Deus non indiget indumento.

Digitized by Google

pers omnino sit: indumenti præcipue, cum nec, vt dictum est, corporea contegatur mole, cui indumentum deseruit: Nec beatorum corpora vestibus indigebunt, cum gloria vestiantur inenarrabili: eruntque sicut Angeli Dei. Habet tamen indumentum suum quo tegitur, non corporale, & caducum: sed incorporeum, & immortalitate plenum. Virtus hæc est. Hac quidem indutus est Deus ab æterno: Hac omnia ex nihilo creauit, regit, prouidet, gubernat, succurrit, ac bonum suum vbique diffundit. Quid dico hac bonum diffundit, cum bonummet diffusiuum ipsa sit? Virtus sua bonitas est, misericordia, clementia, benignitas, compassio. Hanc igitur contexe, & tu fac tibi pannum, quo operiri possis. Ad panni opificium multa profecto requiruntur, requiritur primo materia, vel linea, vel lanea, aut cuiuscumque similis materiæ tractabilis: filis distincta quamplurimis. Exigitur textrina secundò vbi texitur, quatuor distincta angulis: pecten tertiò per quod fili transeunt: radius quartò per filos inambulans. Requiruntur deinde pedalia quibus fili hinc inde tracti, pannum efficiunt. His quidem omnibus ad panni opificium concurrere solent. Pannus virtus generalis est: textrinæ ædificium quatuor distinctum angulis, quatuor Cardinales virtutes sunt, quibus telæ, vel panni artificium sustentatur: radius in quo est & arundinis frustrum quo filus reuoluitur, & ferrum vbi arundo figitur, Fides, Spes, & Charitas: ferrum Fidei correspondens, arundo Spei, radius Charitati. Pedalia verò consideratio propriæ fragilitatis, exinanitio, abiectio suiipsius propter Deum: fili virtutis comites, probitas, æquitas, candor, & similia: pecten virtutum discretio. Bonum itaque pannum contexes, si hæc omnia optimè adaptaueris: hisque omnibus delectatus fueris. Ornaberis profectò stola Dei naturam humanam induentis, quæ virtus est inexplicabilis. Sicut enim Deus carnem induens humanam, carnis imperfectiones fugauit, vnde & virtutibus quibuscumque repletus fuit: nam Christus in carne natus de Virgine, contagio culpæ inquinatus non est: ita & tu virtutis veste, quæ est & Dei vestis, contectus: peccato non inquinaberis. Ideo dicit Author, vt contexas Dei vestem, quæ est virtus, vt stola Dei humanam naturam induentis, ornari possis.

Dei indumentum est virtus.

Ad pānī opificiū quæ requiruntur.

Nota diligenter.

Carnis Christi puritas.

Ora

Digitized by Google

Ὅσα ἐπὶ γῆς κλέπτεται. τὰ κατ' οὐρανὸν ἐργάζου. ταῦτα γὰρ εἰς οὔτος τῶν συλώντων δακτύλους οὐκ εἰσέρχεται.

PRÆCEPTIO CLXI.

Quæcumque in terra furto auferri possunt, fugito: & acquire cœlestia. Ea enim in prædantium digitos non perueniunt.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXI.

THesaurus, qui latronem non timet, ingens quidem thesaurus est, & nobilis: quia securus; non enim deprædari potest, ac propterea perseuerabit semper; quid igitur hoc thesauro nobilius? Qui verò furem timet, inquietus thesaurus est: quia non securus; ideo non perseuerabit, sed in deprædantium digitos tandem perueniet. Ex his duobus, si authoritas, optioque tibi daretur eligendi: credo thesaurum, qui est securus te electurum, quia inepti, & dementis esset viri oppositum facere. Rerum ergo mundanarum thesaurus non est securus, quia terrenus, ideoque inconstans, & ammissibilis: Cœlestium verò securissimus, quia amittiri non potest, quia perpetuus: ac propterea hic acquirendus, ille verò fugiendus. Omnia quippe mundi bona in vniuersum duplici quidem furto auferri possunt: proprio, & alieno. Proprio, quia ex seipsis intereunt: alieno autem, quia aut dominorum luxu consumuntur, aut diripiuntur extraneis, dolo, vi, vel calumnia. Quæ enim res ita constans habetur, quæ tandem temporis decursu non deuoluatur? Quæcumque enim sunt in mundo, aut sunt aurum, argentum, & similia: aut vestes, aut lapides pretiosi. Metalla erugine demoliuntur, vestes tinea corrumpuntur: lapides pretiosos fures furantur. Igitur qualia bona sunt, ob quæ latro non timetur, propter quæ non timetur seruus, amicus, propinquus, affinis, ne te tandem occiso auferat, & fugiat? Qualia igitur inquam bona sunt, quæ tinea corrumpit, & erugo demolitur? certè si vera bona essent:

Thesaurus securus nobilis.

Mundanorum rerum thesaurus non est securus.

Bona mundi duplici furto auferuntur

Digitized by Google

Ad Lucilium ep. 91. essent: securitatem tibi præstarent. Bene dixit Seneca, quòd quicquid longa series multis laboribus, multa deinde diligentia struxit: id vnus dies spargit, & dissipat; & verè sic est; nam omnia casura extant. Quid igitur facies? Author docet, quæcumque in terra furto auferri possunt, fugito. Congrua quidem verba Saluatoris Christi dictis inquientis: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. Verum si ditescere desideras, acquire cœlestia. Illa enim vera bona sunt, quia cum habemus perdere non possumus: quandoquidem etiam iuxta Authorem, ea in deprędantium digitos non perueniunt. Quinimò Saluator noster aiebat, Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi erugo, & tinea non demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Acquire igitur cœlestia, quæ sunt sempiterna. Sed acquires, si diuitias contempseris, si despexeris gloriam, si spreueris inimicorum supplicia, si neglexeris remissionem, & quietem. Quandoquidem diuitias contemnendo, locuplex eris: gloriam despiciendo, glorioſus: supplicia inimicorum paruipendendo, victor: remissionem, & quietem negligendo, abundans. Qui diuitias contemnit, dixi, quòd locuples erit: nam qui omnia contemnit, signum est nulla re iam indigere: ac ideo omnia habebit. Quare & Valerius dixit, locuples est, qui non multa possidet: sed modica desiderat. Et Seneca: Maximæ diuitiæ sunt, non desiderare diuitias. Et qui gloriam despicit, glorioſus est: quia qui paruifacit gloriam, supra gloriam est: & idē Seneca docuit: Regnum est nolle regnare cum possis. Et qui inimicorum supplicia paruipendit, est victor: quia si ex silentio dum taxat ei qui te læsit, funestam das plagam, quid erit, si supplicia paruipenderis? Dixi tandem, quòd qui remissionem, & quietem negligit, erit abundans: quia abundantia ex operatione resultat. Vidisti nunquam pigrum abundantem? si tamen erit, deficiet. Fugito itaque terrena, & conare acquirere cœlestia.

Matth. 6.

Vera bona quæ sint.

Cœlestia bona quomodo acquirenda.

Lib. 1. Lib. de moribus.

Digitized by Google

Παραιτεῖσθαι δεῖ τὸ τρυφᾶν. ἕλκει γὰρ εἰς πράξεις, ἀφ' ὧν στεναγμοὶ μετὰ τὴν νῆψιν γίνονται.

PRÆCEPTIO CLXII.

Delicatè viuere fugere oportet: ad opera enim rapit, ex quibus gemitus post sobrietatem oriuntur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXII.

Delitiæ, quæ à delitio dicuntur verbo, quod propriè est attraho, & duco: caducis, & inanibus certè rebus imponuntur; quatenus vt grata, & iocunda nos attrahere, atque ad voluptatem allicere solent. Sunt enim quæ maximè nobis sunt voluptati. Vnde delitiosi, seu delicati, delitijs pleni, vel in delitijs viuere assueti; qui nec substinere aliquos labores possunt: nec aliquid minuens delectationem. Has quippe fugiendas admonet Author, rapiunt namque ad opera, ex quibus gemitus oriuntur post sobrietatem, hoc est post illarum defectum. Dupliciter quidem auersandæ sunt delitiæ, & quòd nocent: & quòd fallunt. Nocent certè, quia corpora resoluunt, vires relaxant, vsus illarum assiduus tollit vigorem: & vt dicit Plutarchus, sunt hæc vnde morborum, & lassitudinem copia egregiè proficit: & senectæ rudimenta in iuuentute præludunt. Dicebat Cassiodorus: Facilè onus afflictionis sentiunt: qui vti suauibus delitijs consueuerunt. Dicebat Seneca, & hoc est, quòd maximè officit, effœminat animos amœnitas nimia. Fallunt deinde, quia in aperto minimè pugnant: cito enim caperentur. At nunc ideo inuisæ, quod celant inimicitiam: indutæ beneuolentiæ habitu. Auersandæ igitur sunt delitiæ, quia nedum corpora, sed mores, & animum deperdunt. Affluentiam enim ciborum comitari solet insolentia verborum, vt author est Hugo: & saturitatem ventris sequitur leuitas operis, & vanitas mentis. Sed adde, quòd inter delitias cum vigeat otium, huius comites sunt murmuratio, maledictio, & luxuries. Oportet igitur fugere

Delitiarum ethymologia.

Delitiæ cur auersandæ sunt.

In lib. cõtra voluptat.

Epist. lib. 4.

Epist. 52.

In libro de clausto animæ.

Delitiarum malignitas.

Digitized by Google

fugere delitias; sed fugies, si à labore non cessabis, si sudabis, si non quiesces, si famesces, si sities. Tale fuit responsum coqui Dionysij Tyranni, qui delitijs quibuscumque vacans, cum semel lautissimè cœnasset: negauit se delectatum esse in cibo. Respondit coquus, minimè mirum: quia condimenta deficiunt. Qui cum quæreret, quæ essent illa? respondit coquus, labor, sudor, cursus, fames, sitis: talibus enim Lacedemoniorum epulæ condiuntur. Innuens per huiusmodi responsum delitias etiam esse causam nec appetentiæ, nec delectationis ciborum. Ideoque diximus delitias resoluere corpora, relaxare vires, & illarum vigorem tollere; vnde oriri appetitus amissionem oportet. Maledictæ delitiæ, quæ vtramque impediunt sanitatem. Sicut enim corporalem impedit sanitatem crebra remediorum mutatio, ita vtramque impediunt sanitatem varia delitiarum genera. Planta, quæ sæpe transfertur, non conualescit: homo, qui de delitijs ad delitias transit, non erit sanus. Nec dicere poteris, corporalibus, & spiritualibus simul vtar delitijs: sicut enim ignis, & aqua simul esse non possunt: sic spirituales, & corporales delitiæ in eodem se non compatiuntur. Bene dixit Bernardus, vbi crapulam ructantis inter pocula Christus senserit, diuina sua dulciora super mel, & fauum menti propinare dedignatur. Vbi curiosa diuersitas ciborum pascit ventrem, cœlestis panis ieiunam deserit mentem. Ita quoque de reliquis delitiarum speciebus progrediendum est. Turpe est igitur homini cuilibet, præsertim Christiano, si ventri, & gulæ deseruiat, si vnguentis oblinitus, aut floribus coronatus incedat, si pompaticè deambulet, si mollibus vestitus in publicum appareat, si luxibus quibuscumque incumbat; qui hæc facit, vtique insipiens, ineptus, & nihil est. Igitur delicatè viuere tamquam rem pestiferam fugito: quia ad opera tandem rapit, ex quibus post delitiarum finem gemitus oriuntur. Scis enim, quòd post placebo, cantatur heu me, sic erit delitijs assuetis, delitijs namque vtrobique patientur.

Nota.

Delitiæ impediunt animæ, & corporis sanitatē.

In epist. ad Fulgent.

Qui delitijs vacant.

Digitized by Google

Τοὺς λογισμοὺς ἄμεινον τοὺς φιλοσάρκους βδελύττεσθαι. φθείρει γὰρ τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχὴν μολύνουσιν.

PRAECEPTIO CLXIII.

Cogitationes carnales satius est abhominari: corrumpunt enim corpus, & animam polluunt.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXIII.

NEmo corruptionem sui corporis appetit, neque animæ pollutionem. Naturaliter enim homo incorruptibilitatem, & munditiam desiderat. Si dixeris, etiam Ethnico, num corpus tuum corrumpi velis, & animam pollui? certè respondebit non: nisi sit amens. Nam infidelis naturaliter scit, malum esse corpus corrumpi, quia mala est corruptio: & naturaliter scit malum esse animam pollui, quia immunditia mala est. Igitur vtrumque abhominabitur. Inter cætera quæ corpus corrumpunt, & animam polluunt, non inueniuntur peiora, quàm cogitationes carnales. Quis putaret corpus corrumpi, & animam pollui carnalibus cogitationibus, cum sint res non corporales? & tamen re uera ab his alterum corrumpitur, altera verò polluitur. Quomodo autem id efficitur, sciendum est, quòd duplici cogitationum genere molestatur homo: carnali, & spirituali. Carnali molestatur, qui terrena sapit: spirituali, qui cœlestia. Carnali, qui Diaboli instinctu ducitur: spirituali, qui spiritu Dei aguntur, iuxta illud: Hi filij Dei sunt, qui spiritu Dei aguntur. Carnali, qui obscœnis immergitur rebus: spirituali denique, qui æternis. Scribitur enim: Qui de terra est, de terra loquitur: igitur, qui de cœlo est, nonnisi cœlestia loqui maximè consentaneum est. Vtrique tamen fit raptus, & abstractio animæ circa mores: sed inæqualiter. Primùs enim ad vitia rapitur: secundus ad virtutes. At satius est vitia abhominari, quinimò & cogitationes carnales, quæ vitia pariunt: satius est abhominari, idque gemina de causa: ob corruptelam, & ob pollutionem. Cogitationes

Homo naturaliter incorruptibilitatem, & munditiam desiderat.

Cogitationibus carnalibus quomodo corp⁹ corrumpitur, & anima polluitur.

Digitized by Google

namque carnales nedum vitia, duobus quippe malis hominem afficiunt: secundum quod etiam ex duabus constat partibus: corruptela, & pollutione: Corruptela circa corpus: pollutione erga animam. Nam corrumpunt corpus operatione; & animam polluunt consensu. Et quamuis anima spiritus sit, in qua nihil propriè corporalis res agere potest: vitio tamen polluere ipsam possunt affectu, qui ab anima procedit. Quinimo cum sit corporis forma, totumque ipsum repleat: polluto corpore, necessario sequitur pollui animum, nisi cum corpus inuitè pollui cogatur. Tunc enim intacta, & munda remanet anima: quia peccatum inuoluntarium non coinquinat hominem. Dicebat beata Lucia: Si me inuitam violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Nemo igitur nostrum tenetur ad culpam, nisi propria voluntate deflexerit. Quinimo nec pœna æterna, quæ ad peccatum consequitur, meretur quis condemnari: nisi propria voluntas adsit. Vnde Bernardus dixit: Tolle propriã voluntatem, & non erit infernus. Quare si quis inuincibili ignorantia aliquid de genere malorum faceret, ad peccatum ei minimè imputaretur, cum huiusmodi ignorantia tollat voluntarium, iuxta B. Thomam. Sicuti si quis violenter actum de se bonum faceret, non esset meritorium; quia nullus potest mereri inuoluntariè: Ideo Aristoteles quamuis Ethnicus, dixit: Nullus est beatus, nolens. Itaq; si vis non corrumpi corpus, nec animam polluit cogitationes carnales abhominari penitus necesse est. Abhominare igitur & tu tales cogitationes, amplectere spirituales; nam & duo tibi præbebunt bona, exornabunt quidem corpus incorruptibilitate: animam verò sanctitate.

Cogitationes carnales operatione corrumpunt corpus, & animam consensu.

Corpus cum inuite corrũpitur, intacta remanet anima.

1. 2. q. 26. art. 3.

3. Ethic.

Οὐδὲ τὰ τῆς γῆς ἀγαθὰ χωρὶς κόπων κτῶνται ἀνθ' ὅτου τοίνυν τὰ οὐράνια, διὰ τὸν μόχθον ἐκκλίνομεν.

PRAECEPTIO CLXIIII.

Neque terrena bona sine laboribus parantur: Cuius igitur gratia, cœlestia propter laborem declinamus?

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXIIII.

HOminis bonum duplex in vniuerſum eſſe decernitur: corporale, & ſpirituale. Corporale, eſt omne bonum externum, potentia, diuitiæ, dignitas, pulchritudo, ſcientia, fortitudo, & ſimilia ferè innumera: ſpirituale verò, omne bonum internum, quatenus à Deo in animam venit. Temporale nullius momenti eſt reſpectu ſpiritualis. Hoc enim in perpetuum ſatiat: illud paulatim abſumitur, corrumpiturque. Hoc non habitum appetitur: habitum faſtidit. Illud habitum non faſtidit: ſed magis amatur. Corporalia bona (vt iam diximus) vtique ſunt diuitiæ, honores, dignitates, & cætera: ſpiritualia verò, gratia, & gloria. Vt quid ergo propter corporalia tamdiu affligimur? vt quid pro temporali gloria vſq; ad interitum deſudamus? pro terrenis lucris, pro acquirendis diuitijs, honoribus, ſcientia, fama, gloria, & ſimilibus: ſæpe nuditatem, famem, deiectionem tolleramus: pro ſpe autem perpetua, pro cœleſti mercede, pro beatitudine adipiſcenda, pro gratia, & gloria, quæ nos beare poſſunt, ſicuti de facto beant: nec parum in labore ſubſiſtimus. Heu miſeram hominum conditionem, ſi terrena hæc bona laboribus paramus, cuius igitur gratia cœleſtia propter laborem declinamus? Videmus certè ob terrenam retributionem militem diu, noctuque vigilare: mercatorem maria tranſnatare, montes conſcendere, regiones inuiſere nouas: bubulcum terram fodere, arare, ſubiectum frigori, æſtui, aquarum inundationi, ventorum flatui: artifices omnes ſudare, multaque incommoda pati, nonniſi ob temporale lucrum, & quidem paruum: Equi currunt ob pallium, canes ob panem ſaltant, aues cantant ob cibum, ſimiæ iocantur nonniſi ob mercedem, cunctaque fatigantur propter retributionem. Et quæ merces eſt illa? quæ retributio? temporalis certè, & exigua. Et animalium? parua, & tenuis cum modica dominorum ſuorum vtilitate. Si igitur temporalia cum tanto labore acquirere conamur, cur ſine labore cœleſtia adipiſci credimus? Bene dicebat Gregorius Pontifex: Omnes huius ſeculi dilectores in terrenis rebus fortes ſunt: in cœleſtibus debiles. & paulo inferius:

Bonum hominis quotu

Corporalia bona quæ.

Cuncta laborant propter lucrum.

Lib. 3. & 19. moral. & habetur diſt. 47 cap. omnes.

Digitized by Google

ferius: Superna autem laboriosè quærere tanto magis dissimulant: quanto magis ea retribui putant. Ne declinemus igitur fratres laborem quemlibet, vt cœlestia tandem assequi valeamus. Nam indigni certè hominis est minora cum labore acquirere, maiora verò ob laborem perdere. Quid enim minus re terrena? quid maius cœlesti? Si igitur terrena bona laboribus acquiruntur: cœlestia nonnisi laboribus assequi debent.

Εἰ βούλει τῷ ἀρετῷ ἐκτὸς πόνου ἐργάζεσθαι, λογίζου τὸν πόνον πρόσκαιρον, τὸν δὲ μισθὸν αἰώνιον.

PRÆCEPTIO CLXV.

Si vis virtuti contra laborem studere: cogita laborem temporaneum esse, mercedem verò æternam.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXV.

Lib. 2. Ethic.

PRæsupponit Author virtutem haberi non posse sine labore, vnde quidam virtutem duram, & quasi ferream esse voluerunt: & Aristoteles circa difficilia semper fieri artem, & virtutem docuit. At quidem initio difficilis est, facilis autem postremo, testante etiam Hesiodo antiquissimo Poeta, Lib. 6. epist. famil. ad Leptam. hisce versibus: quorum Cicero alias meminit.

Ante virtutem Dei sudorem posuerunt
Immortales: longa, & ardua via ad ipsam,
Et aspera primum, postquàm ad summum peruentum fuerit
Facilis deinde est, difficilis quamuis fuerit.

Quos & alij sic reuoluerunt.

Virtutem posuere Dij sudore parandam, &c.

Lib. 2. Eleg. 2 Sed Ouidius in de Ponto sic illustrè cecinit.

Difficile est fateor, sed tendit in ardua virtus:
Et talis meriti gratia maior erit.

Remedium contra laborem. Dat itaque Author documentum, vt quamuis virtus labore exquiratur: si virtuti contra laborem studere desideras, duo prorsus cogitare debes, laborem temporaneum: mercedem verò

verò æternam. Non igitur te terrere debet tam paruus labor: vbi tam longam recipere speras pro virtute mercedem. Et de moralibus virtutibus, quæ in bonis operibus consistunt, loquitur Author: quarum præmia sunt in cœlestibus, non autem de intellectualibus. Nam eum his potest esse peccatum: cum illis verò minimè. Implicat enim, vt quis moralibus virtutibus sit præditus, bonisque vacet moribus: & tamen in eo peccatum regnet. Quippe quod omnem excludit virtutem: & quicquid vitio contrarium est, virtus dicitur. Intellectualis verò virtus minime, quia cum illa potest esse esse peccatum: idest habens virtutes intellectuales, potest habere peccatum: si autem morales omnes, minime. Nam qui habet prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem, castitatem, humilitatem, compassionem, & similes morales virtutes (præsuppositis Theologalibus) impossibile est, vt sit iniquus simul, & semel: quia iniquitas hæc omnia excludit. Ideo virtutem diffinit Cicero in Rhetoricis, quòd sit affectio animi constans, conuenienſque, laudabiles efficiens eos in quibus est: & ipsa per se, & sua sponte separata etiam vtilitate, laudabilis. Et alij virtutem esse dixerunt perferendorum malorum fortis, atque inuictam patientiam. Cumque cæteris quibuscumque virtutibus fortitudo præstet: factum est, vt omnes rectæ animi affectiones virtutes appellentur. Inde virtus à viro dicta est: quia viri propriè maxime est fortitudo, & vir dicitur eo quod maior vis est in eo, quàm in fœmina: & hinc (vt Lactantius Firmianus deducit) virtus nomen accepit. Optimum itaque remedium est ad exercendas virtutes contra laborem, putare laborem quandoque defecturum: mercedem verò in perpetuum duraturam. Igitur stude virtuti, ne timeas laborem, contemne illum. Hic deficit tandem: illa nunquam perit. Hic finem habet: illa nunquam marcescit. Quinimo futura merces tibi spondetur in cœlo: vbi dies semper est æternitatis, non temporis.

Peccatū potest esse cum intellectualibus virtutibus.

Virtutis moralis diffinitio.

Virtus vnde dicitur.

De opificio Dei.

Digitized by Google

Ὅσοι πρὸς τὰς ἡδονὰς τὰς ἀτίτους προτετήκασι τῆς ἀπολαύσεως τὸ βαρύ, καὶ τῆς τιμωρίας τὸ μακρὸν λογιζέσθωσαν.

PRAECEPTIO CLXVI.

Qui ad voluptates obscœnas coliquescunt, cogitent illi voluptatis breuitatem: & pœnæ magnitudinem.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXVI.

VOluptates, quia inclinationem dicunt ad sordidæ mentis illicita, cum quadam lubrica suauitate, omnino fugiendæ sunt: quemadmodum sancta à Diabolo. Qui enim ijs delectantur, minus aut nihil boni habẽt: multa verò dolorosa. Quare vocabat Antiphon voluptatem sororem tristitiæ. Solon, & Menander Philosophi dicebant: Fuge voluptatem, quæ in posterum dolorem parit. Architas Tarentinus inquiebat, nullam capitaliorem pestem, quàm voluptatem corporis: hominibus à natura datam. Plato escam malorum voluptatem appellabat: quod ea homines capiuntur, vt pisces hamo. Male senserunt, qui voluptatem summum bonum dixerunt: vox quidem pecudum, non hominum esse videtur. Nec verum est, Epicurum summum bonum in voluptate constituisse, quam initium, & finem vitæ beatæ appellitauit: non enim omnem voluptatem illo modo statuit. Fœliciter id ostendit Bartholomeus Minerua clarissimus Pater meus in de vita Epicuri: rationibus allquibus ex epicureis institutis depromptis. Quandoquidem Epicurus Gargetius, Aeliano teste in de varia historia, exclamabat: Cui parum non est satis, nihil sufficere potest. Idemque aiebat aliquando cum quolibet se de fœlicitate certaturum: dummodo mazam, & aquam haberet. Rursus, Turget mihi voluptate corpusculum, aqua, & pane vtor: at sumptuosas voluptates expuo, non tamen ipsarum causa: quàm sequentium ipsas incommodorum. Idemque dicebat: Si quem volueris diuitem efficere, non est, quod

Voluptatũ malignitates.

Voluptas nõ est summum bonum.

beatitudo nõ cõsistit in voluptate carnali iuxta Epicurum.

Digitized by Google

quod augeas opes : sed minuas cupiditates. Item cum quæreretur, qua quis arte ditescere? non si præsentibus adiecerit, resonit: sed si vsum, & necessitatem sibi persuasam circunciderit. Ex quibus omnibus manifestum est, Epicurum minime summum bonum in voluptate carnali constituisse. Verum enimuero quis voluptatum appetentiam plenam quidem anxietatis, satietatem verò pœnitentiæ negabit? Reminiscere quæso libidinum tuarum: intelliges enim quàm tristes fuerint tuarum voluptatum exitus. Quod si te beatum dixeris, quia in voluptate fœlix permanseris: etiam & pecudes beatos dicam, quia voluptatibus omnino deditos. Nullam igitur discrimen inter te, & eos deprehendetur. Sed quid? nonne voluptates breues? breues quidem; pœnæ earum nonne maximæ? maximæ quidem: Hic namque incipiunt: ibi verò nunquàm desinunt. Scis enim quòd infernus est perpetuus, vbi maximam damnati patiuntur pœnam, & duplicem quidem: alteram ob auersionem à Deo, priuationem Dei, quæ est pœna damni: alteram verò ob voluptates obscœnas, pœnam sensus. Iustum namque est, vt qui se à Deo auertit ob voluntatem perpetuam in malo, priuetur Deo in perpetuum: & qui ad voluptates obscœnas se conuerterunt, ob voluptates sentiant pœnam. Igitur qui ad obscœnas colliquescunt voluptates, sciant voluptatum breuitatem: & pœnæ magnitudinem. Desinunt quippe voluptates, quia mundanæ sunt: pœnæ verò non desinunt, quia perpetuæ.

Voluptatum exitus tristes

Voluptatum pœnæ maximæ.

Ὅσον ὁ βίος ῥυπαρὸς, κτηνώδης εἰκότως ἡ ψυχὴ, καὶ πηθῶν ὡς λογισικὸν ὑφ' ἑαυτῶν ζημιωθέντες ἀφαίλευσι.

PRAECEPTIO CLXVII.

Si vita est sordida, bestialis est sine dubio anima: debentque lugere rationem homines à seipsis pœnis affecti.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT CLXVII.

Hominum vita quotuplex.

TRiplex est vita hominis, practica, speculatiua, & voluptuosa. Practica propriè hominum est, speculatiua Angelorum, voluptuosa bestiarũ. Quia praxis hominibus propriè conuenit, speculatio Angelis, voluptas bestijs. Quapropter si primam attenderis, verè hominem te ostendes: si secundam, indues Angelum: si tertiam, bestiam. Ergo bestiarum vita cum sit voluptuosa, vitaque voluptuosa sit sordida: bestiarum vita sordida erit. Ergo si vita hominis est sordida, bestialis erit sine dubio anima: quippe, quæ communicabit cum bestijs ea quæ propriè bestiarum sunt. Bestiarum autem propria sunt voluptates, luxus, deliciæ. Quare dicebat Cicero: Voluptatem bestijs concedamus: & rectè, quia bestiarum finis voluptas est, quæ cum sit sordida, si talis hominum erit: bestiales penitus emergent. Quandoquidem homo versatilis naturæ, & anceps est: cui namque hæret, ibi se figit, cameleontisque naturam sequitur: qui in omnibus, quibus voluerit, se transformat coloribus. Si mundis rebus, & secundum spiritum, Angelis sociatur, quia Angelorum vita est cum cœlestibus: si autem sordidis inhiat, bestijs coniungitur: quia bestiarum vita sordidis voluptatibus æstuat. Sed infœlices tales, quia à seipsis pœnis afficiuntur innumeris: inquietitudine scilicet, molestia, effœminatione, laxitudine, corruptela, noxijs omnibus. Et quod optimum in eis est, nempe ratio vndique conturbatur: ac propterea lugenda est; quandoquidem cum ipsa belluas homo præcellat, Angelis coequetur, Deum verò sequatur: ob sordidam vitam sordescit, & maculatur omnino; ac propterea bestiæ similis inspicietur. Miser homo, qui cum ratione animalia præcellat: sordidis rebus inquinatur; ideoque bestialis efficitur anima. Cætera quidem, quæ sunt in homine vel communia animalibus sunt, vel minora. Nam & si fortis sit homo, fortior est leo. Si formosus, itidem & pauo, vel arpia, vel syrena. Si velox, nonne equus velocior? Si corpus habet, arbor quoque corpus habet. Si impetum habet, & motum voluntarium: bestiæ, & vermes hoc habent. Si habet vocem: præstant canes claritate, aquilæ

Lib. 2. de finibus bonorum, & malorum.

Hominum bestialiũ tormenta.

Homo præcellit animalia ratione, alia verò cõmunicat cũ animalibus.

Digitized by Google

aquilæ acuitate, tauri grauitate, luſciniæ dulcedine, atque mobilitate. Sicque diſcurrendo inuenies omnia quæ ſunt in homine vel communia animalibus, vel minora. At ſola ratione præſtat, excediteque cætera animalia: & tamen ſordidis dum ſe immiſcet rebus, beſtialis dubio procul euadit. Fuge igitur ſordidam vitam ò homo: ne amiſſa ratione, beſtialis euadat anima.

Πάντα νόμιζε φθαρτὰ, καὶ τὴν ἀρετὴν ἄφθαρτον.

PRAECEPTIO CLXVIII.

Omnia corruptioni obnoxia eſſe putato: ſolam verò virtutem incorruptibilem exiſtere.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXVIII.

OPibus nemo fœlix deprehenſus eſt, cum rerum copia tam aſſiduo parta labore: pereat tandem; fortunæ enim eſt poſſeſſio, quamuis etiam vel liberalitate perdantur: vel parcitate putreſcant. Viribus nemo fortis, & gratia formæ nemo conſtans: illæ namque ſenio effluunt, ægritudineq; contabeſcunt facilè: hæc temporis reuolutione flaceſcit, paruoque durat tempore. Vnde Ouidius Poeta optimè cecinit.

Nemo opibus fœlix eſt.

Nemo viribus fortis eſt, neque gratia formæ conſtans.

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos
Fit minor, & ſpatio rumpitur illa ſuo.

Sanitate nemo glorioſus: nam & morbis varijs membra dolore premuntur. Nobilitate nemo clarus, cum omnium idem ſit conceptus, vterus, partus, ortus, & interitus: quamuis etiam ſit bonum alienum. Gloria nemo permanens, quia permutationi prorſus obnoxia: facileque vulgi improbitate deſtruitur. Voluptates quælibet nulli ſtabiles, quia vix bene manent: fugiunt namque momento. Omnia demum nulli beata: cum miſerijs plena vndique cernantur. Igitur bene dicit Author: Omnia corruptioni obnoxia eſſe putato. Quæ igitur res illa eſt, quæ ſemper manet, quæ nullis fortunæ incommodis obnoxia eſt? quæ eſt intrepida? quæ ſenij ignara?

Nullus vel ſanitate, vel nobilitate, vel gloria gloriari poteſt.

Digitized by Google

quæ post fata superstes durat? quæ ad cœlum præuia pandit iter? quæ immortalitate gaudet? quæ verè beat? Virtus quippe est. Hæc enim sola incorruptibilis existit, possessio eius æterna, diuitijs potior, generis splendore vtilior, corporis ornamentum, & animæ vestis. Hæc est, quæ nullius fortunæ tollitur incursu, nullaque calumnia temporis iniuria distrahitur: quæ desidiam dedecus, laborem laudem extimat. Beatus cuius menti ipsa coaluerit: sola namque consenescet. At summis laudibus virtutem concelebrauit Antonius Borbonius vir doctissimus suis metricis versibus: quorum hos duos excerpsimus.

Virtutis encomia, & laudes.

Nempe Dei donum virtus fœlicitat ipsa
Post cineres virtus, viuere sola facit.

Igitur virtutem incorruptibilem existere putato: cætera verò corruptioni obnoxia.

Λοιμὸν τῶν ἄλλων ὅσα κτηνώδη κατασκευάζει τὸν ἄνθρωπον. ἐργάζου δὲ ταῦτα, ὅσα σε οὐράνιον ἀναδείξει δυνήσεται.

PRÆCEPTIO CLXIX.

Neglige alia omnia, quæ bestialem efficiunt hominem. Ea verò perage, quæ te cœlestem habere originem ostendere possunt.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXIX.

POtest ne homo effici bellua, cum Author dicat, neglige alia omnia, quę bestialem efficiunt hominem? paulòque superius dixerit, si vita est sordida, bestialis est sine dubio anima? potest ne substantia in aliam conuerti substantiam? quod dubio procul esset, si substantialiter in belluam mutaretur homo. At quidem id impossibile omnino est. Figmenta sunt certè Poetarum transformationes, Narcisum scilicet in florem mutatum esse: Daphnim in laurum, aut iuuencam: Aretusam in fontem: in arborem Cipariſſum, in ceruum Atheonem, & similia inania (quamuis diuina virtute id fieri possit:

Poetarum transformationes figmenta sunt.

Digitized by Google

possit: vt patet de vxore Loth, quæ propter inobedientiam, in statuam salis versa est secundum corpus). Sed nequit homo in aliam transformari substantiam, sed quemadmodum Aristoteles dicit intellectum fieri rem intellectã, quod amor vehemens transformet amantem in rem amatam metaphoricè: sicut etiam dicitur hominem absque naturæ, & essentiæ mutatione ob virtutes diuinas Dei formem fieri: rursus, quemadmodum Paulus Apostolus dicebat: Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus: ita ob vitia versus homo in malitiam, humanam certè amittit naturam; rationemque similitudine, iuxta illam Regis Prophetæ loquutionem; Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hæc quidem negligenda sunt, nam & ista bestialem efficiunt hominem. Qua enim ratione poterit esse, vt quem transformatum vitijs videas, hominem existimare possis? Detractio cani attribuitur ob mordacitatem, immunditia sui ob volutionem in luto: ambitio aquilæ ob altum volatum: insidiæ vrso propter malitiam: superbia leoni ob rugitum: obstinatio aspidi propter obtusas aures, vnam in terra fixam, reliquam verò cauda clausam: iracundia draconi ob repentinum aggressum: fraus vulpi ob fallaciam, & astutiam: rapacitas lupo ob voracitatem: luxuria hœdo propter frequentem coitum: lasciuia equo ob lubricam naturam: segnitia, ac torpor asino ob stoliditatem: pauor ceruo ob stuporem: timiditas lepori ob naturæ imbecillitatem: inconstantia auibus quibuscumque propter inuium volatum. Nihilominus tamen detractio in homine facit hominem canem, immunditia in homine facit hominem suem, ambitio facit aquilam, insidiæ vrsum, superbia leonem, obstinatio aspidem surdum, iracundia draconem, fraus vulpem, rapacitas lupum, luxuria hœdum, lasciuia equum, segnities, ac torpor asinum, pauor ceruum, timiditas leporem, leuitas, & inconstantia auem quemlibet. Igitur probitate deserta, malitia verò assumpta, desinit homo esse homo: ergo vertitur in belluam, belluarum naturam, & conditionem assumens: quia in diuinam transire non potest conditionem. Heu statum miserum. Homo ab homine euadit bellua? Quid igitur faciam, dices? Author docet, vt peragas ea, quæ te cœlestem habere originem ostendere possunt.

Homo quomodo in aliã transformatur substantiam.

Vitia animalibus attributa.

Animaliũ vitia in homine, facit hominem belluam.

Digitized by Google

Virtutes q̃libet faciunt hom̃ né cœleſtem.

Iſta verò virtutes omnes erunt, præſertim ſupradictis vitijs oppoſitæ: ſcilicet taciturnitas, candor, ſpretus mundi, charitas, humilitas, captiuatio intellectus, manſuetudo, ſimplicitas, modeſtia, caſtitas, continentia, ſollicitudo, ſeu labor, reſiſtentia, virilitas, & conſtantia. Taciturnitas contra canis detractionem, candor contra ſuis immunditiam, ſpretus mundi contra ambitionem aquilæ, charitas contra inſidias vrſi, humilitas contra leonis ſuperbiam, captiuatio intellectus contra obſtinationem aſpidis ſurdi, manſuetudo contra draconis iracundiam, ſimplicitas contra fraudem vulpis, modeſtia contra lupi rapacitatem, caſtitas contra luxuriam hœdi, continentia contra laſciuiam equi, ſollicitudo contra ſegnitiem aſini, reſiſtentia contra cerui pauorem, virilitas contra leporis timiditatem, conſtantia denique contra inconſtantiam auium. Hæc quidem ſi obſeruata à te fuerint: oſtendent te cœleſtem habere originem, non terrenam. Alia verò beſtialem hominem te efficient, & manifeſtabunt.

Ἐπιμελοῦ τῆς ἀρετῆς. αὕτη γὰρ διὰ φιλοσοφίας σὲ τὸν Ἀδὰμ ἀναδείκνυσι.

PRÆCEPTIO CLXX.

Operam da virtuti, ipſa enim per philoſophiam nouũm Adamum te conſtituet.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXX.

Adami primi legia, gratię, dignitates, & excellentiæ in Paradiſo voluptatis.

PRimus ille parens noſter fœliciſſimus in illo ſtatu ſuo, ſine vlla egeſtate, omnibus abundans rebus: nihil moleſtiæ, nec indigentiæ ſentiens; qui nec ſomno inuitus premi poterat, nec laſſitudine otioſus fatigari, nec ſiti affligi, nec fame pati, quinimo nec ætate conſumi. Nam dederat Deus cibum ne eſuriret, & potum ne ſitiret, & lignum vitæ ne illum ſenecta diſſolueret. Nullum inſuper actum metuebat extrinſecus, nullum morbum intrinſecus: creatus in gratia in habitibus naturalibus perfectis, & integris. Qui in ſui primordio

omnem

Digitized by Google

omnem perfectionem tam secũdum corpus, quàm secundum animam, quæ conuenit homini, accepit: virtutibus quibuscumque præditus, cognitione de Deo naturali, & supernaturali, omniq́ue alia possibili homini naturaliter exornatus: quinimo immortalis, & impassibilis secundum corpus passione propriè dicta. Quandoquidem erat Adæ corpus impassibile passione corruptiua, sed passibile passione perfectiua, (quamuis immortalitas, impassibilitasq́ue non ex principijs naturæ; sed ex Dei resultabant beneficio) in loco Paradisi conuersatio eius, odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria, & honore coronatus: super opera manuum Dei constitutus: societas eius cum omni militia cœlestis exercitus, terræ dominus, cœli ciuis, domesticus Domini Sabaoth. Miser tandem Diaboli inuidia lætalibus vulneribus sauciatus, omnia hæc deperdidit bona. Virtutibus quibuscumque priuatus, bonis omnibus spoliatus, è loco voluptatis cum dedecore expulsus, omnibus miserijs plenus, mortisq́ue dominio præsertim subiectus; causa tandem, & origo ruinæ omnium nostrum extitit. Vide ergo, quæ facit peccatum. Vide statum imparem. Vis igitur & tu fieri nouus Adam, operam da virtuti: quia virtus per philosophiam, hoc est per scientiam, & sapientiam: proculdubio te nouum Adamum constituet. At scias, quæ scienda sunt, scias non vt scias tantum, quia turpis curiositas est, iuxta Bernardum: nec scias, vt scientiam tuam vendas, quia turpis quæstus est: nec scias, vt sciaris, quia turpis vanitas est: sed scias, vt ædifices, quia sic charitas est: vel scias vt ædificeris, quia sic prudentia est. Scias tandem vt Deum noscas, virtutes colas, vitia fugias: quia vera scientia, & sapientia est, Deum noscere, virtutes colere, vitia fugere. Vera scientia, & sapientia non extollit; sed humiliat, facit iustitiam, contemnit humana, suscipit diuina; vt summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci. Hoc est illud quod Philosophi semper quæsierunt, nec inuenire potuerunt. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt (iuxta Pauli Apostoli epistolam) aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis: & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Quod Lactantius Firmianus explicauit, quia religionem aut prauam retinuerunt: aut totam

Diaboli inuidia Adã cuncta deperdidit bona.

Virtuti incũbendum est, vt fiat quilibet alter Adam.

Qui scit, quo modo scire debet.

Vera scientia quæ est.

Ad Rom. c. 1.

Diuin. instit. lib. 1.

Digitized by Google

tam penitus sustulerunt. Da igitur operam virtuti, sit scientia, & sapientia tua in Christo: Crede mihi, eris nouus Adam.

Εἰ κρατεῖς γαστρός, κράτει καὶ γλώσσης, ἵνα μὴ τὸ μὲν ὑπάρχειν δοῦλος, τὸ δὲ τυγχάνειν, ἀνόητος ἀλήθειρος.

PRAECEPTIO CLXXI.

Si ventri imperas, impera quoque linguæ: ne tum seruus existas ventris, tum etiam liber sis stolide:

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXI.

Solus Deus perfectus est

12. lib. met.

NEmo hominum potest esse vndequaque perfectus. Solus enim Deus, cui nihil deest, perfectus est. Ipse quidem præ omnibus modis perfectus est, etiam iuxta Ethnicos. Quare Aristoteles dixit, Primum principium oportet esse perfectissimum. At nō deest ratio. Primo, quia est prima causa effectiua rerum omnium, in cuius virtute agentis omnis effectus præexistit. Rursus, in ipso sunt omnium rerum perfectiones: subinde, est ipsum esse per se subsistens; ac ideo totam perfectionem essendi in se continet. Homo autem ab illa infinita perfectione valde deficit: ideo non potest esse vndequaque perfectus. Et quamuis similis sit Deo, hoc est, quatenus participat esse secundum aliqualem analogiam, non autem secundum eandem rationem speciei, aut generis. Subinde, Deus non est similis creaturæ, quamuis dicatur creatura similis Deo: quia in ijs, quæ vnius ordinis sunt, recipitur mutua similitudo, non autem in causa, & causato. Nemo igitur hominum est vndequaque perfectus. Nec vera est Aristotelis opinio, habentem scilicet virtutem vnam: & cæteras quoque habere. Melius dixit antea, virtutem vnam minimè hominem virtuosum facere: sicuti nec vnam hirundinem ver, nec calidam diem, & modicum tempus æstatem, quemadmodum etiam nec vnam diem, nec modicum tempus facere hominem fœlicem. Quoniam & si vir-

Rationes probantes summā Dei perfectionem.

Homo cur nō potest esse vndequaque perfectus.

Lib. 3. Ethic.

Lib. 1. Ethic.

Digitized by Google

virtutes iugatæ, & connexæ dicantur: inter se,& ad inuicem non in alio erunt. Quandoquidem possum ego esse liberalis, sed incontinens: & tamen liberalitas virtus est. Possum esse iustus, sed inuidus: & tamen iustitia virtus maxima est. Possum insuper esse misericors, sed gulosus: nihilominus tamen misericordia inter virtutes postremũ minimè obtinet locum. Non igitur vnam quis habens virtutem, reliquas habebit. Ideo Author dicit, Si ventri imperas,impera quoque linguæ: quia potest quis abstinens esse, non tamen taciturnus. Si igitur ventre abstinens fueris,loquax verò lingua:vnam tantum virtutem nempe abstinentiam habebis.Inquit itaque Author, quòd si ventti abstinentia imperas, imperare quoque debes linguæ nonnisi taciturnitate, modestia, circumspectione, silentio. Abhorre igitur loquacitatem, garrulitatem, dicacitatem, linguacitatem, & similia: quia hæ multos habent errores: detractionem scilicet,lites,iurgia,blasphemias, susurrationes, & similia penè innumera. Si abstinentiæ virtutem habes, acquirere stude virtutem taciturnitatis: secus seruus, & liber eris: seruus linguæ, liber ventris,sed stolide.

Virtutes quo modo iugatæ,& connexę dicantur.

Loquacitas, garrulitas,& similia, multos habẽt errores.

Ἀγάπα τὸν θεὸν, ὑπὲρ αὐτὸν δὲ τοὺς οἰκείους μὴ προτάξῃς. μὴ πῶς αὐτοῦ κατὰ τὴν αὐτοῦ φωνὴν εὑρεθῇς, ὡς οὐ θέλεις, ἀνάξιος.

PRAECEPTIO CLXXII.

Deum dilige, super ipsum verò domesticos ne colloces: ne forte iuxta ipsius vocem ipso indignus, cum non vis, inueniaris.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXII.

CVm duo in vniuersum sint propriè obiecta diligibilia, alterum supremum, alterum verò æquale: duo quoque in vniuersum diligendi sunt; Deus scilicet,& proximus. Deus in primis, & super omnia: proximus deinde, & infra Deum. Deus super omnia, quia simplex. Simplex verò aut totum

Obiecta diligibilia Deus, & proximus.

Digitized by Google

totum attingitur, aut nihil. Igitur aut totum amari debet, aut nihil: partium enim expers omnino est. Proximus verò postmodum, quicunque sit ille. Ne amor Dei in nobis pereat, quatuor nutriri remedijs opus est: meditatione, doctrina, oratione, & exercitio. Quia meditatione apprehenditur, doctrina scitur, oratione trahitur, exercitio verò colitur, & tenetur. Sed vt amor proximi sit sicuti sui, quatuor quoque requiruntur conditiones: vt scilicet ametur ordinatè, efficaciter, sanctè, & perseueranter. Nam in amore requiritur ordo, efficacia, puritas, & diuturnitas: secus amor non est. Qui enim amor erit, si ad tempus ametur amicus, si duplici corde, si lentè, & indebitè? Nomine proximi veniunt parentes, filij, domestici, & inimici. Igitur dilectionis ordo sic se habebit, vt primò, & ante omnia diligatur Deus: parentes secundò, inde filij, subinde domestici. Qui si filios bonitate præcellunt, malis præponendi sunt filijs: postremo inimici, non quia vt inimici diligendi sunt, sicut nosipsi (nisi vt proximi) sed quo ad naturam, vel simpliciter. Sufficit namque, quòd odio non habeamus. Igitur si mundum, qui contemnendus est, diligimus, aut corpus minus diligendum, nimium fouemus, aut proximum non sicut nosipsos, vel Deum non plus, quàm nosipsos diligimus: dilectionis quidem ordinem omnino peruertimus, modumque diligendi minimè obseruamus. Dilige igitur Deum super omnia, caue ne supra eum domesticos colloces: quia ipso indignus, nolens iudicaberis. Vox Christi est: Qui amat patrem, aut matrem plusquam me: non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me: non est me dignus. Ergo multo minus Deo dignus erit, qui proximum parentibus inferiorem, vel Deo æquauerit: vel Deo antepoluerit.

Amor Dei ne pereat, quid agendum.

Amor proximi vt sit sicut sui, quid requiritur.

Dilectionis ordo qualis.

Inimici quomodo diligédi.

Καρτέρει τὰς θλίψεις. ἐν αὐταῖς γὰρ τοῖς ἀθλοῦσιν οἱ στέφανοι.

PRAECEPTIO CLXXIII.

Fortiter perfer afflictiones, coronæ enim horum sunt: qui in eis certamen sub stinent.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXIII.

AFflictiones, quamuis iuxta Ciceronem, propriè sint ęgritudines cum vexatione cordis: sumuntur tamen ab Authore indistinctè pro quocunque aduersitatum, & tribulationum genere. Nam tribulatio, afflictio, aduersitas, calamitas, & similia idem prorsus sunt, & significant: & non differunt nisi grammaticaliter. Quare tribulatio (vt hoc pro exemplo vtamur) venit à tribulo: Tribulus est herba pungitiua; & homo tribulatus tribulationibus pungitur. Vel Tribula sunt genus vehiculi, quo teruntur frumenta. Quarè Virgilius sic cecinit. Lib. 4. Tusc. quæst. Tribulationis ethymologia.

Tribulaque, trabeæque, & iniquo pondere rastri.

Hinc factum est, vt homo afflictus, tribulationibus teri dicatur. Afflictiones igitur quæcunque sint illæ, fortiter à te qui Christianus es: perferendæ sunt. Quandoquidem minimè dubitãdum est omnia huius generis arbitrio Dei fieri, quamuis etiam per aereas potestates (vt inquit Paulus Orosius) exerceantur aliquando: nonnisi propter bonum tuum. Nam etiam Macrobius dixit, non omnino Dijs exosos esse, qui in hac vita cum ærumnarum veritate luctantur: sed esse arcanas causas, ad quas paucorum poterit venire curiositas. Et Author dicit, quòd sunt coronæ illorum, qui in afflictionibus certamen sumunt: quos etenim Deus in hac flagellat vita: in alia dubio procul coronat. Aurum in fornace probatur, non consumitur: ideoque illustrius splendet, & à domino honoratur, atque in magno habetur pretio. Homo in tribulationibus fit magis perfectus, ac propterea illustrior redditur, & à Deo exaltatur, & coronatur. Quem igitur vitæ temporalis aduersitas exagitat: sumat gaudium de spe æternæ retributionis. Vt autem concludamus intentum, perfer iuxta Authorem fortiter afflictiones: quia tibi bonum erit. Nam si affligeris, vel vt bonus affligeris, vel vt malus: si vt malus, bonum certè est pro te, affligi: efficit id enim Deus, quo tibi omne quod te in seculo delectabat, amarescat: vt ad cœleste desiderium excitari possis: vt denique peccatorum indulgentiam accipere valeas. Nimium namque rebus hisce, quæ Afflictiones fortiter perferendæ. Lib. 4. de Ornesta. Lib. 1. Satur. Tribulati à Deo coronãtur in cœlo. Malus si affligitur, cur bonum est vt affligatur.

Digitized by Google

momento transeunt, delectaris, maxime quidem perfrueris: mirum in modum gaudio afficeris. Igitur mordicatio, cruciatio, contristatio tibi necessaria sunt omnino. Mordicatio ad delectationem, cruciatio ad suauitatem, contristatio ad hilaritatem. Si verò vt bonus affligeris, bono esto animo, quia afflictiones sunt coronæ horum, qui iueris certamen sustinent: Quandoquidem æternam beatitudinem consequentur penitus. Itaque siue bonus, siue malus, gaude cum affligeris, quia etiam iuxta Diuum Augustinum, Deus ideo fœlicitatibus terrenis amaritudines miscet: vt alia quæratur fœlicitas, cuius dulcedo non est fallax. Et Beatus Gregorius aiebat, quòd Sanctorum mentes æternitatis præmia præsolantes, vires ex aduersitatibus sumunt: quia crescente pugna, gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam.

Bonus cū affligitur, bonum est pro eo.

Super Matt. serm. 18.

Μακάριον τὸ πάσχειν κακῶς, τὸ ποιεῖν δὲ πρὸς ἄθλιον. τοῦ Χριστοῦ γὰρ κληρονόμος ὁ πάσχων, τοῦ δὲ διαβόλου ὁ ποιῶν συγκληρονόμος.

PRÆCEPTIO CLXXIIII.

Res est beata malis affici: inferre verò miserimum. Qui enim patitur Christi hæres est: faciens verò Diaboli cohæres esse creditur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXIIII.

Hominū improbitate iniurię irrogātur.

NEcesse est hominum improbitate iniurias irrogari, detrimentumque fieri, vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra, & intra nos positarum. Atinter eum, qui infert, & cui inferuntur, tantum discrimen est: vt iste gloria beatitudinis exaltetur, ille verò miseria infœliciter damnetur. Nam & qui patitur Christi hæres est: qui verò euomit, Diaboli cohæres esse creditur. Diaboli namque natura & si in se bona sit, malitia tamen depraua ta, in eo semper tendit, vt perpetuo noceat: Nec facere potest, quin noceat, quia ad nocendum semper pronus est. Cum enim immobiliter apprehendat, quinimo cum peccatum elegerit, atque in illo voluntate sua peruersa, atque obstinata

Diabolus sēper pronus ad nocendū.

Digitized by Google

ſtinata ſe confirmanerit: non poteſt non agere malum, hominesque impellere: vt alter alteri noceat, malaque inferat: ac tandem omnes ſuas vires ad hoc adhibet, vt mala proximis inferamus. Nil reperitur prauius, nil malignius, nil Diabolo nequius: qui vniuerſis inſidiatur. Ergo qui proximo mala infert, Diaboli naturam ſequitur, cuius ſemper eſt mala inferre: ac propterea illius hæres perſpicitur, cuius veſtigia ſequitur: cui verò irrogantur, Chriſti hæres eſt. Nam & ferendam eſſe iniuriam ille præcepit, & illatam vſque adeò tulit, vt percuſſoribus veniam ſit precatus. Quid quod & Ethnici id docuerunt, & effecere? Ariſtoteles dicebat: Iniuriam pati, melius eſt, quàm alteri nocere. Et idem rurſus dixit: Accipere, quàm facere, præſtat iniuriam. Auerroes Cordubenſis Philoſophus inquiebat: Peius eſt facere iniuriam, quàm pati. Seneca in prouerbijs dixit: Viri boni eſt ſcire pati, nec facere iniuriam. Igitur infero, viri mali eſt facere iniuriam, nec ſcire pati. Socrates mortalium ſapientiſſimus calce à quodam percuſſus in publicum, monitus vt hominem repercuteret, reſpondit: Si Aſinus mihi calcem impegiſſet, in eum recalcitraremne? Lege dicta, factaque ſapientum hominum, innumera etenim ſunt: inuenies quidem rem beatam eſſe, malis affici (vt inquit Author) miſerimum verò inferre. Ergo ſi malis afficeris, ne contriſteris: cum laudibus te omnes extollant, etiam Ethnici; quinimo Deus, cum te beet. Triſtare verò, ſi alijs mala inferas: quia hoc certè miſerimum: quemadmodum & illud beatum.

Lib. 1. Ethic. Melius eſt iniuriari, quã iniuriare.

Lib. 5. Ethic. Methic. 8.

Nota de Socrate.

Καλὸς ὁ τῆς ὑπερίας ἄρτος, ἐπιθυμητὴς ζύμης πᾶν ἡδυσμοῦ κρεῖττον ἀλάβαστρος.

PRAECEPTIO CLXXV.

Bonus ieiunij eſt panis: quandoquidem à voluptatis pane immunis exiſtit.

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXV.

PAnis ſubſtantialis forma, qui farinæ, & aquæ mixtionem, ipſamque vſtionem propriè conſequitur, qui communiter in furno à nobis coquitur, quo vniuerſa ferè mundi machina maxima cum ſui vtilitate, voluptateq; paſcitur, vnde à paſcendo nominatus eſt: per metaphoram, & rei ſimilitudinem ad duplicem panem transferri poteſt; ad panem ieiunij, & ad panem voluptatis; vtrobiq; enim pane veſcitur. Qui primum manducant, immunes ſunt à ſecundo: at qui ſecundum ingurgitant, in multis ſe obruunt malis; Quinimò naturæ, quæ rerum magiſtra eſt, prorſus contrariatur: quandoquidem paucis, minimiſque contenta eſt natura: maximis verò ſuffocatur penitus. Quis enim non vidit vnquam ciborum abundantiam morbos facere, moleſtias ingerere, ægritudines generare, obtundere ſenſus, hebetare intellectum, augmentare vitia? E contra autem frugalitatem ſimul cum nutrimento ſoſpitatem procreare, fugare ægritudines, prorogare vitam, augere robur, acuere ſenſus, excitare intellectum, vegetare mentem, & minuere ſordes? Sed quod faceſcit negotium eſt, quòd edacitatis vitio omnes animæ virtutes deſtruuntur. Nam præter id, quod ſi ſuperfluis velit quis vrgere, aut iniocundum fiet, quod infunderit, aut noxium omnino: accedit etiam, quòd animæ vires debilitantur penitus; memoria ſcilicet in præteritis, intellectus in præſentibus, voluntas in futuris, & vtriſque. Ieiunij autem virtute omnes carnales cupiditates reſecantur, mens eleuatur ad ſuperna, memoria Dei beneficia recolit, intellectus captiuatur in obſequium Chriſti, voluntas itidem nihil aliud vult, præter id quod eſt Chriſti, & Dei Domini noſtri. O ſanctum, ſaluberrimumque ieiunium. At conare & tu ieiunare ſpiritu, mente, & anima. Si namque neceſſarium eſt corporale ieiunium, magis tamen neceſſarium eſt ſpirituale: quinimo parum, aut nihil iuuat corporale abſque ſpirituali. Quid enim prodeſt ieiunare corpore, mente verò luxuriari? quid præſtat à cibis abſtinere carnalibus, & errare peccatis? quid iuuat inedia macerare corpus, animam verò æſtuare concupiſcentijs?

Ciborũ abundantia multorum malorum cauſa, ſicuti parcitas multorũ bonorum.

Edacitatis vitio oẽs animæ virtutes deſtruuntur, & vires debilitantur.

Ieiunandum eſt ſpiritualiter.

Quale

Digitized by Google

Quale ieiunium erit, quod non veſceris carnibus, & de ore tamen tuo omni eſca ſordidius egreditur maledictum? quale ieiunium erit illud, quod venter ſanctificatur temperantia, & lingua polluitur mendacio? Ieiunare oportet ab omni peccato: tale ieiunium elegit Dominus: Hoc per Eſaiam innuit, dicens: Nonne hoc eſt maius ieiunium, quod elegi, diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt, liberos: & omne onus diſrumpe, & cęt. Optimum exemplum adducitur in ſcriptura de ieiunante ſecundum corpus tantum, & non ſecundum animam. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? ſic homo, qui ieiunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius quis exaudiet? Ieiunandum igitur eſt ab omni peccato. Ieiunent ſenſus, oculus ab omni petulantia, auris ab otioſis rebus, lingua à maledictis, & inutilibus, manus à malis operibus, naſus à vanis odoribus, totum corpus ab obſcœnis, anima ipſa à propria voluntate. Non ſumas cibum malitiæ, non epulas voluptatis, noli luxuriæ vitio concaleſcere. Ieiuna à prauitatibus, abſtine à malis actibus, contine à pranis colloquijs, à cogitationibus peſſimis. Hoc ieiunium elegit Dominus: hoc ſibi placet. Hic eſt bonus ieiunij panis, quia à voluptatis pane immunis exiſtit. Bene ergo dicit Author, panem ieiunij bonum eſſe, panem verò voluptatis malum: quia primo ſi quis rectè veſcitur, immunis redditur à noxijs, qui autem ſecundo, quamuis ſit voluptatis, innumeris immergitur malis, quæ animam, & corpus deſtruunt tandem; nonniſi quia voluptatis.

Cap. 58.

Eccleſ. 34. Optimũ ſcripturæ exemplum.

Ieiunandum eſt ab omni peccato.

Ieiuniũ placens Deo.

Ἅγιος ὁ τῆς προσευχῆς βωμός. ἕλκει γὰρ πρὸς ἡμᾶς τὸν ἅγιον τῶν ἁγίων, ἅγιος.

PRAECEPTIO CLXXVI.

Sancta eſt orationis ara: pertrahit enim ad nos ſanctè Sanctum Sanctorum.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXVI.

Discrimẽ inter Aram, & aram.

HAra cum h aspiratione, porcorum stabulum est: absque verò h aspiratione, altare Deo dicatum. Quod ab illa tantum interesse nonnulli docẽt, vt Arę superis, & inferis Dijs constituebantur: altaria verò superis solum; superstitionibus quibusdam antiqui omnino dediti. Vnde altare dictum est ab altitudine, quoniam in ædificijs à terra erectis, veteres Dijs sacrificabant: sicuti Dijs inferis in effossa terra, terrestribus in terra. Modo tamen vnum pro altero accipi consueuit. Inquit itaque Author, quòd orationis ara est sancta, nonnisi quia pertrahit ad nos sanctè Sanctum Sanctorum. Igitur ad aram sanctè orandum est, cum sit sancta. Sanctè autem orabitur, si oratio fuerit simplex, dilucida, atque manifesta: & (vt inquit Ambrosius) plena grauitatis, & ponderis: non affectata elegantia, sed intermissa gratia. Cicero quamuis Ethnicus, in de legibus docuit, quomodo sanctè orare debemus, dicens: Ad Diuos adeunto castè, pietatem tenento, opes etiam admouento: sed si quis secus fecit, Deus ipse vindex erit. Sed quis sensus verborum Authoris, dicentis: Sancta est orationis ara, quia in ipsa Deo sacrificia offeruntur? quomodo trahit ad nos Sanctum sanctè Sanctorum, cum res materiæ concreta cernatur, & Deus spiritus est, & qui adorant eum, in spiritu, & veritate adorare oportet, spiritumq; ad nos eum trahere certum est? At facilè dicitur, quòd Author præcipuum templi locum sumit pro oratione, quæ in illo offertur loco. Constat enim aram in templo potiorem partem illius esse: nam templa sine aris, non sunt templa, & in aris Deo offerri orationes, sacrificia, & cæt. luce clarius constat. Verum facilius satisfit dicendo, aram vocabulum Græcum esse, idemq; significare, quòd oratio, votum, prex, imprecatio. Nam græcè habetur ἀρὰ τῆς ἀρᾶς, ᾱ; Itaque dicens Author, sancta est orationis ara, idem est dictum, ac si diceret, sancta est oratio orationis. Verum tunc maior quoque difficultas emergit. Quandoquidem si hoc verum est, tunc nugatio esset: cum enim idem bis sumitur, tunc nugationem committi, necesse est. Igitur dicens Author, sancta est orationis oratio, nugatur:

Lib. de offic. Lib. 1.

Dubium.

Respondsum primum.

Respondsum secundum.

Replica.

Digitized by Google

nugatur: quod dubio procul improbum est. At hic sensus rectus est, nullaque nugatione immixtus. Oratio etenim prout nostro deseruit negotio, duplex esse perpenditur: nuda, & vestita, seu ornata. Oratio nuda illa est, quæ fit ad Deum ore tantum, mente autem ad aliena se ferente: ac propterea frigida offeretur Deo. Vestita est, quæ fit ore, corde, & spiritu: hæcque dici potest oratio orationis, quia præcellit illam, quæ fit ore tantum. Quamobrem vt oratio sit perfecta, non nuda debet esse, quamuis pura, & simplex: sed multa comitata sociis, nempe iuxta Cassiodorum: Ipsius oratio est perfecta, cuius & causa clamat, & lingua, & actus, sermo & vita, & cogitatio. His quidem vestita, ornataque debet esse oratio. Hæc est oratio orationis, hæc certè est oratio sanctè facta: ac propterea hæc ad nos trahit sanctè Sanctum Sanctorum. De hac itaque loquitur Author, non de alia. Responsum. Oratio nuda, & vestita. Super Psalmibus. Oratio perfecta quæ.

Μὴ δόκει τὴν δικαιοσύνην ἀρετῆς εἶναι πάρεργον. ταύτης γὰρ χωρὶς, πᾶσα πρᾶξις ἀνύβαρτον.

PRAECEPTIO CLXXVII.

Ne putes iustitiam virtutis esse parergon: nam sine ipsa omne opus immundum est.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXVII.

PArergon vocabulum Græcum est, quo Græci sæpe vtuntur: Latini etiam aliquando. Quod nihil aliud iuxta Plinium sonare videtur, nisi id quod alicui rei extra propositum additur. Vt si pictor imaginem pingens ornandę tabellæ gratia, arbusculas, montes, auiculas, nebulas, mare, flumina, naues, & huiusmodi adiecerit. Quemadmodum Protogenes cum Athenis celeberrimo loco Minervæ delubro propylæam pingeret: adiecit etiam parvulas naues longas. Iuxta verò Budeum, parerga sunt corolaria, seu appendices operis locati: & in idem redundat. Nos autem dicemus esse parergon quid extrinsecus, extraneumq; à re, cui talia adduntur Quid sit parergon iuxta Plinium. Parerga iuxta Budeum. Parergon inxta ppriã opinionem.

Dicit

Dicit itaque Author, Ne putes iustitiam virtutis esse paregon, hoc est extrinsecam, alienamque à virtute: vel non posse esse iustitiam sine virtute; quia iustitia virtus est, & maxima. Aristoteles dicebat: Iustitia est virtus, qua singuli sua secundum leges possident. Idemque iustitiam virtutum præclarissimam appellat, ipsamq; esse omnem virtutem: ita vt neque hesperus, neque Lucifer sit ita admirabilis. At certè minimè dubitandum est, iustitiam non esse virtutis parergon; sed absque controuersia aliqua ipsammet virtutem, vnam, solam, dominam omnium, & reginam esse virtutum. Iustitia præstantior est fortitudine, iuxta Aristotelem, quia si omnes essent iusti, fortitudo non esset vtilis: at si fortes essent, adhuc vtilis iustitia esset: ergo melior est iustitia fortitudine. Hanc opinionem sequutus est Plutarchus in Apophtegmatibus narrans de Agesilao, qui cum de fortitudine, iustitiaque rogaretur, vtra esset melior? Respondit, nullam fortitudinis esse vtilitatem, nisi adsit iustitia: imò si iusti omnes essemus, fortitudine nequaquam indigeremus. Iustitia præstantior est prudentia, iuxta Ciceronem, quia prudentia sine iustitia nihil valet ad faciendam fidem: iustitia verò multum. Rursus, iustitia absque prudentia multum poterit: prudentia sine iustitia nihil valebit. Iustitia præstantior est temperantia, quia temperantia ad seipsum solum est: iustitia ad alios. Præstantior iustitia est fertilitate, iuxta Aristotelem, dicentem: Iustitia regentis vtilior est subditis fertilitate temporis. Iustitia præcellit scientiam, iuxta Platonem: Nam scientia absque iustitia calliditas potius est appellanda, quàm sapientia. Ciuitas habitari non potest sine iustitia: quinimò & politiæ maximæ dissoluuntur propter iustitiæ transgressionem. Ideo Aristoteles dixit, communicatiuam virtutem esse iustitiam: cui necessarium est omnes alias assequi virtutes. Et Diuus Hieronymus ad Demetriadem scripsit, omnes virtutum species vno iustitiæ nomine contineri. Sed & Diuus Ambrosius in Hexameron optimè digreditur iustitiam quascunque præcellere virtutes, dicens; Vbi prudentia, ibi malitia: vbi fortitudo, ibi iracundia: vbi temperantia, ibi impatientia: plerunque autem alia vitia. Vbi verò iustitia est, ibi concordia est cęterarum virtutum. Non enim per se pars est iustitia; sed quasi mater est omnium virtutum. Vide ergo si iustitia sit

virtutis

Iustitiæ laudes, & encomia. Lib. 1. Rhet. Libro 5. & 6. Ethic.

Iustitia fortitudine præstantior. Lib. 3. Topic.

Lib. 1. offic. Iustitia præstantior prudentia. Iustitia præstantior temperantia. Lib. 2. Topic. Iustitia præstantior est fertilitate, & scientia.

Lib. 3. Polit. cap. 7.

Iustitia quascumque præcellit virtutes.

Digitized by Google

virtutis parergon, quinimo ipsamet virtus, & virtutum omnium splendor magnus, ex quo viri boni nominantur. Sed Author probat, quia sine ipsa omne opus immundum erit, & rectè. De iustitia namque veniunt religio, pietas, affectus, innocentia, amicitia, concordia, humanitas, gratia, vendicatio, obseruantia, veritas, & huiusmodi innumera. Cum itaque sine his omne opus immundum sit: igitur absque iustitia omne opus immundum erit. Est itaque iustitia virtutis intrinseca. Vis igitur habere omnes virtutes? esto iustus, quia iustitia non est virtutis parergon.

Iustitię effectus.

Ἐλεημοσύνῃς πλουτοῖς, τὰ σαυτοῦ σπεῖρε. τὰ γὰρ ἀλλότρια ζιζανίων πικρότερα.

PRAECEPTIO CLXXVIII.

Si seminaueris pauperibus, quæ tua sunt, serito: aliena enim zizanijs sunt amariora.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXVIII.

FVrtum, quod est occulta alienæ rei acceptio, ignorante domino, contra eius voluntatem, iuxta Beatum Thomam: vel iuxta Canonistas est omnis illicita alienæ rei vsurpatio: seu secundum Legistas, contrectatio rei alienæ, mobilis, & corporalis fraudolosa, inuito domino, lucrifaciendi gratia, siue ipsius rei, siue etiam vsus rei, siue possessionis, esse illicitum, & peccatum mortale, cum in veteri, tum quoque in noua lege, luce clarius patet. Nam Deuteronomij cap. 15. Exodi 20. & Leuitici 19. aperte prohibetur à Domino furtum, dicente, Non furtum facies. In Euangelio insuper inter cætera peccata hominem inquinantia Dominus noster Iesus Christus furtum retulit. Omnes leges furtum prohibent, quia re uera contra ius naturæ est, quod præcipit, Quod tibi non vis: alteri ne feceris. Quandoquidem nemini placet, vt sibi sua rapiãtur: ergo nec tibi placere deberet rapere aliena. At non vides per furtum inferri nocumentum proximo in rebus suis? Nescis, quòd si sibi inuicem passim furarentur homines,

Furtum quid sit. 22.q.66.ar.3 14.q.v.c.penale.& cęt. ff. de furtis, l.1.

Matth.15.

Furtũ ab omni lege prohibetur.

Digitized by Google

Furtum charitati cõtrarium.

mines, periret humana societas? Quid igitur magis contrarium charitati? Et quamuis necessitatis tempore cuncta sint communia, id à Deo tamquàm omnium rerum Domino particulariter dispensatum est. Quare duo tibi cauenda sunt: primo, ne fingas semper necessitatem: secundo, ne laqueo suspendaris. Sed certè scire debes, qui aliena rapis, te restitutioni obnoxium: quæ cum sit necessaria ad salutem, si non restitues, non saluaberis. At si aliena rapiam (dices) vt demurandum non est propter pauperes.

pauperibus, nonne furari licitum erit ob misericordiam? sicque absolutus ero à restitutione? Negatiuè respondet Author, dicens: Si seminaueris pauperibus, quæ tua sunt, serito: quoniam aliena zizanijs sunt amariora. Sunt certè amariora zizanijs, quia nulli cui rapina cessit fœliciter: gaudium rectè durauit in posterum. At vt scias quomodo eleemosyna facienda est, & vt sit grata Altissimo, nonnullæ requiruntur conditiones; inter quas præcipua est Authoris: nam absque illa, ruunt cæteræ. Eleemosyna quidem grata erit Deo, si primo quicquid dederis, cum hilaritate dederis, & cito: nam & Deus hilarem diligit datorem; & qui cito dat, preconijs omnibus bis dare effertur. Igitur quicquid largiris, cum hilaritate largire: non toruis oculis, non turbata facie, non contumelioſis verbis: sed sermone iocundo, serena facie, vultu hilari, munificentia tua condienda est. Deinde, vt non pro susceptis beneficijs, aut labore detur, quia tunc non eleemosyna, sed venditio, merces, auctio erit: perdes itaq; meritum. Tertio, vt viuus facias eleemosynam, quia post mortem lumen post tergum habebis: Cades igitur vmbrosus in purgatorij foueam. Postremo vt sit tua, non aliena, quia de alieno largiri species furti est. Aliena tamen erit, si de fœnore, de vsuris, de rapina, de furto, & similibus extiterit. Verum, si acquisita non sunt illicita, modus tamen acquirendi illicitus: potest fieri eleemosyna. Quare & meretrix potest facere eleemosynam, quæ & illi proderit. Hoc vltimum à reliquis præsupponitur: Nam quamuis eleemosyna promptè, sine spe retributionis, & in vita facta fuerit: si non erit propria, vana erit. Hoc est, quod dicit Author, pauperibus quæ tua sunt, serito: aliena enim zizanijs amariora sunt, quia furti amaritudine omnia inficiet. Audi quid scripsit Sagrio Episcopo Beatus Gregorius: Non est putanda eleemosyna, si pauperibus

Eleemosyna vt sit grata Deo, quæ requirit conditiones.

Habet 1.q.1. cap. Non est putanda.

Digitized by Google

bus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur: quia qui hac inuentione mala accipit, vt bene dispenset, grauatur etiam potius, quàm iuuetur. Conforme quidem Pauli Apostoli præcepto, dicentis: Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Legitur de vsurario quodam, qui cum Ecclesiam ex illicitis ædificasset: dum Episcopus ad illam consecrandam ingrederetur, Demon in porta restitit in faciem eius, dicens: Abi hinc, an nescis, quòd mihi dicata est Ecclesia, cum de vsuris, & male acceptis sit ædificata? Hoc innuit Tobias filio suo, dum dixit: Ex tua substantia fac eleemosynam, quia ex alienis species furti est. Ideoque iuxta Authorem, ex alienis facere eleemosynam, illa zizanijs sunt amariora. Facigitur eleemosynam de bono, de iusto labore, de propria facultate; non de pauperis egestate; fac de illa, quæ peccata purgare debet, non quæ animam grauare: grauabit autem si de alienis erit.

Ad Eph. c. 4.

Nota exemplum.

Tobiæ c. 4.

Τυφλός ἐστιν ὁ ἐλεήμων, ἐὰν μὴ τυγχάνῃ δίκαιος ἀργῶν ἀγρόν, ὃν θεωρῆσαι οὐ δύναται.

PRÆCEPTIO CLXXIX.

Cæcus est misericors, ni existat etiam iustus: colens agrum, quem contemplari non potest.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXIX.

Misericordia comes indiuidua est iustitiæ, & è contra: ita vt misericors absque iustitia fatuus reputetur omnino: iustus verò absque misericordia crudelis. Vinum certè sine aqua validissime inebriat ob robur, aqua absque vino ob frigiditatem debilitat stomachum; at si misceantur ad inuicem, vtrumque maxime iuuat ob temperamentum. Iustitia vinum est, aqua verò misericordia. Iustitia absq; misericordiæ aqua crudelitas efficitur: misericordia autem sine vino iustitiæ fatuitas

misericordia comes est iustitiæ.

Nota diligenter.

Digitized by Google

tuitas magna extimatur: mixtæ verò ad inuicem, optimum faciunt temperamentum. Quare in Deo ita vnitè existunt, quòd vna sine altera penitus nequeat esse. Nunquam enim Deus miseretur absque punitione, nec punit absque misericordia, etiam pœnis inferni perpetuo condemnatos: nam citra condignum eos punire, sententia est Theologorum omnium. Vide ergo misericordiam Dei immensam cum iustitia. Sed Author misericordem sine iustitia cœcum vocat, & recte.

misericordia oculi est virtutum, iustitia pupilla oculi.

Quemadmodum enim oculo non videmus absque pupilla: ita misericors absque iustitia; misericordia namque oculus virtutum est: iustitia verò pupilla oculi. Non videbit itaque misericors, ni etiam iustus extiterit: quia iustitia omnia prospicit, omnia videt, omnia discernit, cuncta rimatur, cuncta

Nota.

numerat, cuncta mensurat, cuncta æquat. Cœcus quidem est Iudex, si eleemosynam pauperi dederit, innocentem deinde suspendet: viduam, & pupillos opprimat; quid enim prodest eleemosyna? Cœcus certè est Iudex, si condolet afflicto, muneribus tamen corrumpitur, leges venales facit, iudicat passione, ac potius (vt inquit Cicero) commotione aliqua mentis, quàm veritate, aut præscripto, aut norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus, sententiam promulgat. Quæ iniquior sententia? Cœcus quidem est Princeps, qui Ecclesiæ bona tribuit, nihilominus tamen præmijs, seu donis iura legibus tollit, subditos suffocat, non sua aufert, pauperes insontes constringit, præpotentes, & diuites non solum absoluit, sed nec alligari permittit. Heu Iudex, & Princeps inique, colis agrum, quę contemplari non potes. Bene respondit Solon (Authore Laertio) ipsum interroganti de duobus, primo quid esset Rex? secundo, quid esset lex? primæ interrogationi respondit, Rex est fortis potestas. secundæ, lex est araneæ tela, quia si in eam quid debile inciderit, retinetur: graue autem pertransit tela rescissa. At Valerius Maximus Anacharsi Scithę id attribuit. Sit res quomodolibet, quoniam est verissima. At cœcus quidem est homo quilibet, putans bene facere, se eleemosyna misereri pauperum, animæ verò suæ immaniter sæuire peccatis: quia colit agrum, quem contemplari non

In libro de Oratore.

In de vita, & moribus Philosophorũ. Quid sint lex, & Rex iuxta Solonem.

De verbis domini sermone 30.

potest. Bene scripsit Augustinus: Si vis facere eleemosynam, à te incipe: misericors es alteri, tibi verò crudelis? Igitur si es misericors, esto quoque iustus: aliter cœcus eris habens

Digitized by Google

habens oculos absque pupilla. Non poteris itaque contemplari agrum, quem colendo te contemplari conuenit.

Προσδόκα μὲν ἀεὶ, μὴ φόβου δὲ τὸν θάνατον, ἀληθοῦς χαρακτὴρ, φιλοσοφίας ἕκατερον.

PRÆCEPTIO CLXXX.

Expecta semper, nec verò metue mortem: vtrumque enim verum philosophiæ signum est.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXX.

TRia manifestè apparent in homine, natiuitas, vita, & interitus. Natiuitas in principio, vita in medio, interitus in fine. Nam & homo primo nascitur, viuit deinde, moritur postremo. Quare & à Poetis tres assignatæ sunt Parchæ, initium, medium, & finem vitæ hominis significantes: Clotho, Lachesis, & Atropos. Clotho, quæ filat: Lachesis, quæ filum trahit: Atropos, quæ filum scindit. Vnde & cecinit. Parchę quid significat in homine iuxta Poetas.

Clotho colum baiulat, Lachesis trahit, Atropos occat.

Prima filans, vitam hominibus ordinat: secunda filum trahens, vitam hominibus prorogat: tertia filum scindens, vitam hominibus demere significatur. Igitur tribus temporis partibus hominem contineri necesse est: præterito, præsenti, & futuro. Præteritum per Clothum, præsens per Lachesim, futurum per Atropon. Præteritum iam non est amplius, quia transactum: præsens & si adsit, dubium tamen est: futurum verò quamuis absit, certum. Initium vitæ hominis iam præterijt: præsens instans est vitæ hominis: futurum dissolutio. Homo tribꝰ tẽporis partibus continetur.

Itaque bene inquit Author, Expecta semper, nec verò metue mortem: quia futura, quia certa, quia necessaria. Futura namque certa, & necessaria expectanda sunt, non metuenda: ambigua verò, & contingentia vtique metuenda sunt. Mors futura est, certa est, necessaria est: igitur expectanda, amplectenda, non metuenda. Vtrumque autem faciens, veræ philosophiæ studiosum te ostendes: nam vtrumque scilicet expectare,

Digitized by Google

ctare, & non metuere, verum philosophiæ signum est: quia & Philosophorum plerique, & Sanctorum ferè omnes, & mortem expectarunt, & mortem non timuerunt. Verum dubitatio admodum difficilis exurgit, quomodo scilicet non metuendam mortem præcipit Author, cum vltimum sit terribilium, vitæque corporalis amissio naturaliter perhorrescatur etiam sanctis, & timoratis viris? Quare Cyprianus refert, quòd cum Episcopus quidam sanctissimus graui laboraret infirmitate: adhuc sibi sanitatem restitui exorabat. Cui apparens speciosus iuuenis cum indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis, exire non vultis: quid faciam vobis? Verum enimuero quid dicemus de Sancto Sanctorum Christo, qui & pati timuit, & viuere non recusauit? Quando quidem factus in agonia prolixius orabat. Agonia verò quid est iuxta Diuum Thomam, nisi timor mali extrinseci, cui propter improuisionem resisti non potest? Et rursus scribitur, quòd cœpit pauere, & tædere, & mœstus esse. Vnde & dicebat, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Hæc autem tristitia quid est, nisi dolor interior ex apprehensione alicuius nociui causatus? Male igitur præcipit Author, expectandam, non metuendam esse mortem: cum omnes naturaliter mori timeant. Sed dicitur, quòd mors ab omnibus naturaliter timetur: ficque tum Sancti metuerunt, tum quoque Sanctus Sanctorum Christus perhorruit: quia omnes homines. Igitur quo ad humanitatem Christus mortem pertimuit: quo ad diuinitatem minimè. Rursus, agonia in Christo, mortisq; timor iuxta partem sensitiuam fuit, non secundum rationem: quia ratio obediebat Deo. Subinde, tristitia fuit in Christo nō ex eo quod rationi repugnaret sensualitas, quia illud in Christo nunquam extitit: sed quia verus erat homo. Amplius, iuxta Magnum Albertum, tristitia in Christo ex naturali infirmitate, quę nullum est peccatum, causata est: quia fuit vt propassio, talis autem passio afficiens dicitur, non abducens rationem. Similiter dicitur mortem expetendam, non metuendam hominibus esse iuxta rationem: sicq; loquitur Author. Ita namque Sancti, & ex Philosophis multi, & expetierunt, & non metuerunt: iuxta verò sensualitatem timetur, nec potest fieri, quin timeatur. Sicque haud loquitur Author.

Dubium.

Mors naturaliter timetur.

Christus pati, & mori timuit.

1.2.q 41.ar.4. Agonia quid sit.

Marci c. 14.

Respōsio ad dubium.

Σχημα.

Digitized by Google

Σχηματίζου, τῷ ἀρετῷ, οὐχ ὅπως ἀπατήσῃς, ἀλλ' ὅπως ὠφελήσεις τοὺς βλέποντας.

PRAECEPTIO CLXXXI.

Virtutem colito, non vt decipias: sed vt iuues videntes.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXXI.

VIrtus, quæ ab vniuerso toto summis extollitur laudibus, quum vitio prorsus contraria reddatur: toto amplectenda est conamine, præsertim cum ob virtutem beetur homo, & hi soli beati sunt, qui virtutibus replentur omnino. Habita verò exercenda est penitus. Quid enim prodest virtutem assequi, illam deinde in abscondito ponere? Si autem exercueris, quemadmodum & colere debes: non ad decipiendum, sed ad adiuuandum videntes colito. Decipies tamen quoties virtute ad malum vteris finem. Tria personarum genera colunt quippe virtutem, ipsaque ad malum vtuntur finem. Hæretici, Infideles, & mali Christiani. Hæretici falsis dogmatibus: Infideles paganismo: mali Christicolæ distortis exemplis. Hæretici, vt mortifero hæresis veneno simplices ad hæresim retrahere possint: Infideles, vt peruersis moribus fideles imbuant: mali Christicolæ, vt bonos ad peccata alliciant. Mala est infidelitas. Infidelis namque in tenebris iacet, in tenebris ambulat, & nescit quo pergit. Nam Fides lampas est, quia sicuti lampas domum illuminat: ita Fides animam. Nec sibi proficit vel eleemosyna, vel quodcunque opus bonum: quia sine fundamento. Est enim Fides omnium virtutum radix, & qui super hoc fundamentum non ædificat, nihil facit, ruit enim totum ædificium: sicuti è contra, si super illud ædificauerit homo: hoc solum ad operis sui fructus, & virtutis (vt inquit Ambrosius) proficit mercedem. Est etenim Fides humanæ salutis initium: & prima, quæ subiugat animam Deo. Optimum exemplum adfert Augustinus super Ioan-

Virtus amplectenda, & exercéda est

Personarum genera virtutem colentium.

Fides lampas est.

Nullú opus meritorium sine Fide.

In libro de Cain, & Abel

Digitized by Google

Ioannem: Sicut in radice (inquit) arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species, & tamen quicquid est in arbore pulchritudinis, vel decoris, ex illa procedit. Sic ex Fidei humilitate quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima susceptura est, ex Fidei fundamento procedit. At peior est hæresis qua homines pessimi Christum lacerant, Ecclesiam diuidunt Catholicam, Deum impugnant. Est enim hæresis ratione pertinaciæ, species peccati in Spiritum sanctum: nempe impugnatio veritatis agnitæ, & Deus veritas est, Eligunt namque Hæretici disciplinam quam putant esse meliorem, Scripturam quoque quam Deus nobis ad salutem contulit, aliter intelligentes, quàm sensus Spiritus sancti flagitat: ac ideo cum quę peiora sunt, eligant; innitentes, atque obstinato animo peioribus se firmantes: à Fide dehiscere non dubitant, neque certant, defensantes sua peruersa dogmata. Quare reijciendi sunt quantocyus, ne simplices suo inficiant veneno. Sicuti enim putridæ resecandæ sunt carnes, ne sanas corrumpant: ita Hæretici abscindendi sunt, ne pestiferis dogmatibus Fideles subuertant. Verum enimuero quid de falsis Christianis dicendum est? Qui cum se nosse Deum confiteantur, factis tamen negant? Fidem certè habent, sed mortuam. Credunt Deo, verbis honorant; operibus verò offendunt, proximum scandalizantes. Quid prodest illis Fides? Certè si cuius manus esset arida, verum quidem esset membrum, sed sine sanguine, & inefficax esset: ita & Fides vera est, nihilominus tamen sine operibus mortua est. Si igitur virtutem habes, colito illam, non vt decipias videntes, vel paganismo, vel hæresi, vel malis operibus: sed vt iuues videntes. Si autem deceperis, contra virtutis naturam agis. Ea namque est quædam mentis dispositio, qua mens rationi consentit, & obedit Deo. Quare & Diuus Augustinus inquiebat, virtutem esse habitum mentis benè constitutæ. Quid igitur virtutem colis, vt decipias? colito, vt videntes iuues, non vt fallas.

Hæresis species est peccati in Spiritum sanctũ.

Hæretici resecandi sunt quãtocyus.

Mali Christiani Fidem habent mortuam.

Digitized by Google

Λέγειν χρὴ καλὰ, καὶ τὰ μὴ καλὰ πράττοντα, ὅπως ἄρξηται τῶν ἔργων τοὺς λόγους αἰσχύνεσθαι.

PRAECEPTIO CLXXXII.

Honesta loqui decet, etiam non honesta facientem: vt incipiat eum pudere verborum, quibus opera turpia significantur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXXII.

VErbum vniuersaliter duplex esse perpenditur, interius, & exterius. Interius est mentis, exterius oris. Illud est mentis conceptus, seu formalis, seu obiectalis: nam quicunque intelligit, ex hoc quod intelligit, producit aliquid intra se. Quare verbum mentis nihil aliud est iuxta D. Thomam, quàm conceptio intellectus, quæ est ipsa operatio, ideſt ipsum intelligere, vel species intellecta. Seu iuxta eundem in prima parte, verbum propriè est rei cognitæ similitudo formaliter, & expressa per actionem intelligendi producta, non autem ipsa res cognita: cum de ratione verbi mentalis sit esse intra mentem ipsam, res autem cognita est extra: Nec intelligibilis species, cum hęc rationem principij constituentis intellectum in actu primo habeat: verbum verò habeat rationem termini intellectionis actualis, ita vt cessante intellectione, cesset verbum: quod quidem in omni intellectione necessarium est, quando res intellecta vel est absens, seu distans secundum locum: vel est inferioris ordinis, quàm sit ipse intellectus. Vtrum autem dum obiectum est immateriale, & ex natura sua intellectui coniunctum, non necessario producatur verbum per cognitionem illius obiecti: ita quod verbum non pertineat intrinsecè ad rationem intellectionis tanquàm terminus illius intrinsecus; sed erit necessarium, quando obiectum est absens, distans improportionatum: vide Thomistas, sed præcipue Cajetanum, & Franciscum Ferrarienſem; non enim est præsentis negotij disputationes,

1. sent. dist. 27. q. 2. ar. 2. & 3.

q. 27. ar. 1. Verbum interius quid sit.

1. 1 q. 27. ar. 1. Lib. 1. cont. gent. c. 53.

Digitized by Google

vel opiniones afferre, nisi in re scholastica: quia scholia sunt. Aliud verò verbum est interioris manifestatiuum, à corporali motu nempe ab aeris verberatione impositum: quod quidem dicitur verbum vocale. Inter hæc duo verba talis reperitur ordo, vt primum sit causa secundi. Quicquid enim concipit homo, regulariter illud ore exprimit, vel saltem nutu aliquo. Secundum verò est effectus primi: nam quicquid exteriori verbo exprimit, interius primò concepit. Igitur loquutio signum erit conceptus hominis. Omnis namque loquutio ab aliquo intellectu (vt par est) procedit: si honesta loqueris, honesta concepisti: si autem obscœna, etiam obscœna interius immundo peperisti partu. Ergo delectant te ista: igitur non procul à facto. Quòd si dixeris, non feci, nec faciam: & id quidem insani hominis est, turpia scilicet non perpetrasse, nec perpetraturum: turpem tamen se verbis ostendere. Quòd si feceris, decet etiam te honesta loqui: quia verborum quibus opera turpia significantur, incipies pudere paulatim. Itaque ex verbis honestis, etiam te non honesta faciente, fiet: vt aliquando relinques turpia. Sed nescis inutilia verba maximè displicere Deo, placere autem Diabolo? honestis verò Deum interesse, sed Diabolum abesse? Non fallit certè lectio quædam sanctissima, quòd dum Religiosi quidam de sanctis tractarent, & ad inuicem sanctissimè sermocinarentur: adfuisse pulcherrimum puerum arridentem eis, & iocantem: at dum ad turpia se transferebant, disparuisse puerum, adfuisse verò suem lutulentum, fœtulentumque. Piè quidem credi debet, puerum fuisse Iesum, vel Angelum, quibus tales placent sermones: suem verò Diabolum, quem nonnisi fœtulenta, & immunda delectant. Loquere igitur honesta, vt præsentem habeas Dominum, & absentem Diabolum, & licet non honesta facis, nihilominus tamen pudore verborum, quibus opera turpia significantur, suffunderis tandem. At cum homo ob laborem, requie interdum, ac recreatione indigeat, si verbis solatij vtatur in conuersatione; non peccat: dum tamen nihil turpe misceatur, quod Deoa, vel proximo sit iniuriosum. Quare & Diuus Thomas laudat Eutropeliam, quę est conuersio verborum ad solatium. Eutropelia est comitas, & mediotas bomolochiæ, & agræciæ, iuxta Aristotelem in libro magnorum moralium. Græci namque

Loquutio signum conceptus hominis.

Exemplum notandum.

Homo quomodo non peccat vtendo verbis solatij. 22. q. 168. art. 4.

Eutropelia quid sit.

Digitized by Google

què Eutrapelos vocant, à corporis desteritate: & Eutrapel apud eos dicuntur, qui facilitate quadam morum præditi sunt: hoc est lepidi, elegantes, faceti, & similes, qui in Latino propriè nomen non habent. Hac igitur & tu vtere, est enim virtus pars modestię, qua ludrica, vel iocosa ad quandam animi quietem, vel ad solatium conuertuntur. Verum tria te conuenit obseruare, vt effugias peccatum. Primum erit, vt in verbis, vel operationibus turpibus, vel nociuis non quęratur solatium; nam tunc etiam iuxta Ciceronem erit genus iocandi illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. Secundum, ne animę grauitas resoluatur totaliter; quia tunc omnis harmonia quasi concentus quidam bonorum operum soluetur. Tertium, vt congruat personæ, tempori, loco, secundum alias circumstantias; non enim decet Principem verbis solatij astantes ad risum mouere. Vide ergo & tu quomodo loqueris, fac vt verba sint honesta, quia effugies peccatum.

Quomodo euitatur peccatũ in verbis solatij. Lib. 1. offic.

Εἰ τὸν οὐρανὸν ποθεῖς, μηδὲν σοι ἔστω καὶ τῆς γῆς, οὐκ ἐᾷ γὰρ αὐτὴ πρὸς ἐκεῖνον ἀνιπτάσθαι.

PRAECEPTIO CLXXXIII.

Si cœlum desideras, nihil tibi in terra sit negotij: non enim sinit ipsa ad cœlum euolare.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXXIII.

Vatuor esse simplicia corpora terram, aquam, aerem, ignem, quæ vulgo elementa appellantur, ex quibus cuncta apposite compaginantur: maior Philosophorum pars affirmare, astrueréq; videtur. Ex his verò ignem leuem, ex maxima eius actiuitate arguerunt: aerem, & aquam medium participare leuitatis, & grauitatis naturam ex eorum proprietatibus desumpserunt: terra autem, grauiorem simpliciter ex crassitudine, & eius corpulentia facile desumi posse validissimis ostenderunt argumentis. At cœlum cum ab his omnibus abstrahat omnino, nec leuitatem habebit, nec

Elementorũ numerus.

Elementorũ natura.

Cœli natura, & qualitas.

Digitized by Google

grauitatem, nec mediam vtriusq; participabit naturam: sed splendore, luminositate, perspicuitate, incorruptibilitate, tam secundum partem, quàm secundum totum, & his similibus bellissimè decorabitur. Caterum & inter omnes cœlos; Empyreum præstat mirabiliter, quia quæcunque cœlis congruunt, & Empyreo maximè conuenire consentaneum est: cum etiam quòd à motu est alienum, influxusque eius stabiliores ob permanentiam reddantur: tum quoque quòd sedes est Dei, & beatorum quoq; spirituum perenne habitaculum.

Cœli Empyrei præstantia.

Ibi, quicquid desiderabitur, aderit: Si musicam volueris, ibi hymnidici Angelorum erunt chori: si vacationem à laboribus, ibi dulcis solemnitas erit à peregrinatione huius tristi labore redeuntium, & festiuitas sine fine: si conuersationem, ciuium supernorum erit societas: si perseuerantiam, æternitas sine labe: si lucem, locus semper erit luminosus: in summa satiaberis cum apparuerit gloria Dei. Igitur si cœlum desideras, nihil in terra tibi sit negotij: quia in terra nonnisi labem, defectum, tristitiam, operationem, laborem, duplicitatem, dissonantiam, densitatem, obscuritatem, opacitatem, corruptionem, ponderositatem, & multa his similia inuenies. Igitur non sinet te terra ad cœlum euolare: grauia enim leuibus commixta impediunt profecto leuium ascensum desuper; terra grauitatem habet, ergo si ad cœlum ascendere desideras, nihil in terra tibi erit negotij: aliter impediet tui ad cœlum ascensum. Auis quælibet plurimis contecta pennis, aliisq; perfectè exornata, facilè sursum volabit: si verò in pedibus lapidem ligaueris, prohibebit quidem auis ascensus per aëra. Auis anima est, pennæ virtutes omnes, alæ amor Dei, & proximi, pedes affectus terræ: His vestitus homo, facilè ad cœlum volabit. At si in pedibus lapidem ligaueris, ideſt si affectiones fuerint terrestres, prohibebunt quidem ascensum animæ ad cœlum, quia terra ponderositate sua deorsum detinebit animam: quamuis sit spiritus. Itaque bene dicit Author; Si cœlum desideras, nihil tibi in terra sit negotij: quia terra vt grauis non sinet te ad cœlum euolare.

In cœlo omnium rerum erit satietas

In terra quæ inueniuntur.

Optimum exemplum.

Mi

Μὴ βούλῃ πλουτεῖν φιλοπλουτείας ἕνεκα. ἀπὸ γὰρ δικαίων ἐλεεῖν ὁ θεὸς νομοθετεῖ τὸν δίκαιον.

PRÆCEPTIO CLXXXIIII.

Ne velis artibus diteſcere, vt pauperum ſis ſubleuator: de iuſte partis enim iubet Deus miſereri iuſtum.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXXIIII.

ARtes in vniuerſum vel liberales ſunt, vel mechanicæ. Liberales ſeptem ſunt, Grammatica, Logica, Rhetorica, Arithmetica, Muſica, Geometria, & Aſtronomia. De liberalibus non loquitur Author, quia propter ſe ſunt: ſed de mechanicis, quæ propter aliud, & cum dolo ſæ exercentur nempe ob lucrum, ſermocinatur. Hæ autem quemadmodum & illæ, in ſeptem quoque (vt par eſt) diuiduntur: tamquam in genera quædam, quæ habent, & in ſe appendices ſuas; In lanificium ſcilicet, armaturam, nauigationem, agriculturam, venationem, medicinam, & theatricam. His communiter diteſcere quærunt homines, hiſcemet quoque prohibet Author, ne velis & tu diteſcere propter alendos pauperes: non quia damnatæ, ſed quia in ipſis exercendis multæ falſitates, doli, fraudes, & figmenta hominum improbitate miſcentur. Quæ enim ars noſtro exercetur tempore in qua dolus, fraus, mẽdacium, periurium non interuenit? Ideo prohibet Author his alendos pauperes. Nam quemadmodum prohibet Deus, vt non de alieno fiat eleemoſyna pauperi: ita & ſimiliter prohibet ne de diuitijs ex artibus ſic prodeũtibus miſereatur pauperum, quia de iuſtè partis vult Deus miſereri iuſtum. Supponit igitur Author in artibus multas commiſceri falſitates, veritatem quoque vndique palliari: ac propterea, quæ lucrantur, iniuſtè lucrari neceſſe eſt. Igitur ſpeciem furti ſortientur: Ergo non debet quiſque de his ſic iniuſtè partis ſubleuare pauperes. Cæterum poteſt & intelligi præceptio ſic, & erit quidem germaniſſimus ſenſus. Ne velis artibus, ideſt dolis, fraudibus,

Liberales artes quæ.

Artes mechanicæ quæ.

Ars nulla ſine dolo exercetur.

Secũdus ſenſus præceptionis.

Digitized by Google

fraudibus, technis, falsitatibus, pernicioſa induſtria diteſcere propter pauperes alendos: quia ſincerè acquirendæ ſunt diuitiæ; ſicq; de iuſtè partis, non de iniuſtè vult Deus miſereri pauperum. De iniuſtè verò partis erit miſericordia, ſi quod pauperibus datum fuerit, dolo lucratum erit. At ſi quis eleemoſynam faceret de acquiſitis in ludo, num licita eſſet, & grata Deo? minimè: nam dolis, & artibus præſupponeretur lucratum, quicquid per ludum lucratum eſſet. Qui enim in ludo vincit quomodolibet, cum teneatur reſtituere: clarum eſt, quòd non de ſua ſubſtantia faceret eleemoſynam, ſed de aliena: ac propterea non hac arte ludendum eſt, vt fiat eleemoſyna. Qui autem ſunt hi, qui ad reſtitutionem tenentur, dicendum remanet. Primò, qui his vincunt, qui alienare non poſſunt, etiam ſi ſint ſerui, vt conſtat per leges cap. per quas perſonas acquiritur. l. 1. & ff. de temporibus publicis. l. pecuniam. Secundò, qui per fraudem vincunt, decipiendo. Tertio, qui per vim, aut importunitatem. Poſtremo, qui non per fraudem, ſed ex cupiditate, liber cum libero, & voluntarius cum voluntario, omnes vtique ad reſtitutionem tenentur. Quibus autem debet fieri reſtitutio? primi parentibus, tutoribus, curatoribus, dominis, Religioſis, vel Religioni debet reſtituere. Secundi illis qui amiſerunt, vel habentibus curam eius, quia furtum eſt. Tertij vel primis, vel ſecundis. Vltimi ſecundum D. Thomam, Petrum de Palude, & Theologos, rurſum ſecundum Canoniſtas Io. Andreã, & Io. Cal. ſuper c. clerici, debent pauperibus erogare, aut ad Confeſſoris arbitrium exequi. At huius occaſione, cum mundus immundus à primo vſque ad vltimum ludis deſeruiat, ignoretq; quàm graue peccatum ſit ludus: operepretium eſſe duxi, hic oſtendere peccati huius grauitatem. Non eſt ambigendum, quin ſit mortale. Primò, quia nullus excommunicatur niſi pro mortali, at luſores debent excommunicari, diſt. 55. cap. Epiſcopus: ergo mortale. Rurſum, prohibitus eſt ludus per leges tum ciuilem ff. de alea toribus per totum ff. in prohemio: & ad legẽ Aquiliam l. nam ludis, ludus pernicioſus culpa eſt: tum quoque Canonicam, in authentico de ſanctiſſimis Epiſcopis §. interdicimus. Clerici ad aleas, & taxillos non ludant, nec interſint huiuſmodi ludis: & quamuis de clericis loquatur, nihilominus tamen de laicis quoq; intelligitur: quia argumentum vacat à contrario ſenſu,

Eleemoſyna facta de acquiſitis in ludo, non eſt licita.

Qui reſtituere teneantur ex his qui vicerunt in ludo.

Reſtitutio quibus fieri debet.

Ludus peccatũ eſt mortale.

Ludus prohibetur per leges ciuiles, & canonicas

Digitized by Google

sensu, vt etiam dicitur dist. 38. c. Episcopus. Quare & sancti viri pernitiosos ludos taxillorum scilicet, chartarum, aleārum, & similium semper vitarunt. In libro sancti senis Tobię dicitur: Cum ludentibus non mē miscui, nec cum his, qui ambulant in leuitate: & alibi scribitur: In medio ludentium non sedi. Et Christus Saluator noster lusoribus comminatus est, dicens: Ve vobis, qui nunc ridetis; explicauit glosa, ve vobis, ideſt lusoribus. Cuiusdam mulieris anima apparuit cuidam fœminæ, dicens, se esse damnatam, quia de pecunijs per ludum filij sui acquisitis, vixit. Beatus Cyrillus D. Augustino scripsit, nepotem suum ætatis annorum 18. damnatum, quia delectabatur in ludo. Et verè ludus peccatum maximè Domino abhominabile est. Itaque si vis ludere, fac vt non sit pernicioſus, sed ad solatium: nec hac arte diteſcere velis, vt pauperum sis subleuator; quia de iniustè partis non vult Deus vt miserearis pauperum.

Ludi vitati à sanctis viris.

Cap. 3.

Hierem. 16.

Lucæ cap. 6.

Nota bene.

Ludus nō debet esse pernitiosus.

Εἰ ποτήριον ψυχροῦ δικαιοῖ τὸν οἰκτίρμονα, πόσης τις ἀμοιβῆς τὸν πάντα σκορπίζοντα τοῖς πτωχοῖς διαδέχεται.

PRÆCEPTIO CLXXXV.

Si poculum frigidæ aquæ iuſtificat miſericordem, quanta putas retributio expectat diſtribuentem omnia pauperibus?

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXXV.

DVo docet Author in hac præceptione, vnum quidem implicitum, alterum verò explicitum: implicitum, eleemosynæ necessitatem: explicitum eleemosynæ remunerationem. Omnes dubio procul charitatem seruare tenemur, ita vt quis oppositum faciens, peccet mortaliter: eleemosyna verò quid est, nisi charitatis actus cum misericordia? est enim opus quo datur aliquid indigenti ex compassione, iuxta Petrum Lombardum. Igitur necessaria ita est viro Christiano ad salutem, vt non faciens cum debeat, & possit: mortalis criminis

Eleemosyna quid sit.

4. sent. dist. 15.

Digitized by Google

Eleemosyna quomodo cadit sub præcepto.

criminis reatum incurrit omnino; nam cadit sub præcepto. Omne autem sub præcepto cadens, exprimit mortale. Ita vt habens de naturæ, vel personæ superfluo, & non distribuens pauperibus etiam in extrema necessitate minimè degẽtibus: vel superfluum habens naturæ, non autem personæ, & non distribuens pauperibus, extremam naturæ necessitatem patientibus, peccat mortaliter omnino, seruatis seruandis quibusdam, de quibus vide Doctores. Explicitum verò est eleemosynæ remuneratio: arguitq; à fortiori Author: Si quis enim iuxta Christi vocem, paululum aquæ frigidæ pauperi dederit, iustificatur, quantò magis iustificabitur, si maiora tribuerit? sed quanto amplius, si omnia? Hoc est quod dicit Author, quanta putas retributio expectat eum, qui omnia pauperibus distribuit? quasi diceret infinita? Regnum cœlorum, tantum tibi erit, quantum à te datum fuerit: & quantum distribues, tantum recipies. Si namque multum dederis, multum habebis: sin verò parum, parum itidem tibi dabitur: nam iuxta maiora, vel minora merita magis, & minus beabitur homo, quamuis idem obiectum sit omnium. Vide igitur, quàm necessaria sit abundans eleemosynæ largitio. Considera quoque tantum te eleemosynam facere teneri, quantum habes. Partire igitur & tu pauperi magnam eleemosynæ portionem: vt magnam in cœlo recipere possis retributionem. Da pauperi terram, vt accipias regnum; da æs, argentum, aurum, vt accipias thesauros: da micam, vt accipias panem: da partem, vt accipias totum: da pauperi, vt detur tibi: da libenter, quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipies.

Homo non dans eleemosynam, quomodo peccet mortaliter.

Homo quantũ dabit, tantũ recipiet.

Homo iuxta merita beabitur.

Nota.

Μήτηρ τῶν ἀρετῶν, ἁγνεία καὶ συμπάθεια. οὐ τοίνυν ἔνι τῷ Χριστῷ δίχα ταύτης ἢ ἐκείνης στρατεύεσθαι.

PRAECEPTIO CLXXXVI.

Mater virtutum est castitas, & compassio: non itaque licet Christo militare sine hac, vel illa.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXXVI.

IN Christo virtutes omnes mirum in modum relucere non est ambigendum. In ipso namque sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Est thesaurus sapientiæ, & scientiæ diuinæ: thesaurus sapientiæ, & scientiæ beatorum: thesaurus sapientiæ, & scientiæ humanæ: & thesaurus sapientiæ, & scientiæ experimentalis: quia erat Deus, erat simul viator, & comprehensor, habebat scientiam infusam, & denique eam, quæ nobis hominibus congruit: sed excellentius, illustriusque in Christo. Est insuper in Christo thesaurus plenus gratiæ, & veritatis: gratiæ, inquam, triplicis; hypostaticæ, habitualis, & capitalis. In Christo itaque quamuis cunctæ virtutes, omnesque thesauri sapientiæ, & scientiæ reperiantur: nihilominus tamen matrem illarum mirum in modum in ipso splendescere minimè est dubitandum. Castitas hæc est cum compassione. Castitas quippe virtutum mater, & compassio est, nam sine castitate virtutes omnes immundæ sunt: sine compassione autem immanes. Quid enim prodest te esse humilem, sed impudicum? Sordidus quippe humilis es. Quid rursus modestum, sed durum, atque tenacem? crudelis quidem, & immanis modestus appares. Itaque cum Christus virtutibus quibuscumque sit præditus, & Matre, castus erit, & misericos: quia ex Virgine virgo natus est: & ex compassione, miserorum est misertus. Igitur cum Christus Caput sit nostrum, & Princeps (est enim Caput hominum, & Angelorum) necessum est membra conformari capiti: & milites bellantium more, Principi. Indignus certè militia, & absque honore censendus est miles ille, qui sub duce armorum inclyto, sagaci, bellicoso, prudente, & imperterrito degens: ipse tamen iners, ociosus, piger, & admodum segnes, timidusque viueret. Qui cum certaminis hora inimicum aggredi deberet, terga illi vertens, aufugeret tandem. Quid de illo Dux disponeret? nonnisi è militia illum deleret omnino: quia non licet militem sub duce suo sine animo, & vigilantia militare. Christus Dux, & Princeps noster est: nos eius milites sumus. Oportet igitur & nos Christo conformari. Itaque

Thesauri omnes sapiétię, & scientiæ Dei, sunt in Christo.

Gratia triplex fuit in Christo.

Castitas cum compassione est mater virtutum.

Exemplum optimum.

Digitized by Google

cum Christus sit castus, & misericos, debemus & nos castitatem, & compassionem sequi in Christo: quia indecens est sub capite casto, & misericorde, membra esse sordida, atque crudelia. Sequamur igitur & nos castitatem, & compassionem, quandoquidem sine vtraque non licet militare Christo: secus de libro viuentium militum delebimur omnino.

Μὴ ἀμέλει τῆς συμπαθείας. αὕτη γὰρ τὸν ἀγαθὸν δεσπότην ἐξ οὐρανοῦ κατήγαγεν.

PRÆCEPTIO CLXXXVII.

Ne negligas compassionem, ipsa enim bonum Dominum è cœlo nobis detraxit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXXVII.

Compassio quid sit.

COmpassio, quæ est pietas, seu misericordia cum affectu erga eum, qui in hoc seculo angustijs vndique premitur, siue paupertate, siue infirmitate, siue labore, seu quacunque alia ærumna, minimè à nobis negligenda est: cum ipsa potissima causa fuerit veniendi Christo Domino de cœlis in mundum. Tenebamur quidem perpetuò captiui ob Adæ peccatum, vinciebamurque cathenis duabus crudelissimis, seruitute scilicet Diaboli, & morte, à quibus mortalium nemo absoluere nos poterat. At misertus Deus creaturarum suarum liberauit nos à Diaboli seruitute: ijsdem cathenis ipsum vinciens: mortem verò cum vita fœliciter commutans. Fecit quippe Deus more illius Regis, qui rusticam cernens mulierem, sed pulcherrimam, in illa oculos fixit, eam adamauit: status tandem sui infimi misertus, illam in sponsam assumit, super omnes exaltauit, filiabus regni sui spretis. Ita & similiter fecit Deus, facturam suam intuitus rusticam ob peccatum factam, sed pulcherrimam ob animam, in illa oculos fixit, ad eam cor suum apposuit, eam adamauit: miseriæ suæ tandem misertus, carnem nostram induit; eam super omnes exaltauit. Vide ergo & Creatoris tui affectum simul, & compassio-

Cõpassio potissima causa fuit veniẽdi Christo in mundum.

Cõpassio dei erga hominem admirabilis.

Digitized by Google

passionem. Vt quid ergo & tu videns proximi tui afflictiones, tormenta, persequutiones, damna, paupertatem, defectus, peccata, non compateris? Quinimo afflicto afflictionem addere conaris? Quod si compateris, cur non subleuas, cum possis? Crede mihi, totum id prouenire, quia negligis compassionem, quia alienus à misericordia, & à charitate perquammaximè distas. Sed veniet tempus in quo compassionem, & misericordiam quæres, nec inuenies. Quia dum tempus aderat te aliorum misereri, & noluisti: veniet quoque tempus, quòd & tui Deus nec miserebitur, licet volueris, & iustè; quia scriptum est: Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur & vobis. Ne igitur negligas compassionem. Si namque ipsa bonum Dominum de cœlo nobis detraxit? debet & te quoque trahere, vt miserearis omnium, qui misericordia digni sunt: quò te tandem ob misericordiam trahat in locum charitate, & misericordia plenum. At quamuis omnium te misereri conuenit, tribus tamen, pro nunc, personarum generibus te compati decet, pauperibus, infirmis, & peregrinis. Quoniam & Deus tui quoque misertus est, cum esses pauper, infirmus, & peregrinus. Peregrinus in hac lachrymarum valle: infirmus in peccatis absque adiutorio gratiæ Dei: pauper sine virtutum cibo. Quare ex paupere te omnium virtutum diuitem fecit: ex infirmo peccatis, te reddidit sanum gratia: ex valle verò miseriæ, te in cœlum extulit. Ama igitur compassionem, quæ tantum Deo placet, & Matri. Legitur de quodam Senatore nobili Romano erga pauperes, & afflictos crudelissimo, qui (vt dicitur) erat Nerone neronior: cum ædificasset palatium, in illius frontispicio hæc inscripsit carmina.

Miseris compatendū est.

Tribus personarum generibus compatendum est.

Nota exemplum optimum.

Decretum detur, ne dormiat, aut epuletur
Hic gens villana, sed Achilles, Plato, Diana.

Hoc est, equites per Achillem, docti per Platonem, & nobiles mulieres per Dianam. Sed reprehensus à Virgine, cuius deuotissimus erat, deleuit illa: & posuit ista.

Muta decretum, Sanctorum suscipe cœtum
Nudum Martinum, Lazarum, Iacobum peregrinum.

Hoc est, pauperes cum Martino: infirmos cum Lazaro: peregrinos cum Iacobo. Vide igitur, quàm odiosa sit Deo, & Matri erga pauperes crudelitas; quàm grata compassio?

Digitized by Google

Ergo compassionem ne negligas, cum illa dumtaxat bonum Dominum è cœlo nobis detraxerit.

Μὴ καταφρόνει τῆς ἁγνείας. τὸ γὰρ ἐξ αὐτῆς ὄργανον, τὸν δι' ἡμᾶς σαρκωθέντα τοῖς ἀνθρώποις παρέσχετο.

PRAECEPTIO CLXXXVIII.

Ne contemnas castitatem: nam illius organum propter nos incarnatum Christum exhibuit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXXVIII.

Castitas virtus est specialis, & generalis.

VIrtutes minimè contemnendæ sunt, sed totis amplectendæ viribus, quia virtutes sunt: vitia vtique fugi debent, cum vitia sint. Castitas virtus est propriè specialis circa venerea; largè generalis, & essentialiter est omnis virtus: hominem ad perfectionem intellectualis operationis maximè disponens; quæ inter omnes valde præeminet pulchritudine sua, & decore. Quare attribuitur castitati decor antonomasicè. Ideo dicebat Bernardus: Quid castitate decorius? quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, hominem denique Angelum facit? Igitur amplectenda est, non contemnenda. Res immundæ, turpes, obscuræ, corruptibiles, non placent: mundæ verò, pulchræ, illustres, perpetuæ, perquàmmaxime. Castitas munda est, vnde assimilatur ebori, pulchra est, clara est, immortalis est. Sola namque in huius mortalitatis loco, & tempore, statum quendam immortalis gratiæ repræsentat, in qua ficut Angeli Dei, neque nubent, neque nubentur. Quocirca scribitur: O quàm pulchra est casta generatio cũ claritate: immortalis est enim memoria illius: Quinimò grata Deo, cognata Angelis, nota hominibus. Cæterum quod faceſcit negotium, est, organum ipsius (vt inquit Author) propter nos incarnatum Christum exhibuisse. Nam & Christus Filius Virginis extitit: atque virginali vtero corporaliter natus. Necesse quippe erat prius talem erigi thalamum, qui venientem ad nuptias Sanctæ Eccle-

In epist. ad Senon.

Castitatis en comia, & laudes.

Sap. cap. 6.

Castitatis organum Beata Virgo Maria.

Digitized by Google

Ecclesiæ, talem, ac tantum susciperet Sponsum. Vnde & virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum extitit. Virgo fuit ante partum quadruplici de causa, ob Patris dignitatem conseruandam, ob Filij proprietatem, ob dignitatem Humanitatis Christi, postremo propter finem incarnationis. Primo, ob Patris conseruandam dignitatem, quia Christo vero, & naturali Dei Filio existente, inconueniens esset, quod alium Patrem haberet, nisi Deum: quia tunc dignitas Patris minueretur. Deinde, ob Filij proprietatem, qui mittitur, qui est Verbum Dei: At verbum cum absque omni cordis corruptione concipiatur, multo magis Dei Filius. Tertio, ob dignitatem Humanitatis Christi, qui cum in mundum veniisset, vt mundi peccata tolleret: nefas est dicere in illo locum peccatum habere. Postremo, indecens erat, quoniam Christus carnem assumpsit, vt in Dei filios non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Dei virtute, homines renascerentur. Fuit secundò virgo in partu tripliciter: primo, ratione nascentis: secundo, ratione effectus incarnationis: tertio, ratione Matris. Ratione nascentis, primo, quia si verbum non tantum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam ex eodem absq; corruptione procedit; cur & Christus cum corruptione nasci voluit? Secundo, ratione effectus incarnationis, quia si in mundum venerat, vt nostram corruptionem tolleret, quomodo de Matre corrupta nasci volebat, cum nascendo Matris virginitatem sacrauerit? Tertio, ne Matris honorem, nascendo, minueret. Virgo post partum postremo fuit, cum alios non habuerit filios: quia derogaret perfectioni Christi. Sicut enim vnigenitus est Patris secundum diuinam naturam: ita decuit vt vnigenitus esset Matris secundum humanam, tamquam germen eius perfectissimum. Rursus, fieret iniuria Spiritui sancto, cuius sacrarium fuit vterus Virginis: in quo Christi formauit carnem: Quare indecens esset, si de cætero per virilem commixtionem violaretur. Derogat subinde dignitati, atq; sanctitati Matris, quæ ingratissima vtique esset, si tanto non contenta esset Filio: si quæ virginitatem, miraculosè in ea conseruatam, sponte per carnis concubitum perdere vellet. Postremo, arrogantia maxima, & præsumptione Ioseph notaretur, si eam, quam Angelo reuelante de Spiritu sancto concepisse

Maria Mater Dei quadruplici de causa fuit virgo ante partū.

Beata Maria triplici de causa fuit virgo in partu.

Virgo post partum quadrupliciter fuit Beata Maria.

Digitized by Google

cepisse cognouerat, polluere attentaret. Anathemá igitur hæreticis omnibus, præsertim Eluidianis, Ebionitis,& Cherintianis. Virgo itaque fuit beatissima Maria Mater Dei ante partum, in partu,& post partum. Igitur non contemnenda est virginitas, & castitas, cum illarum organum propter nos incarnatũ Christum exhibuerit: nonnisi Virgo immaculata. Si ergo castitatem amplexus fueris: virginali connubio spiritualiter tecum quoque coniungetur Christus cum Matre. Quid igitur faciam, dices, vt castitatem assequi valeam? Carnis impetum sub iugo rationis penitus refrena: nam dicitur castitas à carne castiganda, quasi carnem castigans. Id autem assequeris, si tria quæ castitatem impediunt, remoueris: septem verò, quę castitatem afferunt, toto pectore amplexus fueris. Et hoc quidem sunt, carnis maceratio, vel per abstinentiam, vel per temperantiam, vel per vigilias, & similia: diuinarum contemplatio rerum, oratio, scripturarum studiũ, sanctæ cogitationes, exercitium contra otium, labor,& angustia, deniq; solitudo. Illa verò erunt deliciæ corporis, venereę cogitationes, aspectus, colloquia,& frequentes mulierum cõuersationes. Hæc certè à castitate abducunt hominem: illa verò sunt, quæ castitatem inducunt. Esto igitur castus, quia Christus castus, Mater organum castitatis, Ecclesia casta: secus à Christo, à Matre, ab Ecclesia degenerabis omnino.

Castitas vnde dicitur.

Homo vt sit castus, quid facere debet

Μὴ εἴπῃς, τιμωμαι τὸν ἐχθρὸν. χρεὼν γὰρ δικαίων ἐν οὐρανῷ κεκτῆσθαι.

PRAECEPTIO CLXXXIX.

Ne dicas, vlciscar hostem: iustum enim iudicem in cœlo habemus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CLXXXIX.

Hostes hominis spirituales, & corporales.

HOminis hostes in duplici profecto constituuntur ordine. Nam & quidam sunt hostes animæ: quidam corporis. Animæ sunt mundus, caro, & Diabolus: Corporis iniqui homines, qui vel in rebus externis, vel internis nocent sępissime. Hi non vlciscendi sunt, sed diligendi, & benefaciendi: Quinimò

Digitized by Google

Quinimò & pro eis orandum præcepit Magister noster Christus, dum dixit: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Præcepit certè, vt diligamus corde, benefaciamus opere, oremus lingua: quia amor in corde residet, opus in manibus, sermo in lingua. Non sicut Iudæi, qui amicos amant, odiunt inimicos: non sicut Ethnici, qui idem operantur. Christus legifer noster legem amoris, & perfectionis promulgauit, voluitque nos esse perfectos, sicuti Pater noster in cœlis perfectus est. Et quemadmodum Solem suum indistinctè super bonos, & malos oriri facit, non subtrahendo lucem improbis: similiterque super iustos, & iniustos pluere facit, iniustis minimè subtrahendo pluuiam: ita & nos amoris radios, & pluuiarum dilectionis imbres erga omnes indifferēter tam amicos, quàm inimicos, diffundere debemus. Si namque amicis tantum dilectionis opera exhibeamus, nonne Iudæi, & Ethnici id faciunt? In quo igitur & nos Christiani ab illis differremus? Quòd si in læsione, & nocumento perstiterint, persiste & tu in quiete, & remissione: ne vlciscaris. Iustum enim iudicem in cœlo habemus, qui & retribuet illis iuxta opera eorum: nam & sibiipsi soli reseruauit vindictam, dicēs: Mihi vindictam, & ego retribuam. Noli itaque aliena vti potestate, qua vteris, si de inimicis tuis te vindicaueris: secus de vsurpata iurisdictione punieris. Quid quod multi ex Ethnicis, & inimicis constanter pepercerunt, & id faciundum rationabiliter docuerunt? Quinimo degeneris animi esse senserunt de hostibus sic vlciscī. Verum enimuero cum vnusquisque eleemosynam facere teneatur, & dare aliquid indigenti, (vt paulo superius tactum est) illaq; sit duplex, corporis scilicet, & spiritus, si panem tribuendo illam, quæ corporis est, perficis; cur eam quæ est spiritus, & cordis non exequaris? cum eleemosyna cordis multo præstantior sit eleemosyna corporis? Eleemosyna spiritus, & cordis, est dimittere ei, à quo læsus es: indulgere in te peccanti. Dum orationem Dominicam profers, si non indulges, & dimittis debitori tuo: nec Deus dimittet tibi peccamina, quinimo contra te oras. Cæterum si mundus te odit, caro persequitur, Diabolus omnia tela malitiæ tibi præparat: primus vario studiorum conflictu: secundus diuersarum prælijs cupiditatum: tertius voraci-

Matth. c. 5.

Inimici quo modo diligēdi.

Deus bonos, & malos amat, sed inæqualiter.

Deus sibi soli reseruauit vindictam.

Scholio 185

Eleemosyna cordis quę.

Contra quos inimicos vlciscendū est.

Digitized by Google

racitate; tamquam alter Sanſon exurgens immitis, atq; præcelſus, vlciſcare omnes: Mundum, Carnem, & Diabolum. Mũdum ſpretu, Carnem maceratione, Diabolum humilitate. Quia mundum ſpernendo, regni cœleſtis particeps fies: carnem domando, duplex erit ſpiritus tuus: Diabolum fugiendo, Deum adipiſceris omnino. Victor itaque eris, perſequutorum ſic vulnerans impudentiam. Igitur hos vlciſcare: illos verò amore proſequere.

Μὴ ζούλου πλουτεῖν, μὴ πλατύνεσθαι, μὴ δοξάζεσθαι. φθορὰ γὰρ ταῦτα τοῦ βίου. ἡμεῖς δὲ οὐκ ἐσμὲν οἱ φθαρτοί.

PRÆCEPTIO CXC.

Ne velis delicatè viuere, nec diteſcere, nec gloriæ cupidus eſſe. Corruptio enim hæc ſunt vitæ: nos verò non ſumus corruptibiles.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXC.

Homines q̃ maximè appetunt in vita.

TRia maximè appetunt homines in præſenti vita, voluptates, diuitias, honores. Voluptates, vt delicatè viuant: diuitias, vt opulenter conuiuant: honores, vt alios tranſcendere queant. Hoc quidem eſt, quod dicebat Beatus Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta: Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis: aut concupiſcentia oculorum: aut ſuperbia vitæ. Nam concupiſcentia carnis luxus eſt in vitia: concupiſcentia oculorum, diuitiarum eſt cupido: ſuperbia vitæ, ambitio eſt dignitatum. His tribus hominem Demon aggreditur, quinimo & Chriſtum Dominũ in deſerto, in templi pinnaculo, & in monte aggreſſus eſt. Ideoque Diabolus dicitur Iumentum, Draco, & Auis. Nam cum genus humanum his tribus vitijs valde tentet, luxuria ſcilicet, malitia, & ſuperbia: in eis quos excitat ad luxuriam, iumentum eſt: ad nocendi malitiam, draco eſt: ad ſuperbiam, auis eſt. Ad luxuriam tentat delicijs, quia ex voluptatibus, delicijſque oritur luxuria:

1. cap. 2.

Diabolus cur dicitur iumentum, draco, & auis.

Homo de q̃bus tẽtatur.

Digitized by Google

luxuria: ad nocendi malitiam tentat diuitijs, nam diuitiæ malitia acquiruntur, & possidentur: ad superbiam denique, gloriæ, honorumque cupiditate. De his tribus quoque mentionem facit Author; de concupiscentia carnis, seu luxuria, cum dicit, ne velis delicatè viuere: de concupiscentia oculorum, dum dicit, nec diteſcere: de ſuperbia vitæ, cum profert, nec gloriæ cupidus esse. Quia vita delicata concupiſcentiam respicit carnis: diuitiæ oculorum concupiſcentiam: gloriæ cupido ſuperbiam vitæ. Vnumquodque tamen horum ſuum habet oppugnatorem, & corruptorem: primum certè ſenectutem: ſecundum latrocinium: tertium mortem. Nam & concupiſcentia carnis, ſenectute diſſoluitur: concupiſcentia oculorum, latrocinio depredatur: ſuperbia verò vitæ, morte corrumpitur. Igitur cum hæc corruptiones ſint vitæ, nos verò incorruptibiles: quandoquidem ad imaginem Dei factus eſt homo: cur delicatè viuere velis? cur diteſcere moliris? & gloriæ cupidus eſſe deſideras? Igitur fugiendæ quidem ſunt omnino, non quærendæ, nemo enim corruptionem quærit. Omne namque agens propter hoc agit, vt perpetuò conſeruetur. Tu autem hæc agens, ad hoc agis, vt ſtatim corrumparis? fuge ergo hæc, & ſimilia quæque, quia contra permanentiam ſtultè contendis. Fuge viriliter, nam de delicijs turpia, de diuitijs praua, de honoribus vana procedunt; quia deliciæ gulam pariunt, & luxuriam: diuitiæ cupiditatem generant, & auaritiam: honores ſuperbiam nutriunt, & iactantiam. Fugies autem, ſi contra delicias ieiunium adhibueris: contra diuitias, eleemoſynam: contra gloriæ cupiditatem, orationem, & humilitatem.

Concupiſcẽtia carnis, cõcupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ à quibus corrumpuntur.

Deliciæ, diuitiæ & gloria fugiendæ ſunt.

Ἐπὶ νεκρῷ μὴ θρηνήσῃς. κοινὴ γὰρ ἡ ὁδός, ὁ δὲ φθάσας μακάριος.

PRÆCEPTIO CXCI.

Propter mortuum ne lugeas, communis enim via eſt: beatus verò qui præceſſit.

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXCI.

NEceſſe eſt omne ex contrarijs compoſitum in ea reſolui, ex quibus compoſitum eſt: quia contrarium per ſe eſt cauſa corruptionis; & omne, quod corrumpitur ſiue per ſe, ſiue per accidens, à ſuo contrario corrumpi, author eſt Ariſtoteles pluribus in locis doctrinæ ſuæ. Quinimò vbi non eſt contrarium, impoſſibile eſt, vt ibi ſit corruptio. Hanc ob cauſam in cœlo non eſt aliqua corruptio, quia non adeſt contrarium, ſeu contrarietas aliqua, formaliter loquendo: quamuis ſint ſituum diuerſitates, quæ in cœli cardinibus præſertim cernuntur: & his quamplurima. At hæc non obſtant cœlorum perennitati, quia extrinſeca ſunt. Itaque cum ex contrarijs, quæ qualitates ſunt, compoſitus ſit homo, corruptibilis neceſſario erit neceſſitate abſoluta: ea ſcilicet, quæ ex parte materiæ attenditur: non ea quæ ex parte efficientis eſt. Dederat namque Deus homini iuſtitiæ originalis donum, per quod à corruptione, & morte præſeruari poterat. Nec ea quæ ex parte formæ eſt: nam hominis forma cum ſecundum naturam ſuam immortalitate mirabiliter exornetur: quantum eſt de ſe, materiam appetit incorruptibilem. Si namque corporis cœleſtis forma propter ſuam nobilitatem, perfectionemque, ita materiæ appetitum ſatiat, vt non aliam appetat formam: vnde & dicimus cœleſtium corporum materiam incorruptibilem eſſe: multo magis anima rationalis, quæ nobilior eſt, forma illa corporũ cœleſtium: incorruptibilis erit. Igitur ex parte materiæ neceſſariò corruptibilis eſt homo. Vt certè nauem, & ædificium idem deſtruit facillimè, qui ſtruxit: ſic hominem eadem optimè, quæ conglutinauit natura, diſſoluit. Vt quid ergo mortuum luges, ſi neceſſariò corruptibilis eſt homo? vt quid defles, ſi irreparabilis eſt mors? ſi communis eſt via? Quòd ſi dixeris, ob id mortuum deploro, quia irremediabilis mors eſt: ob id deploro, quia iter pergam extraneum, quod nunquam ambulaui: in regionem longinquam abibo, quam nemo vidit: in ſeculum alterum animarum conuerſabor, vnde nullus reuerſus eſt: in regiones metuendas viuam, per quas nullus me comitatur: & ante terri-

Contrarium eſt cauſa corruptionis.

2. & 8. libro phyſ. in lib. de morte, & vita.

Cœlum nõ habet cõtrarium niſi extrinſecè.

Homo corrumpitur ex parte materiæ, non ex parte efficiẽtis.

Homo eſt incorruptibilis ex parte formæ.

Optimum exemplum.

Digitized by Google

terribilem iudicem ſtabo, vbi neſcio quid mihi continget. Dicam & ego, Spiritum ſanctum docuiſſe, ſuper mortuum modicum plorandum eſſe. Dicam & rurſus, mortuum reſurrecturum, & in melius immutandum. Dicam & amplius cum Chriſoſtomo, quòd naturæ iam corruptæ mors neceſſarium munus eſt: ideo non ploranda, nõ fugienda, neq; timenda eſt, ſed amplectenda. Ergo fiat voluntariũ, quod futurum eſt neceſſarium: & offeramus Deo pro munere, quod pro debito tenemur. Dicam tandem, mortem calamitatis terminum præbere, finem eſſe omnium laborum, initium fœlicitatis bonis, malis verò initium omnis miſeriæ. Nam ex præteritis vitæ actis, mors ponderãda eſt, ſi eſt bona, aut mala. Si namq; vita cum virtute tranſacta ſit: mors bona eſt, quia ad immortalitatem transferimur: ſi verò cũ ſcelere, mala eſt; quia ad æterna tranſmittit ſupplicia. Igitur non debet quis propter mortuum lugere, vbi via eſt communis: vbi ſpes quoq; eſt reſurrectionis, ac immutationis in melius. Sed quid, nonne beatus qui præceſſit? vtique & verè beatus; quia malitia non mutabit intellectum eius: nec illius animam fictio decipiet. Igitur mortuum ne lugeas, luge diu viuentes in mundo: quia in periculis maximis tum corporis, tum animæ verſantur.

Mortuus cur non eſt plorandus.

Super Matt. cap. 10.

Mors bonis bona, malis mala.

Τὸν ἁμαρτάνοντα πένθησον οὐχὶ δὲ τὸν πλωχεύοντα. σέφανοῦται γὰρ οὗτος, ἐκεῖνος κολάζεται.

PRÆCEPTIO CXCII.

Peccantem luge, non verò pauperem exiſtentem: coronatur verò iſte, ille verò plectitur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXCII.

PAupertas duplex eſſe perpenditur, corporis, & ſpiritus. Corporis eſt rerum temporalium defectus: ſpiritus eſt ſpiritualium omnium carentia. Illa eſt, qua afficiuntur homines circa pompam, veſtes, cibum, poſſeſſiones, domos, diuitias, & ſimilia: ita vt qui victum ex eleemoſynis ſibi quærunt,

Paupertas corporis, & ſpiritus.

Digitized by Google

Discrimẽ inter pauperẽ, & mendicũ.

pauperes corporis esse dicuntur; sicuti qui nutu tantum, mendici: sed omnes sunt pauperes corporis. Hæc est quæ priuat homines spiritualibus diuitijs, gratia, gloria, fide, spe, charitate, ac virtutibus quibuscumque. Igitur cum duos videris, alterum mortaliter peccantem, alterum verò pauperem existentem: vtrosque maxima affligi paupertate dicas, sed differenter. Hunc quidem temporali paupertate: illum verò spirituali. Hunc, quia terrenis rebus priuatus omnino: illum autem, quia cœlestium bonorum affluentia vndique expoliatus, nonnisi quia peccator. Quid enim est peccatum, nisi spiritualis vitæ defectus, ac gratiæ, & virtutum omnium priuatio? Igitur cum videris hos duos, alterum sic peccantem, alterum verò in magna egestate existentem: luge illum, non hunc; quia ille pro peccato plectetur in inferno: hic verò pro paupertate coronabitur in cœlo, vterque quidem in perpetuum, inæquali tamen sorte. Memento tragœdiæ diuitis Epulonis, & Lazari mendici. Hic vlceribus plenus, magna premebatur egestate, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis: ille epulabatur quotidie splendidè, Hic ob diuitias facilè laudabatur: ille lugebatur ob miseriã. Nihilominus tamen hic post mortem in sinu Abrahæ reponitur, ille verò in sinum Luciferi recipitur. Vide ergo quis sit lugendus, dives diu peccans, an pauper mendicitate oppressus, cum hic coronetur, ille verò plectatur? Verum dubitatio non modica exurgit, quomodo scilicet pauperes spiritu plectentur in inferno, ac propterea lugendi, cum hi peccantes minimè appellari possint? Quandoquidem & Magister noster Christus expressè docuit beatos tales esse, dum dixit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non bene ergo videmur præceptionem hanc explicasse, quam si ad mentem Authoris explicauerimus: nec rectè intenderet Author peccantes pauperes spiritu. At respondetur, pauperes spiritu dupliciter intelligi posse, primò pauperes spiritu, hoc est voluntate: & hi sunt, qui non solum diuitijs carent, sed diuitias de facto habentes; corde tamen, & affectu pro Dei amore contemnunt. Sumuntur pauperes spiritu secundò, qui deuotione, & spiritualibus gratijs, atq; virtutibus ob peccatum priuantur omnino; quemadmodum pauperes pecunia dicuntur, qui carent nummis. Iuxta primum

Peccatum quid sit.

Diuitis epulonis, & Lazari mendici tragœdia

Dubium.

Matth. c. 5.

Dubij solutio.

modum

Digitized by Google

modum loquitur Christus, iuxta secundum loquimur nos ad mentem Authoris. Vnum itaque non contrariatur alteri.

Πλατὺ μὲν τοῦ βίου τὸν τροχὸν, ἀτάκτως κυλιόμενον. φιλάπτε δὲ τὸν βόθρον, εἰς ὃν κυλιόμενοι τοὺς ἐν αὐτῷ συνάζοντας.

PRAECEPTIO CXCIII.

Ride rotam vitæ, sine ordine rotatam: caue verò foueam in quam deuoluit dormientes in ipsa vita.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXCIII.

DVo admonet Author in hac præceptione, vnum ridendum: alterum cauendum. Ridendum rota vitæ sine ordine rotata: cauendum fouea in quam deuoluit dormientes in ipsa vita. Primum rectè admonet, quia quæcunque in mundo sunt: semper in motu esse oportet. Cum enim vnaquæque res non semper maneat, corruptibilia verò semper in motu sunt, quia non est corruptio sine motu: omnia motui subijci necesse est. At motus in vniuersum quadruplex esse elicitur. Vel enim est violentus, vel naturalis, vel reflexus, vel circularis. Quilibet tamon horum imperfectionem dicit. Primus, quia in principio velocior: in fine debilior. Secundus è contra in principio debilior: in fine velocior. Tertius, quia non continuus, sed quiete media interpollatus. Vltimus verò & si respectu aliorum sit perfectus, nihilominus tamen cum sit ab eodem in idem: imperfectionem quoque semper importare dicendum est: quia talis motus actus est etiam existentis in potentia. Primum enim mobile respectu præcedentis potentiæ in actu quidem est: sed ad sequentem actum, aut vbi relatum, in potentia: quia semper in diuerso loco secundum partes est: licet in eodem secundum se totum. Quemadmodum & rota in volutione in eodem secundum se tota est in loco: at secundum partes in diuerso. Ideo assimilat Author vitam rotæ, quia in continuo est motu, &

Motus quadruplex in vniuersum.

Quilibet motus est imperfectus.

Motus cœli cur imperfectus.

absque

Digitized by Google

absque ordine: ac ob id ridendum præcipit: quoniam inordinata vt plurimum ridere solemus. Quare & Democritus de rebus mundi huius semper ridere solitus erat: quemadmodum & Heraclitus deplorare. Vide igitur & tu huius miserrimæ vitæ naturam, quę cum ea sit, vt continuò inordinatè moueatur, quemadmodum & rota: nil boni, sed omnia imperfectionibus mixta quamplurimis spondere nobis videtur, ac propterea ride, hoc est risu sperne, paruifac, contemne rotam hanc vitæ. Attamen in ipsa vita ne negligenter habeas vitam tuam, & hoc maxime cauendum est; quia cum rotæ natura ea sit, vt circumagatur: sic dormientes in ipsa deuoluere solet in fouea mortis æternæ. Sed dubium magnum exurgit, qua scilicet ratione verum esse comprobatur, rotam hanc vitæ absque ordine rotari? si namque hoc verum est, ruit prouidentiæ ratio in Deo: omniaque fieri à casu, & à fortuna, & non diuinæ subiecta esse prouidentiæ absque trepidatione dicetur. Et tamen veritas infallibilis est, quod cum in diuina mente omnium rerum rationes præexistant, quatenus ordinantur in finem, præsertim vltimum: necesse est in Deo esse prouidentiam, quam dicunt esse rationem ordinis rerum in finem. Necessum quoque est omnia diuinæ subiecta esse prouidentię nedum in vniuersali, sed in particulari: quemadmodum etiam à Deo cognoscuntur, quod & supra tetigimus. Igitur vel malè docet Author, vel à Deo neganda est prouidentia: & tamen neutrum potest esse. At dicendum est, cum prouidentia diuina stare rerum inæqualitatem, ac inordinationem: quæ relata ad Deum, qui est causa vniuersalissima, non est inordinatio: sed ad causas proximas videtur vtique, & est inordinatio: videnturq; res prouenire causaliter, & fortuitè, prout ab ordine causarum particularium subducuntur: sed respectu causæ vniuersalis ab eius ordine subtrahi non possunt: ac ob hanc causam, diuinam minimè effugiunt prouidentiam. Itaque quicquid inordinatè fit in mundo, inordinatè fieri dicemus respectu causarum secundarum: quia effectus sequitur conditionem causæ secundæ, & proximæ. Hanc ob rem ride huius vitæ rotam absque ordine rotatam. At quia respectu Dei nihil fit sine prouidentia eius, quamuis inordinatè fieri videamus: Ideo perspice prouidentiam Dei, & caue foueam inferni, in quam deuoluit

Democritus cur ridere solebat.

Dubium magnum.

In Deo est prouidentia de omnibus.

Præcept. 58.

Dubij solutio.

Res quomodo inordinatè accidunt.

Digitized by Google

uoluit rota vitæ sine ordine rotata, dormientes in ipsa vita.

Λάλει τῷ θεῷ πολλὰ, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὀλίγα, τῇ μελέτῃ δὲ τοῦ νόμου κατορθώσεις ἑκάτερα.

PRÆCEPTIO CXCIIII.

Loquere Deo multa, & hominibus pauca: legis verò meditatione utraque rectè dispones.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXCIIII.

Homo, & animalia non cõmunicant in lingua.

LInguam habet homo præcipuè vt communicet aliquid alteri: animalia verò linguam habent ad vsum naturæ tantum. Nam & hæc intellectu priuantur omnino: ob id non loquuntur. Homo autem cum intellectiua vi maxime sit præditus, propterea loquitur: quia intellectualia solum loquuntur. Quare loquitur Deus, Angelus, homo. Deus mente, Angelus conceptu, homo vocibus. Deus illabendo, Angelus manifestando, homo significando. Deus cuicumque loquens, intentio illius cui loquitur minimè eum latere potest: quia intime penetrat. Angelus loquitur Deo, vel laudando, & admirans: vel affectus suos interpollata loquutione præsentans loquitur Angelo species ostendendo cum illuminatione, cum instructione verò superior loquitur inferiori tantum: loquitur Diabolo aliquid manifestando absque illuminatione: loquitur homini vel in corpore assumpto, & hoc sine medij immutatione: vel à corpore seiunctus, idque per impressionem rerum sensibilium. At homo loquitur homini, Angelo, & Deo: idq; vel in corpore, vel extra corpus. Si extra corpus, mente: si in corpore per voces aliquid significantes, quamuis mente quoque Deo loqui possit, per desiderium scilicet, & affectiones animæ. Igitur cum hominum sit loqui vocibus corporis, hominibus pauca te loqui licebit: Deo autem multa oratione. Si namque multa hominibus loquutus fueris, in varia incides pericula: si autem Deo immunis eris à delicto.

Deus, Angelus, homo, quomodo loquuntur.

homo homini pauca loqui debet, Deo multũ.

Peri-

Digitized by Google

Pericula autem erunt ſuſpitionum, contentionum, iurgiorum, murmurationum, blaſphemiarum, inimicitiarum, & ſimilium. Diſpones tamen rectè omnia legis meditatione. Præcipit namq; diuina lex, quomodo, quando, cum quibus, & quoties loquendum eſt. Cæterũ dubitatio exurgit non parua, num verum ſit, quod dicit Author, loquendum ſcilicet eſſe Deo per orationem multa, hominibus verò pauca, cum Præceptor noſter Chriſtus alias docuerit in oratione nõ multum loquendum eſſe? Quod ſi dixeris, Authorem docere multa loqui Deo vocibus mentis, non corporis; nam quemadmodum non paſſibus corporeis appropinquandum eſt Deo, ſed affectibus mentis: ita pariter non loquendum multa vocibus corporis, ſed ſpiritus: Hoc inquam non valet, quia Dominus nullibi prohibuit vocalem orationem: quinimo Eccleſia à Spiritu ſancto edocta, diu, noctuq; orationibus vocalibus inſiſtens: docet ſuos fideles multum orandum vocibus corporeis. Deinde Author dicens, hominibus pauca loquendum eſſe, Deo multa, inſinuat quod Deo multa loquendum eſt vocibus corporeis, quia taliter hominibus loquimur. Sed dicendum eſt, quòd Author bene dicit, multa loquendum eſſe Deo, ideſt multum orandum vocibus etiam corporeis: nam & alibi Chriſtus docuit ſemper orandum: ipſeque in oratione aliquando pernoctauit. Quod autem dixit, non multum loquendum in oratione, addidit ſicuti Ethnici faciunt; idque prohibetur. Quandoquidẽ putabant in multiloquio exaudiri. Itaque prohibet Chriſtus in oratione multiloquium, non omne, nec ſimpliciter, ſed futili verborum profuſione compoſitum, nugacitateque admixtum: quale eſt cum idem abſque cauſa frequenter repetitum, inculcatur. At quod puro, & ſincero fit corde: labijſque bene compoſitis iubet continuari. Sicque rectè dicit Author, loquere Deo multa, & hominibus pauca.

Dubitatio.

Dubitationis ſolutio.

Quid prohibet Chriſtus in oratione.

Digitized by Google

Δευτὴρ ἀγαθὸς ψυχὴ, τῆς προσεύχης τὸ δάκρυον. ἀλλὰ μετὰ τῆς προσεύχης, μίμνησο, τίνος χάριν ἐδάκρυσας.

PRAECEPTIO CXCV.

Balneum bonum est animæ orationis lachryma: verum cum oratione memor sis, cuius gratia lachrymas fuderis.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXCV.

DVplex balneum reperiri vniuersaliter nulli dubium esse existimo: corporeum, & spirituale. Corporeum corpora abluit: spirituale spiritus. De corporeo haud loquitur Author, sed de spirituali. Idque in quadruplex diuidi maxime consentaneum est: nempe in balneum contritionis, deuotionis, pietatis, & fletus. Primum pungit, secundum temperat, tertium sanat, quartum abluit. Primum pungens, dolorem facit; secundum temperans, dolorem lenit; tertium sanans, morbum expellit; vltimum abluens, sordes excutit. Primum dolore acquiritur; secundum religione; tertium misericordia; quartum oratione. Postremum persuadet Author dum dicit, balneum bonum est orationis lachryma: tamquàm cætera includens. Cum enim quis orat, & lachrymatur: proculdubio contritus, deuotus, & pius apparet. Igitur oratio cum lachrymis, & lachryma in oratione; bonum balneum est animæ. Quid enim est lachryma, nisi liquida gutta ex oculis profluens, quæ mentis dolorem exprimit? Dicitur namque lachryma, iuxta Isidorum, quasi lacerans mentem doloris, passionisq; affectu. Cum igitur liquidarum rerum balneo sordes abluantur, foueantur membra, sanenturque homines infirmitatibus multis: orationis lachryma peccatorum sordes abluet, partes animæ recreabit, ac illius infirmitates vndequaque expellet. Ergo bonum balneum est animæ orationis lachryma. At de lachrymarum virtutibus multa scitu digna digrediuntur Sancti Doctores.

Balneum spirituale quadruplex.

Lachryma quid sit.

Digitized by Google

Super Matt. Lachrymarũ encomia, & laudes.

Chrysostomus dicit, lachryma quicquid postulat, impetrat: delicta lauat, & mentem tranquillam facit: & verè sic est. Sicut enim post vehementes imbres, aer mundus, ac purus efficitur: ita & post lachrymarum pluuias, serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas. Ambrosius, suggestionem diabolicam extinguere docet, atque veniam mereri. Gregorius

Super Axa filia Caleph.

infernum cauere asserit, & cœlum aperire. Cassiodorus dicit

Super Ps. 41.

fletum esse cibum animarum, corroborationem sensuum, absolutionem peccatorum, refectionem mentium, lauacrum culparum. Id autem quod admonet, vt cum oratione memor sis, cuius gratia lachrymas fuderis: non ob aliud subiungit,

Lachrymæ ob multa fundi possunt.

nisi quia lachrymæ propter multa fundi possunt. Nam aut ex ira, aut ex indignatione, aut ex cordis dolore, ex angustia, ex tristitia: quandoque ex pietate, & compassione: aliquando ex gaudio, vel desiderio, vel ex amore, vel ex affectus teneritate; præsertim cum consideratur delectabile cum tristabili, vt ex deuotione. Quasi dicere volens, memor sis cuius gratia lachrymas fuderis in oratione. Si enim ob transitoria quomodolibet, haud æquo fuderis animo: oras enim Deum à quo non es misericordiam consequuturus: quia impertinenter quæris. Igitur desiste, quia ob Dei amorem, tui quoque, & proximi salutem, fundendæ sunt lachrymæ in oratione. At libet hoc in loco parum plus solito digredi, duoque examinare scitu digna. Primo igitur videbimus remedium ad animæ compunctionem necessarium, qua nam ratione anima compungi possit: secundo, quomodo dignè, fructuoseq; lachrymæ

moral. lib. 23 Iusti anima quomodo & quibus modis compungi potest.

fundi possunt. Diuus Gregorius docet, quòd quatuor sunt qualitates, quibus iusti viri anima in compunctione vehementer afficitur. Considerando in primis vbi fuit, deinde vbi erit, tertio vbi est, vltimo vbi non est. Primum ex recordatione tot malorum perpetratorum, tot commissorum scelerum causatur: quia scilicet sedit in cathedra pestilentiæ, iacuit in sordibus suum. Deinde considerando, quod erit ante tribunal supremi Iudicis, reddituros rationem de proprijs sceleribus. Tertio, quòd in medio fluctuum mundi huius reperitur, & in hac valle miseriæ. Postremo, quòd exul à cœlesti patria, vbi est finis suus. Qui hæc quatuor attentè contemplatur, dubio procul in lachrymas prorumpi necesse est. Vt autem lachrymæ profint animæ, & gratæ sint Deo: oportet

Digitized by Google

tet vt lachrymæ non sint de futura pœna: sed de culpa primo. Collachrymari enim debes te offendisse Deum tuum. Deinde ne peccata, quæ defles, iterum committas: quia iuxta Augustinum, frequenter peccans, & lugens vix veniam merebitur. Et nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata: & nihil valet veniam à malis poscere, & denuo iterare: quia inanis est pœnitentia, quã sequens culpa coinquinat; Et verè sic est. Quando enim sanabitur vulnus, si iteretur? si quis lauerit crudum laterem, num illum mundabit? minimè. Nam quanto magis abluet: tanto magis lutum faciet. Debet igitur homo de peccatis collachrymari absq; illorum recidiuiuo: & quantum se à Deo meminit amisisse per culpam, tantundem pœnitendo mens compunctionis suæ lachrymas bibat. Collachrymare igitur dignè pro peccatis tuis, & orando, funde lachrymas; quia bonum balneum erit animæ tuæ. Erit namque coram Deo holocaustum pingue. Si namque opus bonum feceris absque lachrymis, siccum holocaustum erit: at te non latet, multo magis sapere pingue pulmentum, quàm siccum: & Deo ab antiquo magis placuisse pinguia holocausta, quàm sicca, patet in veteri lege.

Lachrymæ vt prosint, quid requiritur.

Lib. soliloq. & habet de pœnit. d. 1. c. irrisor.

Peccata deleta non debent replicari.

Nota diligenter.

Oratio cũ lachrymis est holocaustũ pingue.

Τοὺς δυνάστας τοῦ κόσμου μὴ μακαρίζε· δυνατοὶ γὰρ δυνατῶς ἐτασθήσονται, ὅθεν καὶ τὸν κριτὴν αὐτῶν φοβερώτερον ἕξουσιν.

PRAECEPTIO CXCVI.

Principes vitæ ne beatos prædica: potentes enim cum sint: potenter quoque præerunt. Vnde ipsi etiam iudicem austeriorem habebunt.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXCVI.

Vemadmodum Beati minimè sunt, qui voluptatibus fruuntur, quia voluptates sunt pecudum, non hominũ, nec qui corporis bona possident: quia iuxta Eustratium, bona corporis quatuor sunt: nam vel est sensuum viuacitas, vel fortitudo, vel pulchritudo, vel sanitas. At in his excellunt homi-

In prologo lib. Ethic.

Corporis bona quæ.

Digitized by Google

nes beſtiæ (vt manifeſtum eſt) ſuntque homini cauſa peccandi: nec qui diuitijs abundant, cum fortunæ ſubiectæ ſint omnino: nec qui ſcientijs pollere videntur, cum maximam partem eorum quæ ſciunt, ignorent, minimam verò habeant: nec denique beati erunt, qui huius mundi bonis quomodolibet affluent, cum talia deficiunt quandoque: ita nec beati dicentur huius vitæ Principes, quia potentes, atque in honore, nominis fama, & dignitate conſtituti. Quandoquidem potentium vita, ſeruitus eſt: nam abſque ſeruis exiſtere nequit. Potentiaque, honor, dignitas, nominis fama, & ſimilia bonis, & malis communia ſunt: & beatitudo malos omnes, malaque omnia excludit omnino. Potenteſque non habent quicquid volunt: ſed aliquid mali aliquando etiam volunt: & tamen beatus, iuxta Auguſtinum eſt, qui habet quicquid vult, & nil mali vult. Vt quid ergo Principes vitæ beatos prædicas, quia Principes, quia magni, quia in honore, & dignitate poſiti, quia fama nominis eorum vbique volat, quia denique potentes? ob duo enim tales beatos non dices, tum quia cum ſint potentes, potenter quoque præerunt; vnde & pauperes iniquè oppriment, at beati nihil agunt perperam: tum quoque quod cum ſint potentes, iudicem auſteriorem ob potentiam habebunt, quare potenter tormenta patientur: & tamen beatitudo in perennis fruitione gloriæ conſiſtit. Igitur hos ne beatos dicas. Quid enim eſt beatitudo, inquit Boetius, niſi ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus? & tamen omnia imperfectionibus admixta in hac vita cernes. Vocabigitur beatos pauperes ſpiritu: mites: qui lugent: qui eſuriũt, & ſitiunt iuſtitiam: miſericordes: corde mundos: pacificos: & qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur ſæpius. Hos, inquam, non illos beatos voca: quia talium eſt regnum cœlorum. Sit in exemplum ſupremi præſidentia Angeli. Præcellebat quidem cunctos beatus ille tunc ſpiritus, intellectu, pulchritudine, loco, atque potentia: Cum verò potenter præeſſe voluit, Iudicem auſteriorem habuit; qui eum cum ſequacibus (vt decebat) è gloria eiecit in ſempiternum. Si cœlorum Principibus id factum eſt, quid terrenis futurum putabis? Iudicem certè auſteriorem habebunt, quia auſteriores & ipſi præſident.

In mũdo nullus beatus.

Libro 13. de Trinit. c. 58.

Lib. 3. de Cõſolatione, proſa 2.

In mũdo qui ſunt beati.

Nota.

Digitized by Google

Δεῖ πονεῖν τὸν Ἀδάμ, ἡμεῖς δὲ πονοῦντες ἐν τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ μισθὸν κερδαίνομεν.

PRAECEPTIO CXCVII.

Oportet laborare Adami filios: nos enim laborantes in lege retributionem lucrabimur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXCVII.

TRia in vniuersum existunt, quæ nata sunt habere bonum perfectum: Deus, Angelus,& Homo. Deus sine motu: Angelus vnico motu: Homo pluribus motibus. Deus, quia semper immobilis: Angelus, quia semel mobilis: Homo, quia semper mobilis. Deus absque motu, quia cum naturaliter sit summum bonum essentialiter, absque alicuius operationis motu summum bonum illi competit. Quinimò & Christo homini sine motu quoque operationis competit summum bonum. Quandoquidem cum ab instanti suæ conceptionis beatus fuerit ratione vnionis, non meruit animæ propriæ beatitudinem, nec scientiam, neque diuinitatem: quia meritum est, quod nondum habetur. Si igitur Christus ista meruisset, his caruisset aliquando: quod penitus absurdum, & à Fide alienum est. Angelus verò vnico motu, quia creatus vnico liberi arbitrij sui motu, in instanti secundo, absque discursu, & temporis momento, suam adeptus est beatitudinem. At homo, quia rerum vicissitudini subiectus omnino est, pluribus motibus necessum est, vt beatitudinem consequatur, ieiuniorum scilicet, orationum,eleemosynarum,aliorumque sanctorum laborum: quia nulla pura creatura absque præcedentis operis merito potest eam consequi: cum omnis naturæ creatæ facultatem incomparabiliter excedat. Et quamuis opera finita sint, nullius que valoris, quia creatura finitæ virtutis est,operaque eius tanquam pannus mēstruatæ mulieris: merito tamen passionis Christi infinitantur, atq; meriti fiunt infiniti: ac ideo necessaria sunt penitus. Ideo Author dicit, quòd oportet laborare Adami filios: quia laborantes in lege, retri-

Deus, Angelus, Homo, quomodo habent bonum perfectum.

Christo sine motu operationis competit summū bonum.

Homo pluribus motibus beatitudinē consequitur.

Digitized by Google

retributionem lucrabuntur. Non ignaui, non ſoccordes, non ocioſi, non ſegnes, non pigri, nec ſomno dediti. Falluntur quidem qui hos beari putant. Promiſit namque Deus coronam operantibus bona, vigilantibus in lege, non dormientibus. Si enim de Adamo ſcribitur, quòd poſuit eum Dominus in paradiſum voluptatis, vt operaretur: & poſt peccatum, dictum ei fuit, quòd in ſudore vultus ſui veſceretur pane ſuo. Et alibi dicitur, quòd homo natus eſt ad laborem, quomodo & nos præmium aſſequemur abſque labore? ſi ſcripturæ opera prædicant ad ſalutem, quomodo & nos abſque operibus illam habebimus? Si in hoc ſeculo (vt experientia continua docet) hominum nemo quid temporale lucratur, niſi laborat, quomodo & nos ſine labore retributionem lucrabimur æternam? Heu hominum fatuitas, qui putant abſque labore cœlum conſcendere. Laboremus igitur & nos fratres in præſenti ſeculo nequam, vt tandem futurum omni felicitate plenum: pro retributione aſſequi valeamus.

Deus operãtibus bona, coronã promiſit.

Ἀνάγκη τοῖς ἐκ τοῦ πληρώματος θλίβεσθαι, ἀλλ' ὅταν ἐν χάριτι τὰς θλίψεις ὑπομείνωμεν, εἰς εὐλογίαν ἡμῖν ἡ κατάρα μετέρχεται.

PRÆCEPTIO CXCVIII.

Neceſſe eſt Euæ filios affligi: verum quando patienter afflictionem ſub ſtinuerimus, in benedictionem vertitur maledictio.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXCVIII.

Deus quæ operatur in nobis ob actiones.

IRia operatur in nobis ob actiones Deus Optimus Maximus (cæteris etiam omiſſis) iram, pœnitudinem, & præmium: nam iraſcitur, flectitur, & præmiat. Præmiat ob virtutes: flectitur ob pœnitẽtiam: iraſcitur propter peccata. Præmium operatur primo, quia præmiando, dat gloriam: pœnitudinem ſecundo, quia dum flectitur, parcit: iram tertio, quia iraſcendo, punit, & caſtigat. Cum igitur Euæ filij peccent, neceſſe eſt illos affligi omnino: quemadmodum & Euæ pec-

Digitized by Google

peccando, cum maximo sui, & viri dedecore ejecta est simul è paradiso. Et certè quis hominum ignorat pœnas, tormenta, pœnalitates, tribulationes, afflictionesque quas miserabiliter in mundo patimur, nobis cum ob primorum parentum peccamina, tum etiam infligi ob propria? Crede mihi, quòd si abessent peccata, abesset & punitio etiam temporalis mundi huius. Non essent tribulationes, tormenta, afflictiones. Nulla quidem noceret aduersitas, si nulla dominaretur iniquitas. Et labium angelicum docuit, quòd humanum genus melius se haberet, si homines non peccarent. Quamuis aliquando affligat suos Deus ad gloriam suam: quandoque ad exercitium: aliquando etiam vt sanctorum patientia summopere reluceat, probeturque sicut aurum in fornace, vt in Cœco nato, Iob, & reliquis. Cur autem addit Euæ, & non Adam, cum omnes in Adam peccauerint, & in Adam affligantur, & in Adam moriantur, non autem in Eua? Nam & si Eua sola peccasset, non autem Adam: peccatum tamen non esset in posteros transfusum; ac propterea humanum genus liberum eximeretur à tribulationibus: quæ propter tale peccatum veniunt. Respondetur verum esse, quòd si Adam non peccasset, omnes essemus filij gratiæ, non autem iræ, & propter Adæ peccatum in tot intricatissimis anfractibus, labyrinthisque versamur: nihilominus tamen peccauit Adam, suggerente Eua, sicuti peccauit Eua, suadente serpente: ac propterea Author in Euam reducit peccatum tamquam in causam potissimam. Diabolus enim non adijt Adamum, vt comederet de ligno, quia sapientia præditus erat nimia, ideo dubitauit de Adam, quòd non consentiret: Petijt Euam, quia mulieres facilè persuadentur. Quæ cum obediret voci Demonis: persuasit Adam. Adam verò ne contristaret delicias eius, ligni fructum accepit, & comedit. Quare cum Eua suggerente, peccauerit Adam, & propter peccata veniant aduersa: Ideo Author inquit, necesse est Euæ filios affligi: quia Eua causa fuit. Vnde & quidam Poeta optimè cecinit.

Tanti causa mali, fœmina sola fuit.

Itaque cum necessarium sit omnino affligi, torqueri, deijci, quid facies? desperaberis? absit. Docet Author minimè desperandum esse, sed substinendum cum patientia. Nam patienter substinendo, fiet vt maledictio, quæ ad te venit ob pec-

Tribulationes cur in mundo patimur.

Dubium.

Responsio.

Diabolus cur non tentauit Adamum, sed Euam.

Ob tribulationes nō est desperandū, sed substinēdum.

Digitized by Google

peccata, vertatur in benedictionem ob patientiam. Substine igitur & tu cum affligeris, vt maledictio in benedictionem: & afflictio in quietem vtiliter redeant.

Αὔχῃ πρὸς τὰς πράξεις τῷ συνειδότι χίχρησο. τοῦτο γάρ σοι πολὺς μὲν ἐν βίῳ ἀγαθὰς, πολὺς δὲ πόνους ἐκδιώκειν.

PRÆCEPTIO CXCIX.

Conscientia pro lucerna vtere in actionibus. Ea enim quæ in vita bonæ sint, actiones, quæ verò malæ, tibi ostendit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CXCIX.

Actiones hominum quæcunque sint illæ, vel bonæ erunt, vel malæ, vel indifferentes. Voco pro nunc indifferentes actiones illas, ob quas homo nec meretur, neque demeretur. De indifferentibus non loquitur Author: sed de bonis, vel malis. Ad dijudicandum igitur illas, nam aliquando ignorantur, quæ scilicet sint bonæ, & quæ malæ, vt securus viuere possis: dat regulam Author, nempe vt vtaris conscientia, quia hæc ostendit earum malitiam, & bonitatem. Est enim conscientia ceu lucerna quædam, quæ nocte accensa quaslibet nostras actiones dirigit, atque distinguit: & quæ nobis occultantur ob tenebras per illam (vt continuus docet vsus) clarè manifestantur. Sic quoque conscientia quaslibet nostras occultas actiones, quæ scilicet sint bonæ, & quæ malæ: in vita nobis ostendit. Et bene conscientiam lucernæ assimilat, quia lucerna lumen in se habet: & conscientia cum sit synderesis actus (non enim est potentia, nec habitus, sed applicatio scientiæ, vt docet Diuus Thomas) Synderesis verò scintilla quædam, quia suprema, & purior pars est rationis, & modica intellectualis participatio respectu Angeli, licet propriè non nominet rationem superiorem, nec inferiorem, sed aliquid communiter se habens ad vtranque iuxta Diuum Thomam: Conscientia lucerna erit. Quare conscientiam mentis nostræ lucem

Homo vt sciat quę actiones sint bonæ, & quæ malæ, cóscientia vti debet.

Conscientia lucernæ assimilatur.

Conscientia quid sit. 1. 1. q. 89. art. 13.

Synderesis quid sit.

Digitized by Google

lucem Damascenus vocat. At Doctores, Diuus Thomas præcipuè, dicunt: quod nunquam extinguitur synderesis, hoc est nunquam amittitur: rectè igitur conscientia lucernæ assimilatur. Rursus lucerna de nocte communiter accenditur: & conscientia in præsenti vita, quæ certè nox est, exercetur. Igitur si ambigis actionum tuarum, quæ bonæ sint, & quæ malæ, accende lucernam, vtere conscientia: quia lux est, quæ rectè, quæ obliquè semper tum ad bonum, & verum deuergens, & fertur prona, vnde existit approbatio virtutum, & improbatio vitiorum: quæ denique ostendet tibi, quæ bonæ sint actiones, & quæ malæ, vt docet Author. Verum & Alexander de Ales Doctor Irrefragabilis docuit, conscientiam esse regulam in ratione: synderesim verò esse regulam in voluntate, instigando, & stimulando eam ad bonum.

Synderesis nunquam amittitur.

In 3. p. summæ.

Ἑαυτοὺς κρίνωμεν, καὶ ὁ κριτὴς καταλλάσσεται. χαίρει γὰρ ὡς ἀγαθὸς τὸν ἁμαρτωλὸν θεωρῶν, τὸ φορτίον αὐτοῦ σκορπίζοντα.

PRÆCEPTIO CC.

Nos ipsos iudicemus, & iudex placabitur: gaudet enim vt bonus, peccatorem conspicatus onus suum discutientem.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CC.

IVstitia humana quemadmodum ad iustitiæ diuinæ examen deducta, sæpe iniustitia est: nonnisi quia iuxta Beatum Gregorium sordet in districtione iudicis, quod in æstimatione fulget operantis: ita quoque diuersa est prorsus ab ea, quę diuinitus exercetur. Quandoquidem humana torquet peccantes, vt delicta fateantur, diuina leniter persuadet, & suggerit interius. Illa punit seuerè, hæc misericorditer. Illa confitentes vsque ad mortem deducit, scelestosq; promulgat: hæc confitentes à morte liberat; iustosque declarat. Illa confitentes damnat: hęc confitentes præmiat; nonnisi, quia iudex Deus placatur, videns quod nos ipsi à nobis ipsis iudicamur.

Lib. 5. moral. Iustitia humana diuersa est à diuina.

Digitized by Google

Quinimò gaudet vt bonus, iuxta Authorem, prospiciens peccatorem onus suum discutientem: quem ob id & amat, & diligit. Quemadmodum dux in bello gaudet, videns militem, qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit, magisq; eum diligit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit: & nunquam aliquid fortiter fecit. Igitur vt iudex placari possit, nos ipsos iudicare necesse est: fungiq́ue partibus illorum, qui ad iudicium concurrere solent. Quatuor nanque in legali iudicio regulariter adueniunt. Accusator, reus, iudex, & deprecator. Accusator, qui delinquentem accusat: reus, qui deliquit: iudex, qui iudicat: deprecator, qui reum defendens, iudicem deprecatur, vt parcat, vt remittat, vt condonet. Iudex Deus vult, vt nemo causam nostram, nisi nosipsi agamus: nobisq́ue remittit omnium vices. Fungamur ergo primum accusatoris partibus, accusando nosipsos: deinde rei, tales nos confitentes: inde iudicis, nosipsos iudicando, & discutiendo: nouissime deprecatoris, supremum deprecantes Iudicem, vt condemnet à nobis condemnata: approbet à nobis approbata: parcat his quæ à nobis discussa sunt; fiamusq́ue tales, quales & fieri solent, qui seipsos iudicant, qui seipsos peccatores fatentur, qui seipsos discutiunt. Crede mihi, iudex placabitur, quinimo gaudebit vt bonus: peccatorem conspicatus onus suum discutientem. Igitur nosipsos iudicemus: ne à Deo iudice iudicemur.

In iudicio legali quę personæ concurrere debent.

Εἰ τι ῥυπαρὸν ἡμῖν πεπράκται, τῇ μετανοίᾳ πλυνώμεθα. μέλλομεν γὰρ καθαρὰν τὴν εἰκόνα μεθ' ἡμῶν ἔχειν.

PRAECEPTIO CCI.

Si sordidum quid à nobis commissum est, pœnitentia id lauemus: debemus enim puram nostram imaginem vt regulam imitari.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCK

TRia operatur peccatum in homine, infligit in animam reatum pœnæ, maculam, & turpitudinem. Turpitudinem, quia deturpat: maculam, quia coinquinat: reatum pœnæ, quia obligat ad gehennam. Igitur vt ab his liberetur, necessum est contra turpitudinem munditiam, contra maculam lauacrum, contra reatum pœnæ solutionem adhibere. Nam prima munda fiet: secunda pulchra: tertio autem libera. Quid igitur faciendum est; vt primis ab anima abolitis, secundis decoretur? pœnitentiam accersiri iubet Author: quia omnia pœnitentia efficit. Hæc enim remouet reatum, lauat maculas, mundat turpitudinem. Hoc est, quod dicit Author, vt si sordidum quid à nobis commissum est: pœnitentia id lauare debeamus. Etenim qui sordibus coinquinatur multis, lauacro certè opus est, vt maculis vndique expulsis, mundus in conspectu omnium appareat; secus à pueris ipsis nedum à viris, vt experientia ipsa indies testatur, tanquam amens, & fatuus luto, & lapidibus penè obrueretur. Homo peccatorum sordibus plenus, ablui necesse est, quo in conspectu Dei, & Sanctorum immaculatus præsentetur: aliter in periculo esset obrui luto, & lapidibus pœnarum gehennæ ignis in perpetuum. At ablutio hæc nonnisi pœnitentia fieri potest, nam & baptismus est contra lethalem peccati morbum ordinatus, vt absque ea virtute saltem, supposito peccato, nequeat homo æternam assequi gloriam. Est igitur necessaria, quæ aut æquet saltem crimina: aut certè excedat. Sic nanque debemus puram nostram imaginem, vt regulam imitari. Quemadmodum enim regula dirigit operantem in opere, efficitque vt operatum rectè, perfectèq; perficiatur: ita & nos debemus nostram imaginem imitari puram, nonnisi pœnitentia; ac ob id fiet, vt sordibus vndique lotis, immaculata appareat anima in conspectu Altissimi, qui creauit eam. Laua igitur lachrymis animam tuam, quia in lachrymis est odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis incunditas, & serenæ conscientiæ suauitas. Sic certè puram tuam imaginem, vt regulam imitaberis.

Peccatum quid operatur in homine.

Pœnitentiæ efficacia.

Pœnitentia baptismus quidam est.

Pœnitentia necessaria est.

Πρὶν γυμνωθῆναι τὰ ἕλκη τῆς ψυχῆς θεραπεύσωμεν, ἵνα κερδήσωμεν τοῖς φαρμάκοις τὰς μάστιγας.

PRAECEPTIO CCII.

Priusquam videntur animæ vlcera, ea curabimus, vt lucremur ijs pharmacis pœnam.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCII.

Aegritudines quantocyus curandæ.

VI ægritudinibus vexãtur quamplurimis, quæcunque sint illæ, si ad pristinam redire desiderant sanitatem, præ alijs animaduertere necesse est, vt quantocyus apponantur medicamenta, secentur venæ, adhibeantur antidota, sumantur pharmaca, & cætera huius generis innumera; nam periculum in mora solet esse, iuxta illud, Et hic propriè est suus locus.

Principijs obsta, sero medicina paratur.

Et quæ sollicitudine curari solent, tarditate desperantur. Manifestum id fiat vel in serpentium morsibus, vel in vulneribus inflictis: vt nisi debita citò cataplasmentur, in immensum morsus producuntur & vulnera: videnturque multa, quæ medicus nollet videre: quo fit, vt facilis sit desperationis locus. Verum antequam malum imbibatur, ac priusquam vulnera excrescant, si antidotis adiuuetur infirmus, sanabitur æger, vita viuet, non morietur. Anima peccatis obnoxia mirum in modum infirmatur, quinimo tot sauciata vulneribus, quod peccatis affecta. Quid enim est peccatum, nisi gladius perforans animam vsque ad interiora deformitate sua. Superbia etenim vulnus est in anima à peccati gladio inflictum: libido vulnus aliud: auaritia aliud: iracundia similiter & aliud: & cætera huius generis singula animæ vlcera sunt. Ergo antequam augeantur, pharmacis ijs, hoc est pœnitentijs curanda sunt. Nam & pœnitentia, inquit Isidorus libro 3. de summo bono, est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam peccatores saluãtur, per quam Deus ad misericordiam prouocatur: nam & pœnitentia (inquit Augustinus in libro

Animæ infirmitas peccatum.

Pœnitentia est pharmacum peccatorum.

de

de pœnitentia) languores sanat, leprosos curat, & mortuos suscitat: sanitatem auget, gratiam cõseruat, claudis gressum, aridis copiam, cœcis restituit visum: vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit, ac roborat. Igitur ijs pœnitentijs curanda sunt peccatorum vulnera, nonnisi more peritorum medicorum, qui in singulis morborum generibus ita habere se solent. Ex frigore nimirum, & ex defluxione torpentes, & obstructos: nonnisi calefacientibus, emollientibus obstructionesq; soluentibus sanabunt. E contra verò totius corporis igneo calore accensos, inflammatosque, refrigerantibus quidem, & astringentibus, in pristinam nitentur reducere salutem. Igitur si superbia grauaris, curato humilitate: si auaritia, liberalitate: si libidine, castitate: si iracundia, mansuetudine: si gula, abstinentia: & cætera huiusmodi nonnisi pharmacis suis curare debemus. Lucrabimur profecto ex his magnum quid: nempe pœnam æternam, quam incurrebamus ob peccata, sicuti & infirmi mortem temporalem ex pharmacis sibi sumptis. Igitur vt his pharmacis pœnam lucremur, curemus animæ vlcera priusquam videantur, augeanturque.

Pœnitentiæ effectus.

Vitiorum pharmaca.

Ὥσπερ δυσχερῶς οἱ δεδεμένοι βαδίζουσιν, οὕτω τὸν δρόμον τῆς ἀρετῆς οἱ συμπλακέντες τῷ βίῳ, καθαρὸν οὐκ ἀνύουσιν.

PRÆCEPTIO CCIII.

Quemadmodum vincti difficulter incedunt: sic cursum virtutis parum haud absoluunt, vitæ negotijs impliciti.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCIII.

Vicunque rem grauissimam optimè expeditus est, si ad colophonem (vt dicitur) & ad calcem fœliciter deducere voluerit, necessum est omnino, vt alteri negotio minimè intendat, sed omnes vires, neruosque huic ita adhibeat, vt de ipso victoriam cum honore reportare valeat; secus nihil efficiet. Manifestum est hoc tum in naturalibus,

Homo nõ potest ad plura simul, & semel se ferre.

Digitized by Google

ralibus, tum quoque in moralibus. Si nanque ad plura se tulerit sensus debilitabitur: & si duobus intenderis, vtrique deficies. Vnde & quidam optimè cecinerunt.

Pluribus intentus: fit debilis ad singula sensus.

Et alij.

Deficit ambobus: qui vult seruire duobus.

At propterea neutrum absoluet. Quare cum cursum virtutis (quod est Deo seruire) absoluere nos conuenit, si vitæ negotijs impliciti fuerimus: nequaquam illum absoluemus. Quia etiam iuxta Christi nostri Redemptoris doctrinã: nemo potest duobus Dominis seruire. Quod intelligitur de duobus ad inuicem non ordinatis: si namque ordinati ad inuicem fuerint, vtrique fieri quidem satis poterit. Verum cum Deus, & mundus non sint ad inuicem ordinati, neutris seruire quispiam poterit: sed vtrisque vel deficiet, vel alterum contemnet, & alterum diliget. Hoc est, quod dicit Author, vitæ negotijs implicitos, cursum virtutis vel parum, vel nihil absq; soluere posse: dans exemplum de vinctis, & rectè. Nanq; vincti vel non incedent, quia non possunt, cum sint vincti; vel difficulter incedent; eademmet quippe ratione, quia vincti. Liberi enim, & nexibus soluti facilè incedere possunt. Ita quoque huius seculi negotijs vincti vel parum, difficulterque virtutis cursum absoluere possunt, vel nihil: quia Deo, & Diabolo: Mundo, & Cœlo: Carni, & Spiritui simul & semel impossibile est deseruire: nedum quia contraria ad inuicem sunt: sed præsertim quia nexibus Carnis, Mundi, & Diaboli vinciris. Igitur abstrahe te à seculi curis, ita enim cursum virtutis absolues, adipiscerisque spiritum, cœlum, & Deum.

Matth. c. 6. Explicatio illius, nemo potest duobus dominis seruire.

Optimum exemplum.

Χρὴ τὴν ἁμαρτίαν μισεῖν. οὕτω γὰρ αὐτῆς τὴν παγίδα, κἂν ὀλιγάκις τὶς πρὸς αὐτὴν, ἐξελεύσεται.

PRÆCEPTIO CCCIII.

Oportet peccatum odisse, sic enim ipsius laqueum, etiam si quis eo irretitus fuerit: effugiet.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCIIII.

TRibus quidem modis (etsi alij non desint) perpetratur peccatum: primo cogitasse, quæ mala sunt: secundo cogitationibus acquieuisse peruersis: tertio opere illa complesse. Nam vel cogitatu, vel consensu, vel opere offenditur Deus. Igitur tot quoque modis ad horum destructionem adhibendi sunt: expellere scilicet cogitatus: resistere peruersis: & delere operata. Primum fiet vigilantia: secundum fortitudine: tertium odio. Nam vigilando facilè expelluntur: præliando resistitur: odio habēdo delentur. Primum in initio fiet, quandoquidem si tunc malos non expuleris cogitatus: cogitando quidem, semper procedes. Secundum in medio, si nanque non resisteris: acquiescès facilè. Tertium postremo, vt nempe odio deleantur. Igitur oportet vigilare, præliari, & odio habere peccatum. Hoc postremum maius est omnibus, si namque vigiletur, prælietur, & odio postmodum nō habeantur peccata, nihil fiet. Quid enim prodest vigilare, ne malè procedant vlterius cogitationes, resistere, ne assentiatur, postmodum verò patrata, non odio habere peccata? igitur oportet peccatum odisse: odio autem haberi non possunt, nisi displiceant. Si namque placent, odio certè non habentur. Itaque vt displiceant, odio haberi necesse est: odio autem nunquam habebis, si te non pœnituerit: si autem pœnitebit, odio quidem habebis. Pœnitere namque dicimus, cum quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate, nostroque consilio facta sunt, ea nobis postmodum incipiunt displicere, sententiamq; in his nostram demutamus, atque mirabiliter odio habemus. Pœnitentia namque (inquiunt Gregorius, & Ambrosius) est præterita mala plangere: & plangendo iterum non committere. Pœnitentia, iuxta Magistrum Sententiarum, est virtus qua commissa mala cum emēdationis proposito plangimus, & odimus: & plangendo vlterius committere nolumus. Pœnitentia, inquit Augustinus, est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse. Igitur cum odio peccata deleantur, oportet peccatum odisse: sic enim (inquit Author) ipsius laqueum effugiet quis etiam si eo irretitus fuerit.

Peccatū quibus modis efficitur.

Peccatorum genera quibus delētur modis.

Peccata nisi odio habentur, nihil prodest.

Pœnitentia quid sit.

4. sent. dist. 14.

Et habet de pœnitentia, dist. 3. c. pœnitentia.

Pec-

Digitized by Google

Peccata namque laquei sunt, ita vt quot peccatorum genera: tot quoque laqueorum species miseram illaqueantium animam existunt. Vis igitur effugere ipsorum laqueos: odio habeto peccatum. Quamuis enim ipsis irretitus: effugies certè, perinde ac astutum animal, quod inspecto laqueo suæ causa mortis, quod magno prosequitur odio, vel fit deuium aufugens, vel si incidat, astutia, versutiaque sua aut euitat, aut frangit, aut cum eodemmet fugam arripit: vt sæpius à pleriſque manifestè visum est. Ita & te quoque oportet facere: nempe vt odio peccatum omnino habeas, sic enim effugies.

Exemplum optimum.

Ὁ τὸν μισῶν τὴν ἁμαρτίαν, ἐν ἁμαρτωλοῖς, εἰ μὴ φύγῃ τὴν ἁμαρτίαν, κρίνεται.

PRAECEPTIO CCV.

Qui peccatum non odit inter peccatores, etiam si non fecerit ipsum peccatum: tamen iudicatur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCV.

Omne peccatum quomodo committitur.

NVllum peccatum committi potest, nisi vel cum appetuntur ea, quæ Christus contempsit: vel cum fugiantur ea, quæ Christus amplexus est. Nam cũ nihil tantũ opponatur Deo, quantum peccatum, quæ Christus amplexus est, peccata haud fuerunt: sed quæ contempsit, vitia fuerunt. Igitur qui fugit ea, quæ Christus insectatus est, appetit verò quæ Christus neglexit: deficit quidem, deflectit à Deo: tunc peccatum incurrit: quia contrariatur omnino Redemptori nostro peccatum execranti. Quid enim est peccare, nisi voluntate auerti à Deo? quid namque est peccare, (iuxta Beatum Thomam) nisi deuiare ab ordine debiti finis, contra regulam rationis, vel legis æternæ? quid iuxta eundẽ ex Beato Augustino, nisi neglectis rebus æternis, temporalia sectari? quid, nisi vtendis frui, & fruendis vti? quid, nisi dicere, vel facere, vel concupiscere contra legem æternam? quid, nisi prævaricare contra legem diuinam, & cœlestibus

Quid sit peccare.

1.1.q.61.ar.1 22.q.102.ar.1 1.2.q.71.art. 6.

inobe-

Digitized by Google

inobedire mandatis? quid, nisi voluntate retinere, vel consequi quod iustitia vetat? quid denique, nisi auertere se à bono illo incommutabili, omni bonitate pleno, & indebitè se conuertere ad commutabile bonum, nonnisi apparens bonũ? Itaque qui hæc facit, contra Christi voluntatem facere videtur: igitur peccat. Ergo necessum est appetere, quæ Christus amplexus est: contemnere, quæ Christus neglexit. Amplexus est Christus virtutes, contempsit verò vitia: ergo & te quoque eodem facere oportet. Id autem facies, si oderis peccatum, maximè odio habendum. Si autem peccatum non oderis, malum salutis tuæ signum præscribitur: quippe quæ sine dolore peccatorum non admittitur. Hoc autem prouenire maxime consentaneum est, vel quia in peccatis consuetus: vel quia in ipsis durior lapidibus. Omne etenim peccatum quod odio minimè habetur, aut est quia consuetum, aut quia ob duritiam non sentitur. Consuetudine quidem, quia vilescit, & fit homini quasi nullum: ob duritiam quia non dolet. Certè si doleres, abesset duritia, & euanesceret consuetudo: ac ideo odio haberes. Cum igitur non doleas, duplici quidem comitaris socio: consuetudine scilicet, & duritia. Idque, quia odio minime peccatum habes: ac propterea tua desperaris salute. Quod non dolet, non pro sano habendum, sed pro mortuo computandum est. Omne namque membrum si pungitur, & dolet, aut sanum est: aut in illo aliqua est spes curationis. Si verò dum tangitur, pungitur, calcatur, & non dolet: pro mortuo reputandum est. Qui igitur peccat, & dolore peccatum non odit, pro mortuo reputandus est: ac ob hanc causam reus erit iudicio, etiam si peccatum non fecerit, non odiendo: quia videtur amare peccatum, vel alias factum, vel non factum: & ideo iudicatur ac si fecisset. Quia non odiendo peccatum, necesse est, vt amet peccatum. Peccatum enim odiendum, atque ab omnibus detestandum præcipitur.

Peccatũ cur non odio habetur.

Nota diligenter.

Ἐπὶ τῷ πλησίον ἁμαρτάνοντι στέναζε ἵνα καὶ σεαυτὸν συνέξῃς. πάντες γὰρ ἐσμὲν ἐν ἐπιτιμίοις καὶ ἁμαρτίαις ὑπόδικοι.

PRAECEPTIO CCVI.

Super proximo peccante suspira, vt & teipsum accuses: omnes enim vitijs, & peccatis sumus obnoxij.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCVI.

Quæ sunt illa, quæ peccare nó possunt.

TRia sunt, quæ peccare omnino non possunt, Deus, bestia, & lapis. Deus, quia implicat: bestia, quia sine ratione: lapis, quia sine capacitate. Deus, quia bonus per essentiam, nulli indigens, omnibus superior, potens, sapiens, optimus, atque totum continens: quinimo & homo Christus ratione vnionis diuinæ naturæ cum humana, quæ talis fuit, quod ex hac non potuit peccare: quoniam vnio illa adeo efficax fuit, vt Dei proprietates quodammodo humanæ naturæ tribuerentur. Quemadmodum ignitum ferrum ignis proprietatem sibi vendicat, ita Christus ceu ferrum in fornace diuinitatis accensum, diuinitatis proprietates sibi iure merito tribuuntur. Et ceu virga, quæ sola flecti potest, sed ad ad columnam ligata minime: ita & humana natura in Christo ligata ad columnam diuinitatis, flecti per peccatum minime potuit. Accedit, quòd confirmatus fuit in gratia, & in gloria. Sicque vt christallum à Sole irradiatum, vmbra in eo minime esse potest, sed remanet semper clarum: sic & Christo vti christallo à diuinitatis Sole irradiato, vmbra peccati in eo minime cadere poterat. Insuper nec vt viator, nec vt comprehensor peccare potuit: non vt viator, quia & Apostoli viatores post confirmationem peccare mortaliter haud potuerunt, licet venialiter. Sed & Beata Virgo nec mortaliter, nec venialiter, quia ante Christi conceptionem religatum habuit fomitem: qui quidem in Christi conceptione omnino extinctus fuit; quicquid dicat Paludanus noster de veniali: Nam

Christus cur peccare non potuerit.

Beata Virgo nullo modo peccare potuit. 4. sent. dist. 13. q. 4.

Digitized by Google

Nam & Tridentina Synodus nuper oppositum determinauit. Nec vt comprehensor, quia etiam illæ beatorum spirituum mentes, atque beati omnes minimè peccare possunt in cœlo. Igitur cum vtraque fuerit Christus dignitate, atque prærogatiua suffultus, multo minus: quinimo impossibile erat vt peccare posset. Bestia verò cum irrationalitate sit maximè prædita, peccare haud potest. Quandoquidem peccatum in voluntate, ac propterea in rationali, intellectualique natura ponitur; sed in brutis omnibus nec ratio, nec intellectus existunt: ac ideo nec voluntas, sed sensitiuus purè appetitus. Et si in eis est voluntarium aliquod, absque electione esse, fatendum est. Nam non eligunt, quia merè naturaliter, non liberè agunt: ac propterea ad vnum, non autem ad plura determinantur; non enim liberum ineſt eis arbitrium: quare animalia omnia conditionis tantum, ac necessitatis bonum habent: igitur peccare minime possunt. Lapis verò, quia sine motu, sensu, & vita qualibet, immunis à peccato prorsus reddi manifestum est: quinimo ridiculum esset id affirmare. Cæterum homo cum nec Deus, nec bestia, nec lapis existat, sed rationali natura (vt par est) ornatus, libertateque radicaliter in intellectu, in voluntate formaliter existente insigniter decoratus: ac propterea voluntarij boni munere, & liberi arbitrij potestate dotatus: vt boni, ac mali capax, vtrunque naturaliter potest, & alterum volũtate deflectere, licet quippe nobis eligere, refutare, probare, respuere: nec est quo magis rationalis creatura cæteris præferatur: ob id peccare necessum est, dum in hac mortali, fragilique vita consistit, vel mortaliter, vel venialiter, nisi aliquo peculiari reseruaretur priuilegio; quod paucis concessum omnibus in manifesto est. Itaque cum homo peccet, nec sit quin peccet: quia si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis haud esse potest; & si in gratia constitutus, singula, & omnia mortalia euitare quis posset, non tamen singula, & omnia venialia, licet singula tantum: oportet & te misereri proximi tui peccãtis, & super ipsum suspirare: quia cum omnes simus peccatis, & vitijs obnoxij, teipsum quoque super alijs suspirando, accusabis: ac propterea iustificaberis apud Deum. Non etenim licet fratris tui pudenda reuelare, sed conlachrimari: videns animam eius diabolo obnoxiam,

Sess. 6. c. 23. Angeli sancti, & Beati in cœlo non possunt peccare.

Bestia cur peccare non potest.

Lapis cur peccare non potest.

Homo solus peccare potest, sicuti de facto peccat

1. Io. cap. 1.

Digitized by Google

Deo inimicam, odiosam Angelis, Sanctis exosam, à Regno cœlorum exclusam, definitam tandem pœnis inferni. Igitur suspira, tum quia commune est peccare, tum quoque vt communis sit remissio. Efficies namque vt peccans aliquando conuertatur: & tu mereberis. Imitare beatissimum Antistitem Ambrosium, qui quotiescunque aliquis ei suos confitebatur lapsus, ita flebat, vt eum etiam flere compelleret.

Ἀναμίμησαι τοῦ χριτοῦ τὸν φίλον ἁμαρτήσαντα, καὶ τὸ σὸν ἐμπλάσεις τραῦμα. κοινὸν γάρ ὅτι τῆς βουλῆς τὸ φάρμακον.

PRAECEPTIO CCVII.

Commone facies iudicis amicum, qui peccauit: & hoc pacto tuum vulnus curabis: commune est consilij pharmacum.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCVII.

Charitas præeminet cunctis rebus.

NVlla de virtutibus quibuscunque, nec admirabilior, nec dignior, nec gratior est charitate. Quippe quæ inter virtutes omnes quæcunq; sint illæ, siue infusæ, siue acquisitæ, siue mediæ, perquammaximè superexcellat. Hæc enim omnia: illa verò nihil sine charitate.

Charitatis encomia, & laudes.

Est namque charitas virtutum omnium entitas, forma, & pulchritudo. Robur spei, fidei firmamentum, defensatrix iustitiæ, temperantiæ cultrix, prudentiæ ductrix, fortitudinis tutamentum, & vt inquit Augustinus ad Martianum, est charitas vnda pacis, ros gratiæ, dilectionis imber, semen concordiæ, affectus gentium, & fructus amoris. At sine charitate spes imbecillis redditur, fides infirmatur, corrumpitur iustitia, violatur temperantia, prudentia infatuatur, fortitudo deprimitur, turbatur pax, deficit gratia, siccatur dilectio, concordia prosternitur, dissipatur affectus, & fructus amoris marcescit. Nec immerito, quia omnia vincit charitas, trahens ad se cuncta vbicunque fuerit: & sine ipsa omnia soluuntur, quotiescunque

Absque charitate omnia vana.

Digitized by Google

tieſcunque aberit. Hæc autem charitas ad duo dirigitur, ad Deum & ad proximum. Eſt enim charitas (teſte Beato Thoma) mutuus amor hominis ad Deum, vel amicitia quædam hominis ad Deum, & è contra: ſuper beatitudinis communicatione fundata, cuius obiectum eſt Deus propter ſe dilectus: & proximus propter Deum. Ergo charitas non erit, ſi ad Deum dixeris extenſam, non autem ad proximum: vel è contra. Quandoquidem per amorem Dei, amor proximi gignitur; & per amorem proximi, amor Dei nutritur. Et vt inquit Beatus Gregorius, qui amare Deum negligit, perfectè diligere proximum neſcit. Quinimo tunc plenius in dilectione Dei proficimus, ſi in dilectionis gremio proximi charitatem colligamus. Hoc eſt, quod docuit Beatus Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta in ſua epiſtola prima: Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Oportet ergo necdum Deum, ſed & proximum amare. Amabis autem, ſi ſubueneris in indigentijs. Hæ verò vel erunt corporum, vel animarum: vtriſque quidem compati debemus, & largiri de proprio. Quandoquidem vera miſericordia neſcit habere modum. At ſi anima indiget, multo miſericordioſius operaberis circa infirmorum animas, bonæ famæ ſeruorũ Dei conſulendo: quàm erga ægrotantium corpora eſurientibus panem tribuendo. Præſtat certè animæ bonum, bono corporis: quemadmodum præſtat anima corpori. Sed quomodo melius efficies, niſi commonefaciendo iudicis amicum, qui peccauit? quæ maior hac charitate? conſulere ſcilicet proximorum ſaluti, vt conuertantur, ne pereant? vt in amiſſam Dei amicitiam, redeant? Crede mihi, quod cum conſilij pharmacum ſit commune, (nam commune eſt etiam peccare) efficies certè vt tuum peccati vulnus quandoque curetur. Nam conſulendo, & commonefaciendo proximum, teipſum quoque commonefacies: ac ideo lucraberis & fratrem tuum, & teipſum. Quandoquidem ſi feceris eum talem, vt monitu, doctrina, inſtructione, exemplo ab erroribus correxeris, à vitijs emendaueris, abduxeriſque ad pœnitentiam, ita vt propitius fiat illi Deus: pro delicto te propitiaſſe, diceris. Pars ergo tua erit eorum quos correxeris, vt illorum meritum, tua ſit merces: & illorum ſalus, tua ſit gloria coram Deo. Igitur commonefacere ne deſiſtas eum, qui peccauit, quia cum

Charitas qd ſit. 22.q.23.ar.1

Lib.7.Moral.

Proximus quomodo amabitur.

Miſericordia ſpiritualis pſtantior corporali, quæ erit monitio

Monitio proximi, monitio tui.

Digitized by Google

cum sit commune consilij pharmacum: tuum certè peccatum vt vulnus quoque curabis.

Λέγων τι μέλλων, ἢ πράττειν, τῆς μετὰ μικρὸν ἀπολογίας φρόντιζε, καὶ σωφρονίσας σῷ φόβῳ διορθούμενος.

PRÆCEPTIO CCVIII.

Dicere quid volens, aut facere, de apologia eius cogita paulo post adhibenda: & cautius ages metu correctus.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCVIII.

Homo ad duo natus est.

AD duas res hominem natum esse, ad intelligendum scilicet, & agendum, nemo est qui dubitat. Quinimo ex varia Philosophorum, Aristotelis præcipuè doctrina, facilè percipi posset. Intelligit quippe homo, & agit, quasi immortalis Deus. Nam intelligere, & agere, sunt tanquam duo perpetui comites: Deum inseparabiliter comitantes. Hunc igitur imitans homo, intelligit quidem, atque agit: quia intellectualis naturæ est. Sed intelligendo, duplici ter quod intelligit, manifestat: vel dicendo, vel operando. Quæcunque enim intelligit homo, vel exprimit verbis, quod est dicere: vel exequitur opere, quod est agere. Verum quia multoties loquitur incautè homo, & per imprudentiam frequenter contra se, tam præceps in loquutione: sæpiusque quæ agit præter rectum, ac laudabile facit, documentum dat Author, vt dicere quid volens, aut facere, de apologia eius cogitet paulo post adhibenda: & cautius aget metu correctus. De apologia quid sit, & quot modis sumatur, in de libro apocripho quem præ manibus habemus: vtcunque à nobis scriptum est. Hic tamen Author apologiam sumit pro reprehensione, & inuectiua: ac si diceret: Dicere quid volens, aut facere, scias te aliquando reprehendendum, & in te inuehendum: si non rectè dixeris, aut feceris. Igitur timore huius admonitus, dices, agesque cautius. Quandoquidem nec bona loquutio, neque optima actio

Cautela vt homo rectè loquatur, rectèque agat. Lib. 1. c. 20.

Digitized by Google

actio erit: si recta censura quandoq; notabit. Homines namq; proni sunt ad iudicandum etiam bona. Vis igitur in dicendo, vel agendo non timere apologiam? priusquam loquaris vt sapiens, atq; prudens, considera, quid dicturus sis, cui dicturus, quo in loco, & quo tempore loquuturus. Quandoquidē prout rerum, ac temporis varietas exigit: ita te accommodare tempori operępretium est; nec te in aliquibus mutari, sed potius aptare. Sicuti manus, quæ & si in palmam extenditur, & in pugnum astringitur: eadē tamen est. Igitur in dicendo, iugum sit in verbis tuis, & statera, atq; mensura: vt appareat in sensu grauitas, in sermone pondus, atq; in verbis modus. Ex his facilè rectè ages, quæ facturus es. Nam benè loquendo, fiet vt rectè etiam opereris ad minus ob apologiam. Nam si propter eam benè loqueris: propter eandē quoq; optimè operaberis. Secus non solum sermones, sed & actiones tuæ iudicabuntur: atq; calumniam patientur; te quoq; arguent homines de maledictis, in te inuehent de male actis: quinimo de malorum cogitatuum audacia te etiam reprehendent: quia quæ loquitur homo, & quæ operatur: necesse est vt prius cogitauerit. Itaq; volens vel dicere, vel facere quicquam, de apologia eius cogita paulo post adhibēda, & metu correctus, cautius ages.

Nota diligenter.

Exemplum optimum.

Τῆς ἁμαρτίας τὴν τιμωρίαν φοβοῦ τὴν αἰσχύνην δὲ νόμιζε. τὸ γὰρ ἐκατέρου ἄμετρον.

PRAECEPTIO CCIX.

Peccati pœnam metue, turpitudinem verò neglige: in vtroque namque excessus periculosus est.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCIX.

DVo sunt in peccato: pœna, & turpitudo. Pœna à Deo est: turpitudo ab homine. Nam Deus quidem author mali pœnæ est: nequaquam culpæ; seu author actus culpæ, nequaquā actus deformitatis culpæ. Quandoquidem malum pœnæ priuat bonum creaturæ, siue sit creatū, siue increatum: malum

Deus nō est author mali culpæ, sed pœnæ.

Digitized by Google

malum verò culpę directè, proprièq; opponit bono increato. Contrariatur namque implectioni diuinæ voluntatis, & diuino amori: qua bonum diuinum in seipso amatur; & non solum secũdum quod à creatura participatur, vt docet D. Thomas. 1. 1. q. 48. art. 6. Hanc ob causam non potest esse Deus author mali culpæ, sed pœnæ: tam in naturalibus, vt in cœcitate, claudicatione, & similibus: quàm in moralibus, vt in temporalibus pœnis, & in gehenna ignis. Itaque cum in peccato sint duo, pœna, & turpitudo: & illa à Deo infligitur, hæc ab homine patratur: pœna metuenda est, turpitudo autem negligenda. Metuenda quidem pœna est, quia est supplicium, quo quis ob delictum afficitur: & noxæ vindicta, iuxta Vlpianũ. At quis ita vecors erit, vt supplicium, vindictamque timere noluerit? etsi pœnarum genera sint damna, vincula, verbera, talion, ignominia, seruitus, exilia, & mors, quis amens non timebit hæc omnia? sed metuenda præsertim pœna est, quia si excedit, periculosa est, vertens se in æternam. Turpitudo namque mortalis ex parte auersionis à Deo pœnæ æternæ reatum consequitur: quæ si perseuerauerit, perseuerabit vtique & reatus: quamuis per veram pœnitentiam simul cum culpa remittatur reatus pœnæ æternæ: commutaturque in temporalem; seu (vt melius loquamur) ob cõuersionem desinit esse æterna. Cæterum turpitudo negligẽda est, quia eius excessus est quoque periculosus. Si namque turpitudo augeatur, augebitur & pœna; & quantum crescet, tantum quoque augmentabitur & pœna. Sicut enim præmia diuersa sunt, diuersis correspondentia meritis: ita & pœnæ diuersæ, quia inæqualiter cum mereantur, vel demereantur homines: inæqualiter quoque Apoc. c. 18. puniuntur, vel beantur. Scribitur enim: Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit: tantum date ei tormentum, & luctum. Ergo quantum fuit in merito, tantum habitur ei de præmio ex maxima Dei liberalitate: nec ad id requiritur vel intellectus subtilitas, vel grossities: sed excellentia meritorum. Hoc est, quod inquit Author, peccati pœnam, id est æternam metue, retrahes enim te à peccato: turpitudinem, id est peccatum neglige, hoc est prætermitte, & fuge: quia peccatum Secũdus præceptionis sẽsus. fugiendum, & prætermittendum est. Potest & præceptio hæc aliter exponi, vt ly namque, dilucidetur pro sed: sicuti multoties accipi cõsueuit; & tunc quidem sensus germanus erit:

Pœna cur metuenda est.

Turpitudo cur negligenda est.

peccati

Digitized by Google

peccati scilicet pœnam metuendam esse; turpitudinem negligendam: sed cauendum ne in vtroque fiat excessus. Si enim in pœnæ metu excesserit homo, in periculo desperationis erit: si in turpitudinis neglectu in maiores incidet. Si namq; qui minima neglexit, paulatim defluet, quanto magis si maiora? & hic est excessus in turpitudinis neglectu.

Τῶν μελλόντων ἀγαθῶν καὶ τὸ κάλλος καὶ τὸ πλῆθος ἄπειρον.

PRAECEPTIO CCX.

Futurorum bonorum & pulchritudo, & multitudo infinita est.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCX.

BOnum quod ab omnibus appetitur, & quod propter seipsum satis expetitur, cum à Platone in Eutydemo, & in de legibus: tum ab Aristotele in magnis moralibus suum sequente Præceptorem: tum quoque à Cicerone receptum, in triplicem seiungitur ordinem: in bonum scilicet animi: corporis: & fortunę: contra Stoicos, & Epicureos aliter asseuerantes. Bona fortunæ, quæ græcè ἁπλῶς ἀγάθα appellantur, (vt ab his exordiamur) sunt diuitiæ, generis nobilitas: ciuilis potentia: gloria: fama: & multa his similia. Bona corporis sunt sanitas: robur: pulchritudo: agilitas: & reliquæ corporis dotes, quę latè numerantur à Cicerone in suis Tusculanis quæstionibus. Animi verò sunt virtutes omnes morales, præsertim cardineæ: Iustitia: Prudentia: Temperantia: & Fortitudo: & denique si quid rectè fit (vt inquit Cicero) & honestè, & cum virtute, id bene fieri, & rectè dicitur: & quod honestum, ac rectum, & cum virtute est, id solũ bonum opinandum est. Inter hæc bona, animi quippe bona præstant bonis fortunæ, & corporis: quemadmodum & animus ipse præstat corpori, & fortunæ. Quia cum bona animi sint virtutes, hæc transcędunt certè quæcunq; bona siue corporis, siue fortunæ: nam virtutes superexcellunt. Sunt etenim intellectuum perfectio-

Lib. 2.

Bonum triplex, animi, corporis, & fortunæ.

Bona fortunæ quæ.

Bona corporis quæ. Lib. 4.

Bona animi quæ.

In Paradoxis.

Bona animi præstant bonis fortunæ, & corporis.

Digitized by Google

fectiones: illæ verò corporum concinnationes, atque adiuuamenta: etsi aliorum vsu praueſcant quandoque, & dicantur mala. Cæterum ad futura bona extra nos poſita in cœleſtibus, quæcunque bona ſiue corporis, ſiue fortunæ, ſiue etiam animi relata: non ſunt verè bona. Nam bona fortunæ eademmet, quæ fortuna vulgò dicitur, eademmet quibus dedit, ab illis in dies aufert: vt continua teſtatur experientia. Bona verò corporis temporis diuturnitate contabeſcunt. Sed bona animi quamplurimis ſunt permiſta imperfectionibus: quæ bona tandem deficiunt; igitur non ſunt verè bona. Cæterum bona futura ſuperexcedunt quæcunque alia in ſtabilitate, in permanentia, in perpetuitate: ſed præcipuè in pulchritudine, & iuxta Authorem, in multitudine. Pulchri ſunt Sancti, ſpecioſi ſunt Angeli, pulcher pulcherrimus ipſe Deus, qui dat omnibus pulchritudinem affluenter. Pulchri ſunt Sancti, tamquam tot Soles ſplendidi, iuxta illud: Fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris mei. Specioſi ſunt Angeli, ceu proximiores diuinæ pulchritudini. Specioſiſſimus ipſe Deus, ex cuius viſione inenarrabilis lætitia, inæſtimabile gaudium, indeficiens pulchritudo in beatis ſpiritibus emergit. Multitudo autem bonorum illorum infinita eſt, & quis explicare valebit? Eſt namque Deus, qui cum infinitum ſit bonum: bona quoque ibidem ſine fine cauſat. At quid ego miſer homuncio illius perennis vitæ bona innumerabilia enumerare conor, cum ſcrutator Maieſtatis opprimetur à gloria? Et quemadmodum qui mel comedit in ſaturitate, nocumentum patitur: ita dum inacceſſibilis illius lucis fulgorem intueri voluero, tãquam mentis aciem figere non valens: à ſuperabundanti gloria excœcatus, nonniſi balbutiens excelſa reſonare potero. Vnum tamen credo, quòd ſi meruero: ſuperno adiutus lumine, bona Domini in terra viuentium cernere ſpero. Reliquum eſt, vt cum tu ò homo ex nimia Dei miſericordia, atque munificentia ad talia fis creatus bona, vt quid animus tuus ad ima tenetur, ad caduca deijcitur, ad fœtulenta proſtratur? & tamen deformia ſunt, & pauca. Erigere in ſublime, contemplare excelſa, anhela ad cœleſtia; ſciaſque futurorum bonorum pulchritudinem, & multitudinem ita infinitam eſſe, vt nec intellectu comprehendi: nec ſenſu percipi: nec lingua exprimi vllo poſſint modo.

Bona futura quæ ſunt in cœleſtibus, ſuperexcedũt quæcunque bona.

Regni cœleſtis infinita pulchritudo

Exemplum.

Πάντα

Πάντα σκιὰ, καπνὸς, καὶ πομφόλυγες.

PRÆCEPTIO CCXI.

Omnia mundana, vmbra, & fumus, & bullæ sunt.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXI.

TRia reperiuntur in vniuerso facilè euanescentia, vmbra, fumus, & bulla. Vmbra fit à lumine in corpore solido, seu raro (vt in nube) emisso. Fumus ab igne ligna resoluente in propria materia, nempe in luce, in flamma, in carbone. Nam prima est ignis in propria materia: secunda in humido aereo: tertius in sicco terrestri. Ex his enim, inæqualiter tamen, ascendit fumus. Bulla verò ab aqua propter terræ poros se mouente. Est enim bulla tumor ille inanis, qui visitur in aquis, temporis momento enascens simul, & euanescens. Fumus itidem caligo est ab ignea vi causata in aliena materia: seu vapor ex igne exhalans, à fumo dictus. Vmbra verò aer sine lumine, quod fit alicuius corporis obiectu. Euanescit statim vmbra vel corpore, vel luce abscedentibus, vel si permanet, est tamen res falsa, cui non subest res, cuius similitudinem gerit. Euanescit fumus vel igne extincto, vel ex seipso in altum ascendente, etiam remanente igne. Euanescit bulla, quia eodem temporis momento quo enascitur, deficit. Ita sunt mundana omnia, euanescunt namque omnia vt vmbra, vt fumus, & vt bulla. Quandoquidem terrena quælibet nihil aliud sunt, nisi vmbra, quia vt vmbra transeunt, nonnisi fumus, quia vt fumus citò sparguntur: nonnisi bullæ, quia vt bullæ mox resoluuntur. Quæ enim res mundi ita consistit, vt tandem non consumatur? quæ superexcellens, vt non deijciatur? quæ voluptuosa, vt denique non terminetur? Diuitiæ (vt ab his exordiamur) si non habentur, cum labore acquiruntur: si habentur, cum timore possidentur; neque habitæ satiant, quia paucæ, respectu carentiæ earumdem, quæ nondum habentur: quantò enim magis crescunt: eò magis appetuntur. Vnde & quidam Poeta optimè cecinit:

Vmbra quomodo causa tur.

Fumus vnde oritur.

Bulla quomodo fit, & quid sit.

Quid sit fumus.

Quid vmbra.

Mundana omnia euanescunt cito vt vmbra, vt fumus, vt bulla.

Digitized by Google

Iuuenalis satyra 14.

Si nondum impleui gremium, si panditur vltra.
Nec crefi fortuna vnquam, nec Persica regna,
Sufficient animo.

Sunt instabiles, quia latronibus, Principibus, & tempori subiectæ, tandem amittuntur. Generis nobilitas, fumus est hominum, cum omnes simus homines: at si quid erit, bonum accidentarium erit: ac ideo prope nihil. Quare splendidum te, (inquit Boetius) si tua non habes, aliena claritudo non efficit. Potentatus, potestas, fama, gloria, & similia pereunt citò, vel subditorum rebellione, vel vulgi malignitate. Sanitas infirmitate langueſcit: robur imbecillitate deijcitur: pulchritudo deformitate dedecoratur: agilitas onerositate grauatur: & omnia similia, temporis iniuria tandem destruuntur. Sed si potentia corporis remanet, vel à bestijs syluestribus, vel saltem à pluribus hominibus superatur tandem. Amicitia inter bona mundi dulcior, charior, & pretiosior, aduersa quoque fortuna deperditur. Quare & quidam bene cecinerunt.

Lib. 3. de cõsolat. philos. prosa 6.

Tempore fœlici, multi numerantur amici.
Dum fortuna perit, nullus amicus erit.

Alludentes ad illud Ouidianum:

Lib. 1. trist. Eleg. 8.

Donec eris fœlix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Potentiæ insuper animæ, fatuitate, & amentia læduntur. Voluptates breues: quinimo interfectrices. Scientiæ verò maxima mistæ ignorantia: fœlicitates angustijs plenæ: postremo quæcunque in mundo cernuntur, etiam hominis vita, senectute, morteque infallibilibus tandem finiuntur. Has ob res vitam nostram Sacra Scriptura rebus caducis, & citò perituris assimilat: lacti scilicet, quod cito corrumpitur: flori qui statim flacceſcit: fœno, qui mox dispergitur: rori iam absorbendo: herbæ citò exiccandæ: telæ araneæ, quæ pauco venti flatu discerpitur: vapori, qui iam iam consumitur: & Author noster mundana quælibet assimilat vmbræ, fumo, & bullis. Vmbræ, quæ velociter aufugit: fumo, qui mox dissoluitur: bullis, quæ in momento euaneſcunt. Quid igitur oblectaris in transitorijs, nonne transeunt cuncta, quæ cernimus? nonne vides mundana quælibet vt vmbram, vt fumum, vt bullas pertransire? Quid igitur ad te his te allicis? Sperne spernenda: contemne contemnenda: paruifac paruifacienda.

Sacra Scriptura qbus rebus vitam nostram assimilat.

Aliter

Digitized by Google

Aliter ſecurus eſto mundana cuncta cum ſint vmbra, fumus, & bullæ: vt vmbræ te obſcurabunt: vt fumus te excœcabunt: vt bullæ te ſubmergent.

Μὴ σπεῖρε πονηρά. τὸ γὰρ θέρος ἐγγύς, καὶ τὸ πῦρ τῶν γεωργῶν τῶν ἀγαθῶν ἐκδέχεται.

PRÆCEPTIO CCXII.

Mala ne ſemina, meſſis enim prope eſt: & ignis excipiet ſpinarum agricolam.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXII.

Seminatoris officium.

SEminator duo attendere debet, dum ſeminat, (prætermiſſis etiam alijs modis) quo fructum in abundantia tẽpore ſuo legere poſſit: ſemen, & locum. Semen, vt ſit perfectum ad ſeminandum, nempe vt ſeri poſſit: nam vacuum, corroſum, antiquum, ineptum eſt ſationi, vt patet: locum deinde, vt ſcilicet ſit aptus ad recipiendum: quandoquidem ſi locus ineptus erit, collectio quidem inepta erit. Experientia teſtatur, terram fertilem frugis bene ſatam, abundantiam generare: aridam verò, atque incultam, ſterilitatem, penuriam, charitatem. Sed docuit nos Chriſtus Præceptor noſter parabolam, quod ſi ſemen ſeminatum fuerit ſecus viam, iam conculcabitur, & volucres cœli comedent illud: ſi ſupra petram, natum areſcet, quia abſque humore: ſi inter ſpinas, iam ſuffocabitur ab illis: ſi in terram bonam, fructum reddet centuplum. Ergo ſi in terrã malam, neq; ad duplum, vel ſimplum reddet. Semen deinde vt ſit perfectum, vel ſaltem melius, nam & perfecta reddet, & meliora: ſin aliter imperfecta, & peſſima. Non enim malum vt malum poteſt eſſe cauſa boni naturaliter, ſicuti neque bonum vt bonum, poteſt eſſe cauſa mali. Vnumquodque enim producit ſibi ſimile: licet in moralibus aliquando aliter ſe habeat. Regulariter verò in vtriſque bonum bonum generat, & malum malum producit: nec poteſt eſſe contrarium, niſi per accidens. Scribitur certè, quod quæ ſemi-

Lucæ cap. 8.

Malũ vt malum non poteſt eſſe cauſa boni, neq; è conuerſo.

Digitized by Google

seminauerit homo, hæc & metet. Ergo si bona seminauerit, bona & metet: si mala, mala, & pessima. Et Christus Magister noster exemplum dedit, dicens: Non potest arbor bona, malos fructus facere: neque arbor mala, bonos fructus facere; sed mala malos, bona bonos certè producet. Igitur mala ne semina, quia si seminaueris, crescent. Veniet deinde messis, quæ iam in ianuis existit; & inuenies mala, nempe spinas, & tribulos. Ignis igitur excipiet & spinas, & spinarum agricolam, quia vt malus male mala seminasti: ergo vt malus male tractaberis. Hoc est, quod dicit Author, mala ne semina: messis enim prope est: & ignis excipiet spinarum agricolam. Mala profecto sunt peccata, quia deficiunt à bono: messis, mortis tempus: ignis, tormentorum locus: spinarum agricola, malus seminator. Igitur si mala seminasti, veniet tempus mortis, in quo tu cum spinis in ignem mitteris æternum. Bona igitur semina: vt effugere possis à ventura ira.

Nota diligenter.

Præceptionis explicatio.

Ῥόδα τοῦ βίου ὑποκρισεις, πλεονέξιαι, ἀνοφιλήδονοι. ἀλλὰ μικρὸν παρτίρει, καὶ τὸν χόρτον θεωρεῖς πατούμενον.

PRÆCEPTIO CCXIII.

Rosæ vitæ sunt hypocritæ, auari, & voluptuarij: cæterum parum sustine: & gramen videbis conculcatum.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXIII.

Peccata maximè aduersantia animæ

Hypocrisis quid sit.

Hypocrisis malignitas.

TRia sunt peccata maximè aduersantia animæ: hypocrisis, auaritia, & voluptas. Hypocrisis, quia est simulatio alienæ personæ: auaritia, quia est appetitus inordinatus habendi: voluptas, quia est cum quadam lubrica suauitate, ad illicita sordidæ mentis inclinatio, iuxta Isidorum in synonymis. Hypocrisis maximè aduersatur animæ, quia est dissimulatio eius, qui aliud in re, aliud in iudicio hominum se ostendit: vitium summopere Deo odiosum; tamquam destructiua totius naturæ ordinem. Simulat enim se iustum hypocrita, nec exhibet:

Digitized by Google

exhibet: ponens totum fructum in hominum laude. duplex animo: vir terram ingrediens duabus vijs. Habet namque hypocrita simplicitatem, & subtilitatem: simplicitatem innocentiæ, subtilitatem malitiæ: simplicitatem foris, subtilitatem intus: subtilitatem simplicitate tegit, simplicitatem verò interiori malitia ostendit. Similis vesti ex lana, linoque contextæ: quandoquidem vestis linum interius celat, lanam exterius demonstrat. Est hypocrisis quædam occulta, superbiæ species, falsa humilitate tecta. Est namque vitium iactantiæ, iuxta Beatum Thomam: iactantia verò quid est, nisi inanis de se, & stulta prædicatio? vel per quam quis se extollit supra id, quod in se est: secundariò autem supra id, quod de eo alij opinantur? author idem est Beatus Thomas. Et Cicero dixit, quòd iactantia est voluptas gestiens, & se efferens insolentius. Quare iactator ab Aristotele dicitur, qui plus eis quæ scit fingens: aut scire, quæ non scit. Vitium quidem maximè Deo odiosum. discurre per Sacram totam Scripturam, tam veterem, quàm nouam, in nullos acerbius inuehit Deus, & Christus Dominus noster, quàm in hypocritas. Auaritia subinde magnopere aduersatur animæ, quia est appetitus inordinatus habendi, vel diuitias, vel quodlibet aliud, multiplices iniquos habens comites; ob durationem, mentis inquietitudinem, violentiam, periurium, fraudem, fallaciam, proditionem, rapinam, vsuram, parcitatem, tenacitatem, & similia multa. Heu vitium pessimum. Voluptas postremo aduersatur animæ, quia ipsa dominante, omnes virtutes iacere: turpitudines, dehonestateque quàmplurimas emergere maximè consentaneum est. Quid igitur gaudent hypocritæ in duplicitate: auari in auaritia: & voluptuarij in voluptate, cum sint rosæ vitæ? Rosa ob pulchritudinem, & suauem odorem Veneri sacer est: & ex Aphthonij fabella multa cõgeres. Et non absurdè Author hypocritas, auaros, & voluptuarios rosis assimilat: quia sicuti rosa breui viget: ita voluptas venerea, voluptas auara, voluptas hypocriseos parum durant. Hoc est, quod subiungit Author, vt parum sustineas: quia gramen, id est hypocritarum, auarorum, & voluptuariorum citò videbis conculcatum. Tu autem quo hæc euitare incommoda possis, tres amplecti virtutes necesse est: humilitatem, pietatem, sobrietatem: humilitatem contra hypocrisim:

22. q 3. art. 2. Iactantia quid sit.

22. q. 110. art. 2. Lib. 4. Tusc. quæst.

In magnis moralibus.

Auaritię malignitas.

Voluptatis malignitas.

Virtutes cõtra hypocrisim, auaritiam, & voluptatem.

pietatem

Digitized by Google

pietatem contra auaritiam: sobrietatem contra voluptatem. Quandoquidem sicuti in honoribus humilitas, in diuitijs pietas, in voluptatibus sobrietas periclitari solet: ita è conuerso dandus est animus humilitati, misericordiæ, & sobrietati; quia in prima periclitabitur hypocrisis, in secunda auaritia, in tertia denique voluptas.

Πᾶσα πονηρὰ πρᾶξις, ὁπλίζει τὸν διάβολον. ὁ πλειόνως δὲ, χαλεπῶς τοῖς ὁπλίταις κέχρηται.

PRAECEPTIO CCXIIII.

Omne opus malum armat diabolum: armatus verò grauiter armatos accipit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXIIII.

Armorũ genera sunt tegentia, impugnantia, & protegẽtia.

ARrma quibus hostes arceri possunt (nam ab hoste arcendo dici inquit Varro) vel tegunt: vel impugnant: vel protegunt. Tegentia sunt loricæ, thoraces, femoralia, & similia. Impugnantia gladij, enses, lanceæ, & huius generis innumera. Protegentia verò sunt galea, scutum, clypeus. His communiter armat se homo ad vincendum, vtq; de hosti victoriam reportare possit: ita nanque armatus grauiter armatos accipiet. Simili quoque modo & in bello spirituali aduersarius ille noster Diabolus quolibet armorum genere se munit, vt nos spiritualibus armatos grauiter feriat, occidereque possit: tegentibus scilicet, impugnantibus, & protegentibus. Tegentibus lorica scilicet iniustitiæ, thorace impietatis, femoralibus concupiscentiæ, & huius generis penè innumeris. Impugnantibus, gladio scilicet obdurationis, ense obstinationis, lancea pertinaciæ, & similibus quàmplurimis. Protegentibus postremo, scuto infidelitatis, galea diffidentiæ, clypeo desperationis, & cæteris ferè infinitis. Tandem quibuscunque armis inuento facillimis, quæ sunt peccata omnia, contra nos se præparat: vt sic armatus grauiter armatos accipiat. Quid igitur facies, vt tanto hosti resistere, quinimo

Diaboli arma.

Digitized by Google

quinimo mirabiliter de illo triumphare valeas, munire etiam & te oportebit his armorum generibus, (artem enim arte deludi operæpretium est) tegentibus scilicet, impugnantibus, & protegentibus. Tege te lorica iustitiæ contra iniustitiam: thorace pietatis contra impietatem: femoralibus continentiæ contra concupiscentiam. Impugna hostem gladio verbi Dei contra obdurationem: ense scripturarum contra obstinationem: lancea confusionis contra pertinaciam. Protege te scuto fidei, & stabilitatis contra infidelitatem: clypeo spei, & salutis contra desperationem: galea confidentiæ contra diffidentiam. Nam & galea caput defenditur, in quo est cerebrum, & scuto pectus, in quo est cor vitæ nostræ principia, & clypeo brachium, in quo est fortitudo, & præcipua pars vitæ. Et fides in corde esse debet, & spes in capite: nam & spes de fine est: & caput virtutum moralium est finis: & fortitudo in brachio exterarum nostrarum actionum principio. Quod si Diaboli armis, quæ sunt mala omnia te armaueris, iam in proximo est, vt te occidat: quia iuxta Authorem, Diabolus sic armatus grauiter ita armatos accipit. Non enim armis suis vincēdus est hostis iste noster, sed oppositis vndiq;.

Arma militis Christiani contra hostes.

Εἰ βούλει τὸν ἐχθρὸν ἀδυνατῶν τινὰ ἁμαρτίαν περίκοψε. γυμνὸς γὰρ ὢν πτερῶν, ὡς στρουθίον ἐμπαίζεται.

PRAECEPTIO CCXV.

Si vis inimicum imbecillum reddere, peccatum rescinde: nudatus enim alis, vt passerculus illuditur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXV.

BEllum siue ad pacem conseruandam inuentum, siue ad tuendas res proprias, siue ad tollendum alienas, siue ad damnificādum hominem, siue ad eleuandum, siue ad propulsandam iniuriam, siue ad inferendam, siue propter quolibet aliud repertum iustè, vel iniustè: manifestum certè est ob

Bellum cur in mundo.

Digitized by Google

primorum parentum peccamina in orbem terrarum ingreſſum, atque diffuſum. In ſumma quidem pace reſidebant cuncta ante peccatum: peccato verò enaſcente, omnia turbata ſunt, & inde natum eſt bellum. Itaque hoc accidens iam in neceſſarium commutatum videtur omnino, vt ſemper bellis trepidare mundus iſte quem cernimus conſpicitur, ac bellis premi. Quod cernens quidam Poeta, dolens, & clamans: ita cecinit.

Tibullus libro 1. Eleg. 11.

Quis fuit horrendos primus, qui protulit enſes?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit.

Bellum vnde dicatur.

Per antiphraſim dictum bellum, iuxta Priſcianum, quod minimè bellum ſit: ſed turpe. Etſi Feſtus à belluis dictum putet, quod ſcilicet belluarum ſit mutuò ſe laniata conficere. Alij à duello, abiecto D, & digamma in B conuerſo. Alij quoque deducunt à bono non per antiphraſim, ſed quod boni gratia olim bella auſpicarentur: nempe ad propulſandam iniuriam, (& vt prædiximus) pacemque parandam. Sit verò res vtcunque, clarum enim eſt, quod & ſi malum videatur bellum: hodie tamen niſi in mundo eſſet, omnia quidem confuſa, & perturbata conſpicerentur: quamuis ipſummet mundum conturbare videatur. Quare & bellatores neceſſum eſt eſſe in quolibet regno, ſeu communitate, author eſt Beatus Thomas. Igitur cum bellum ſit in mundo, & hoſtes quoque reperiri par eſt: contra quos eſt dimicandum. Cumque ad victoriam vnuſquiſque anhelet, hæcque non haberi poſſit, niſi inimicus debilis, imbecilliſque reddatur: hanc ob cauſam tria omnino bellatorem attendere neceſſum erit: primo vt ſapienter procedat: vt fortiter deinde hoſtem aggrediatur: deniq; vt eius arma auferat. Nam & ars bellica ſapientiam quidem, robur, & exercitium requirit. Auferre verò arma hoſti maius eſt quolibet alio: quandoquidem & ſi ſapienter contra hoſtem procedas, & fortitudine aggrediaris: defendet ſe ſemper, cum & hiſcemet quoque inimicus vtatur modis ad victoriam, At ſi arma auferas: deficiet & ſapientia, & fortitudo. Habemus igitur & nos exemplar. Militia eſt vita hominis ſuper terram: nec contra carnem & ſanguinem tantum nobis colluctatio eſt, quamuis etiam ſint hoſtes inſtrumentaliter: verum contra principem tenebrarum harum nobis quotidie aduerſantem, principaliterque pugnantem, & ad nocendum para-

Opuſc. 20.

Bellator vt hoſtem vincat, quid facere debet.

Digitized by Google

paratiſſimum: quippe qui noſtrarũ ſitibundus eſt animarum. Non itaque contra eum ſapienter tantum procedendum eſt, quia nobis ſapientior eſt: nec fortitudine, quia non eſt poteſtas, quæ comparetur ei ſuper terram: ſed arma eius auferenda ſunt: ſic vtique imbecillis redditur, caret enim inſtrumentis. Diaboli arma peccata ſunt, quæ ipſemet tribuis; dum perpetras: his diabolum munis contra teipſum. Vis igitur illum imbecillum reddere, aufer ab illo arma, reſcinde peccata. Quandoquidem non ſolum illum ſic vinces, verum & illudes: quemadmodum ſi paſſerculum pennis contectum nudaueris, vinces, & illudes: certè, quia volare nequibit. Ita ſi nudaueris demonem peccatorum pennis tectum: vinces, & illudes; id autem facies, quotieſcunque has pennas reſcindes.

Contra Demones quomodo bellãdum.

Exemplum.

Οὐαὶ τῷ ἀσεβεῖ. ὅταν πάντες φωτίζονται, τότε μόνος σκοτίζεται.

PRAECEPTIO CCXVI.

Væ impio, cum enim omnes illuminantur: ipſe ſolus manet in tenebris.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXVI.

REiecto lumine prout eſt perſpicui ſecundum accidens, per aliud ſcilicet à corpore lucido, iuxta Ariſtotelem: ſeu prout eſt qualitas inhærens diaphano ſecundum quam diaphanum eſt, actu tranſiens, iuxta eundem: nam tale lumen in aere recipitur, vel realiter, vel intentionaliter: modo tamen ſuo. Loquendo tamen de lumine, quod eſſe poteſt in hominis anima, tale inquam lumen triplex eſſe decernitur, naturale, gratuitum, & gloriæ. Naturale eſt, quod in intellectu recipitur naturaliter: gratuitum in eſſentia animæ: gloriæ verò in mente ſupernaturaliter. Primum perficit intellectum, illuſtrando: ſecundum perficit animam, gratificando: tertium confortat intellectum, eleuando. Primum facit intelligibilia in actu: ſecundum facit hominem Deo gratum, & acceptum, atq; illi dilectum: tertium verò eleuat beati hominis mentem

In de ſenſu, & ſenſato.

Lib. 2. de anima.

Lumen triplex, naturale, gratuitum, & gloriæ.

Digitized by Google

ad videndum Deum per eſſentiam in gloria. Primum manifeſtat veritatem: ſecundum facit amare veritatem: tertium facit videre veritatem. Primum eſt quædam diuini luminis participatio: ſecundum eſt quædam diuini luminis aſſequutio: tertium eſt diuini luminis fruitio. Primum eſt quædam primę veritatis impreſſio: ſecundum eſt quædã diuini amoris dilucidatio: tertium eſt quædam perpetuæ vitæ continuatio.

Homo peccando amittit lumẽ gratiæ, & gloriæ.

Ab homine igitur, peccando, tollitur lumen gloriæ totaliter, quia peccatum omnino excludit à gloria: tollitur lumen gratiæ penitus, quia excœcatur mens eius ne videat: lumen verò naturale quamuis totaliter non tollatur, obſcuratur tamen valde. quia ſicuti impeditur à proprio actu per impedimentum virium inferiorum, quibus indiget intellectus humanus ad intelligendum, vt patet in amentibus, & furioſis, ita quoque impedietur à proprio actu, peccando, per occupationem mentis circa peccata, quæ magis diligit, quibus ab inſpectione huius principij (vt docet Diuus Thomas) mens auertitur. Nam habet voluntatem ſponteneè ſe auertẽtem à conſideratione intelligibilis principij, per quod homo intelligit alia. Igitur quemadmodum qui immunis eſt à peccatis, triplici gaudet lumine, naturali, gratuito, & cum ſpe luminis gloriæ: ita qui manet in peccato, in tenebris ambulat, triplici ſeiunctis ordine, in tenebra ſcilicet gloriæ oppoſita: in tenebra oppoſita gratiæ: & in tenebra contraria naturæ: quia ablato lumine, ſeu principio viſiuo ab homine per peccatum mortale, fit cœcus homo in intellectu, in anima, in mente: quandoquidem peccatum mortale eſt priuatiuum luminis, ſeu principij viſiui in anima, ac propterea cauſa cœcitatis ipſius: quemadmodum cœcitas eſt priuatio viſus, vel principij viſiui, iuxta Ariſtotelem, in eo quod eſt natum aptum habere: ac ideo cauſa cœcitatis illius. Quarè ambulabunt peccatores vt cœci, quia Domino peccauerunt, quia fuerunt rebelles luminì, neſcientes viam eius: quia excœcauit eos malitia eorum: & ideo via eorum tenebroſa, non valentes ad lucem perpetuæ veritatis oculos attollere: tamquam præſentis vitæ tenebris preſſi, quinimo & aſſueti. Similes nycticoracibus, qui nequeunt ad ſplendidum lumen Solis oculos extollere, quarum intuitum nox illuminat, dies cœcat. Quia non rerum ordinem, non pœnarum vindictam, non Deum iudicem: ſed ſuos

Lumen naturæ in homine ob peccatum obſcuratur.

22.q 15.ar.1

Lib. 5. & 10. met. ac in libro prædicament.

intuentur

Digitized by Google

intuentur affectus, fœlicem putantes vel scelerum licentiam vel impunitatem. Quid igitur in tenebris ambulas? cur permanes in tenebrarum caligine? si & alij illuminantur, cur tu solus in peccatorum obscuritate moraris? exurge, exurge, qui in peccato dormis: quia illuminabit te Christus. Eleua cordis aciem in Deum, qui cum sit splendor gloriæ, gratiæ, & naturæ: lumen naturæ intellectui, gratiæ animæ, gloriæ menti infundet. Aliter væ tibi erit tamquam impio, quia cum omnes illuminantur: ipse solus manes in tenebris.

Οὐαὶ τῷ βλασφήμῳ. δέσμεῖται γὰρ τὴν γλῶσσαν, καὶ πῶς ἀπολογήσασθαι τῷ κριτῇ οὐ δύναται.

PRAECEPTIO CCXVII.

Væ blasphemo, nam lingua ligabitur: & quo pacto Iudici respondere poterit?

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXVII.

OMnis blasphemia vel est contra Deum, vel contra Spiritum sanctum. Nam blasphemia in Sanctos, eiusdemmet speciei est cũ ea quæ est Dei. Sancti etenim vt Sancti ad Deum referuntur: nihilque damnationis est his qui sunt in Christo Iesu (inquit Paulus Apostolus). Quare pro grauitate iudicanda sunt peccata blasphemiæ: non inquirenda pro diuersitate specifica. Blasphemia igitur contra Deum erit essentialiter: contra Spiritum sanctum notionaliter. Blasphemia in Spiritum sanctum (vt ab hac exordiamur) erit inordinatus actus voluntatis tendentis in malum ex certa malitia, per contemptum alicuius impedientis peccatum: eligens ipsum. Non quod omnis peccans ex electione, peccat peccato in Spiritum sanctum, vt dicit D. Thomas: sed qui peccatum eligit solum per contemptum eorum, per quem homines retrahi solent à peccato. Ita vt cui malitia propter se placet, peccat in Spiritum sanctum: tamquam contraria bonitati, attributum, & proprietas Spiritus sancti. Idque sextupliciter accidere

Blasphemia quælibet vel est contra Deum, vel contra Spiritum sanctũ.

Blasphemia in Spiritum sanctum.

22. q. 14. art. 1. ad 2.

Digitized by Google

Peccati in Spiritum sanctum species sex.

accidere omnibus conſpicuum eſt: vel ſcilicet deſperatione: vel præſumptione: vel finali impœnitentia: vel obſtinatione: vel impugnatione veritatis agnitæ: vel inuidentia gratiæ proximi. Diciturque irremiſſibile ob grauitatem eius, vel negatiuè, & ſunt exiſtentium in peccato finalis impœnitentiæ, perſeuerantiumq; vſque ad mortem in peccato mortali: vel contrariè, quatenus excludit ea per quæ fit remiſſio peccatorum: aut excludit media quibus homo peccatum relinquit, habens contrariam diſpoſitionem ad hoc vt remittatur. Sed peccata alia mortalia ſunt irremiſſibilia priuatiuè, hoc eſt quod non habent congruentiam ex ſe, quare remitti debeant: licet ex congruo Dei poſſit omne peccatum remitti.

Peccatum in Spiritum ſanctũ quomodo dicitur irremiſſibile.

8. ſent. diſt. 35. Blaſphemia quid ſit.

Blaſphemia verò in Deum, iuxta Magnum Albertum, erit impoſitio falſi criminis in Deum: vel iuxta Hieronymum, cum blaſphemare fit contumeliam, vel aliquod vitium inferre in iniuriam alicuius, blaſphemia in Deum erit contumelia, vel conuitium in iniuriam Creatoris: vel verbum in cõtumeliam Dei prolatum. Iuxta verò D. Thomam, blaſphemia eſt impoſitio alicuius falſi in Deum, vel per quam de Deo falſa dicuntur. Quod quidem dupliciter euenit, vel cum attribuitur Deo, quod non eſt attribuendum, vt humana membra, perſonarum acceptio, & multa his ſimilia: vel cum ſubtrahitur Deo, quod non eſt ſubtrahendum, vt prouidentia, iuſtitia, miſericordia, & reliqua huiuſmodi. Addunt quidam & tertium, nempe cum tribuitur creaturæ, quod Deo ſolum tribuendum eſt: vt facere ſcilicet miracula. At re uera id non diuerſificat ſpeciem, quia cum primo coincidit. Huiuſmodi igitur peccatum blaſphemiæ maximum peccatorum eſt, quia excedit peccatum Synagogæ, homicidij, periurij, hæreſis, atque infidelitatis. Synagoga namque Chriſtum in terris ambulantem crucifixit: blaſphemi regnantem in cœlis crucifigunt. Synagoga non promiſit fidem in baptiſmo, Chriſtiani omnes mandata Dei ſeruare ſpoponderunt: blaſphemi verò blaſphemando frangunt illam. Synagoga non cognouit Chriſtum Deum (etſi non excuſetur à toto:) ſed blaſpemi fide cognoſcunt ipſum Deum. Igitur peccatum blaſphemiæ ſuperat peccatum Synagogæ tripliciter, cognitione, promiſſione, & ratione maioris ſtatus. Excedit deinde blaſphemia peccatum homicidij ex parte obiecti, quamuis non ex parte nocu-

4. ſent. diſt. 14.

Peccatum blaſphemiæ ſuperat peccatum Synagogæ.

Digitized by Google

nocumenti: homicidium namque plus nocet proximo auferens sibi vitam, quàm blasphemia Deo, cui nullus nocere potest. Superat rursus peccatum periurij, nam qui periurat, non dicit, aut sentit aliquod falsum de Deo: sed Deum adhibet testem falsitati, non tamquam existimans Deum esse falsum testem, sed tamquam sperans, quòd Deus super hoc non testificetur per aliquod euidens signum: blasphemus verò dicit, & sentit falsum de Deo. Excedit peccatum hæresis, quia addit super illam: hæreticus enim de Deo dicit, quæ vera esse credit, quamuis erret in fide: blasphemus de Deo credit, quæ scit omnino non esse vera, nec dicenda. Superat postremo infidelitatem, quæ tollit fundamentum totius ædificij spiritualis, quia super infidelitatem addit testationem volũtatis. Igitur peccatum blasphemiæ maximũ peccatorum est: quia derogat excellentiæ bonitatis Dei. Cum enim Deus sit ipsa bonitatis essentia, ad eius bonitatem pertinet, quidquid Deo conuenit. Sicuti è contra longe est à bonitate Dei, quidquid ad ipsum nõ pertinet: ac propterea omne tale blasphemia est. Quid quod omnia peccata mediata sunt contra Deum, hæc verò immediata? quid quod illa motiuum habent aliquod, hæc autem nullum? Quid igitur blasphemas Deum ò homo, cum maximè illi debeas? quid enim habes, quod non accepisti? si autem acceperis, cur blasphemas? certum te esse volo, nisi desieris, in terribili iudicij die super te blasphemiæ euenient: quemadmodum sputum in aera proiectum, super proijcientem repercutitur. Quid enim respondebis Iudici? quid excusationis afferes? crede mihi, væ tibi erit tamquam blasphemo: quia lingua ligabitur, nihilque Iudici respondere poteris.

Blasphemia superat periurium.

Blasphemia excedit peccatũ hęresis.

Peccatum blasphemiæ maximũ peccatorum est.

Hominis ingratitudo.

Οὐαὶ τῷ ἀνόμῳ. πρὸς κριτὴν γὰρ αὔστηρόν τε, καὶ δίκαιον, καὶ νομοθέτην ἀπέρχεται.

PRÆCEPTIO CCXVIII.

Væ iniquo, ad Iudicem enim austerum, & iustum, & legislatorem, proficiscitur.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXVIII.

Iudici quæ conueniunt.

TRia debent optimo conuenire Iudici: austeritas, iustitia, & legislatio. Nam iudex austerus, iustus, & legislator esse debet. Austeritas in gubernatione: iustitia in executione: legislatio in promulgatione. Conuenit namque iudicem primò promulgare leges, quibus praui homines coerceri possunt à malis, nam lex iusto non est posita, sed improbis, & iniquis. Intentio quidem legislatoris (vt ait Aristoteles) est facere ciues bonos, ac propterea sui muneris est, ciues ad necessaria salutis officia legibus instituere: alioquin inutilis eius esset reipublicæ administratio. Conuenit deinde exequi iustitiam puniendo, aliter iniustitia esset, & impietas non punire crimina: fieretq; maximè iniuria Deo, qui est ipsamet iustitia. Et gubernare postremo austerè, seu seuerè, quod idem est, ne subditi relaxentur. Quamuis enim austeritas potentialis potentia sit, iuxta B. Thomam, nempe virtus refrenans loquacitatem: & animi austeritas in eo videtur esse, qui alios non veretur contristare: est tamen idem quod seueritas. Nam dicimus austerum hominem, qui seuerè vel se, vel alios gubernat. Regulariter tamen ad alios refertur: quandoquidem seueritas virtus est inflexibilis circa inflexionem pœnarum: quando recta ratio id exposcit, iuxta Beatum Thomam. Quapropter seuerus etsi interdum asperum, trucem, sæuum, implacabilem significat: vt virtutem tamen respicit, significat grauem, censorium, constantem: & dicitur seuerus, quasi semper verus: nec vlla gratia, aut illecebris mutabilis. Deo igitur Optimo Maximo tanquam supremo Iudici multo plus, & hæc conuenient: quia est iustus iudex, seuerus, & legislator. Est quidem legislator, quia primus ante omnes naturæ legem dedit. Est enim lex, iuxta Beatum Thomam, dictamen rationis practicæ: quod quidem à Deo descendere necessum est. Quare Cicero alibi dicebat, quod lex neque hominum ingenijs excogitata est: nec scitum aliquod populorum: sed æternum quoddã, quod vniuersum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia. Quo factum est (si credimus historijs) vt Phoronæus Rex Græcis primus leges, iudi-

2. Ethic.

Austeritas quid sit. 22. q. 143.

Seueritas quid sit. 22. q. 177. art 2.

Seuerus vnde dicitur.

1. 2. q. 91. art. 1

Lib. 1. & 2. de legibus.

Legislatores diuersi.

Digitized by Google

iudiciaque constituerit: Mercurius Trismegistus primus leges Aegyptijs tradiderit: Solon primus Athenienſibus ediderit. Lygurgus primus Lacedemonijs iura ex Apollinis authoritate confinxerit: Numa Pompilius Romuli ſucceſſor in Regno, primus Romanis leges promulgauerit. At Moyſes illuſtrius cæteris, vtpotè iuſſu Dei, cum quo os ad os loquebatur: genti Hebræorum primus omniũ diuinas leges dedit, & ſacris explicauit literis. Cæterum legem fidei, & pietatis humano generi impartitus eſt Filius Dei Ieſus Chriſtus, vt in fide, & pietate exercitati fideles, remunerationem acciperent in cœlis: tranſgreſſores verò punitionem in inferis. Eſt namque Deus iuſtus in executione, quia nec verbis flecti poteſt in iudicio, nec minis terreri, nec precibus ſatisfieri, nec corrumpi donis, nec eloquentia vinci, nec potentia premi, nec ſapientia ſuperari, nec denique quauis arte paliari: nonniſi quia Deus eſt, nec ſupra Deum inuenitur aliquis: ac propterea iuſtus iudex, tribuens vnicuique quod ſuum eſt. Vnde & auſterus, ſeueruſque perſpicitur, quia ſemper verus, conſtans, & immutabilis. Quid igitur faciet homo improbus, ſceleribuſque vniuerſi generis plenè oneratus? qua fronte, quo animo, qua audacia, qua fiducia, & qua ſpe ante Deum iudicem auſterum, iuſtum, & legislatorem ſe offeret? væ ſibi erit, quia vt impius, & in iniquitatibus immerſus, ad Deum iudicem auſterum, & iuſtum, & legislatorem proficiſcetur.

Ieſus Chriſtus legẽ fidei, & pietatis humano generi promulgauit.

Οὐαὶ τῷ πλουτίστῃ. ὁ πλοῦτος αὐτὸν φεύγει, καὶ τὸ πῦρ ὑποδέχεται.

PRAECEPTIO CCXIX.

Væ auaro, diuitiæ enim fugiunt: & excipit eum ignis.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXIX.

AVaritia, quæ etſi eſtendatur ad amorem inordinatum habẽdi rem quamlibet, quemadmodum Beatus Auguſtinus dicit, auaritiam non in ſolo argento, & nummis: ſed in omnibus rebus, quæ immoderatè appetuntur, inueniri. Et Beatus Gregorius habet, quòd auaritia nõ ſolum eſt pecuniæ: ſed

In lib. de libero arbit. Auaritia in omnibus rebus inuenit. In Homelia.

Digitized by Google

Auaritia, prie quid ſit.

ſed etiam ſcientiæ,& altitudinis,cum ſupra modum ambitur ſublimitas: propriè tamen inordinatus eſt amor habendi diuitias: vnde auaritia, quaſi æris auiditas dicitur: Nam auidus dictus ab auendo: auere enim cupere eſt: hinc auarus dictus eſt,eo quod ſit auidus auri, & nunquã opibus expleatur: opponiturque liberalitati, & iuſtitiæ, virtutibus maximis: maximum quidem peccatum eſt: quippe quod eſt generale, quia multæ ſunt ſpecies auarorum. Omnis enim auarus vel deficit in dando, vel excedit in acquirendo: lucrando turpiter,vel iniuſtè. Capitale, quia multorum peccatorum caput, vt in ſuperioribus à nobis vtcunque digreſſum eſt. Et mortale,quia vnus ex ſeptem: fitque accipiendo, retinendoque res alienas iniuſtè: ob quas præfertur amor illarum amori Dei, & proximi; licet veniale reddatur, cum propter diuitias nemo quicquam ageret contra dilectionem Dei, & proximi: quamuis inordinatus eſſet amor illarum. Auaritia igitur cum peccatum ſit maximum, origo, cauſaque multorum malorum: abijcienda eſt prorſus viro Chriſtiano. Quis enim non videt auaritiam viduas opprimere: pupillos inuadere: liberos in ſeruitutẽ reuocare: teſtimonium proferre falſum: res mortui occupare: viuorum accipere: ſemper rapere: nunquam ſatiari: Deum non timere: hominem nec reuereri: non parcere patri: non matrem agnoſcere: non fratri obtemperare: nec amico fidem ſeruare: contrariari naturæ: diuinum auferre cultum: omnium vitiorum inductricem? Ex ea naſci odia, ſeditiones, diſſidia, diſcordias, bella, non modo ſingulos homines,verum vniuerſas euertere familias,quinimo totam labefactare rem publicam? Ideo ſcripſit Seneca ad Helnam matrem, auaritiam eſſe vehementiſſimam humani generis peſtem: & rectè, quia quemadmodum peſtis interitu totum corrumpit populum: ita auaritia vitijs, & diſcordijs. Optimè igitur Cornelius Tacitus Didonem Phœniſſam Tyro profugam,condita Carthagine, ideo opes illas addidiſſe teſtatur, ne nouus populus nimia pecunia laſciuiret: aut Reges Numidarum eis alias infenſi cupidine auri ad bellum accederentur. Titus quoque Liuius auctor eſt, Rempublicam Romanam optimam,& ſine auaritia fuiſſe ſemper, dum in ea paupertatis honos, ac parſimoniæ fuerit. Et verum dicit: quandoquidem(vt legimus)dum in Romanos pecuniæ,& imperij

Species multæ auarorũ.

Scholio 213.

Auaritia quo modo eſt peccatum mortale, & quanam ratione reddatur veniale.

Auaritiæ malignitas.

Auaritia peſtis humani generis.

Lib. 16.

In præf. lib. 1. Dec. 1.

Digitized by Google

perij libido inuexit, omnium malorum materies erupit: quia magnitudo pecuniæ à bono, & honesto, in prauum abstrahit. Sed non foris solum agitat, & in alios tantum cœco currit impetu: verum etiam intus animis inclusa perturbat, diffidet, atque discordat. Ex quo (vt inquit Cicero) vitam amarissimam effici necesse est. Heu cruenta bestia. Assimilat Dinus Bernardus auaritiam currui quatuor vecto rotis, pusillanimitate, inhumanitate, contemptu Dei, & mortis obliuione. Pusillanimitate, contraria magnanimitati secundum defectum, quia deficit auarus, vt pusillanimis à proportione suæ potentiæ: cum recuset in illud tendere, quod est suæ commensuratum potentiæ diuitiarum: nolens impartiri egentibus. Inhumanitate, nolens subuenire proximis: contemptu Dei liberalissimi: & mortis obliuione, nunquam credens se moriturum. Vnde & auaro promittenti sibi diuturnam vitam in qua requiescere, comedere, bibere sperabat: audiuit vocem dicentem sibi: Stulte hac nocte animam tuam dæmones repetent: quæ autem parasti cuius erunt? Trahi insuper iumentis duobus, rapacitate, & tenacitate: nam rapit, & nihil dat auarus. His iumentis auriga insatiabilis præsidet, qui est ardor habendi sine termino: nam desiderium diuitiarum vadit in infinitum, secundum Aristotelem. Est enim auaritia insatiabilis, quæ neque copia, neque inopia minuitur (vt inquit Salustius.) Vtitur deinde ad vrgendum iumenta currum trahentia acerrimis flagellis, libidine scilicet acquirendi, & metu admittendi: quia qui multum habet, plus cupit, argumentum certè nondum satis habere; quæ autem iam habet, perdere timet. Vitium certè solum inter omnia quod iuuenescit, nam alia senescunt, senescente homine: hoc verò renouatur. Simile canis ingluuiei, cui missa à domino panis, aut carnis, frustra aperto ore illam captat: exceptamque protinus integram deglutit, properatq; ad spem futuri. Idem auaro euenit: quicquid fortuna expetenti proijcit, id sine voluptate demittit, & statim ad alterius rapinam erectus stat, & attentus: hocque desiderium vsque ad mortem intenditur. O miseria super omnem miseriam, cum nemo diues esse possit quantum vult, sed semper aliquid ante parta, vt augeat, mendicat, quæ quidem (vt dicit Lutius Apuleius) vera est confessio paupertatis. Sed nonne diuitiæ fugiunt? tandem quæ possidet homo

Lib. 1. de finibus bonorum, & malorum.

Super Cant. serm. 38.

Auaritiæ triumphus.

Lucæ c. 12.

Lib. 1. Polit.

In Catilinario.

Auaritia similis canis ingluuiei.

Libro 1. de mag.

Digitized by Google

nonne hic relicturus est? quid igitur auri, argenti, diuitiarumque cupiditatibus æstuas ò homo, cum desiderium sit inexplebile, diuitiæ paucæ, finis earum certus, pœna infinita? quia qui pecuniæ seruierit, non modo præsentibus constringetur compedibus: sed & futuris parabitur. Et meritò: quemadmodum enim insatiabilis, & inexplebilis ei cupiditas fuit: operæpretium est, vt insatiabilis, inexplebilisq; ignis eum excipiat. Infernus nanque quoscunque absorbuerit, nunquam dicet, sufficit: ita & si omnes thesauri in auarum confluxerint. Igitur inferno est similis: ac propterea optimè increpat Author, dicens: væ auaro, diuitiæ fugiunt: & excipit eum ignis. Vis igitur excipi ab igne? abhorre auaritiam, fuge diuitias, quia effugies ignem: secus væ tibi erit tanquam auaro, qui cum nullis expleatur cupiditatibus, nec explebitur, quoque gehenna ignis.

Ignis inferni auarum excipiet.

Οὐαὶ τῷ ῥαθύμῳ. ζητήσει γὰρ τὸν καιρὸν, ὃν κακῶς ἀπώλεσεν.

PRÆCEPTIO CCXX.

Væ socordi: quæret enim tempus, quod malè insumpsit.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXX.

CReauit Deus omnia propter hominem, quæ nunquam suo modo quiescunt: hominem verò propter seipsum: vt sibiipsi quoq; assimilaretur. Qui cum præter alia semper operetur, & nunquam otiosus permanet: de quo Filius eius in carne assumpta dixit: Pater meus operatur, & ego operor: hominem inquam fecit, non vt otiosus persisteret, non vt negligens in consulendo, prospiciendo, & quiescendo marcesceret: sed vt in bonis continuò se exerceret. Nam etiam ante peccatum id fieri voluit, & præcepit: posuit namque Deus hominem in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illud, scribitur alibi. Quanto igitur magis in hoc misero naturæ lapsæ statu operari necessum est, si in illo naturæ integræ operari oportebat, præsertim cum in viuis operibus salus nostra

Deus semper operatur. Io. cap. 15.

Homo creatus est vt operaretur.

Digitized by Google

stra consistat? Fecit quoque Deus hominem in tempore, vt illo mensuraretur, tempus namque mensura motus est: & omne quod creata fit virtute, cum quadam motus successione fieri oportet; ac propterea motui, & tempori hominem subijci necessum est. Igitur quæcunque homo operabitur, in tempore operari maximè consentaneum est: ob id Deus tempusmet creauit, vt temporis interuallo recreatus homo, bona haud intermitteret opera. Hanc ob causam nil pretiosius tempore æstimatur: in quo habet opportunitatem homo bene operandi. Omnia quidem aliena sunt: tempus tantum nostrum est (inquit Seneca.) Igitur dum tempus adest, operari bonum oportet: Nam operari nequibimus completo iam tempore. Quinimo de amisso tempore rationem reddemus in die iudicij: & de nullo tantum damnati dolebunt, quantum de tempore inutiliter consumpto. Exemplum patet in Chronica Ordinis de anima damnata eiulante post matutinas in Ecclesia: quæ adiurata à fratre in oratione posito: respondit esse damnatam animam; & subiunxit, de nullo tantum dolemus omnes damnati, quantum de tempore, quod inutiliter expendimus: & peccando consumpsimus, vbi in vna hora peccatorum omnium pœnituisse potuissemus. Idcirco scribitur: Fili conserua tempus: & declina à malo. Conseruatur quidem tempus, dum operatur bona: quia vertitur in fœlicem æternitatem: malorum enim operatio, consumptio temporis est: quandoquidem fœlix æternitas deperditur: vertiturque in infœlicem, omnique miseria plenum. Hanc ob causam exprobratur socordia, & otium, nedum à pijs viris, sed ab Ethnicis, tanquam naturæ destructiuum: sed commendatur summopere labor. Omitto plerosque viros insignes, qui ob otium deliquerunt: ob laborem verò illustres redditi sunt. At quis negabit Romanam Vrbem, & eius imperium, ob laborem euectam, auctamque: ob otium depressam, & ad nihilum penè redactam: vt nomen solum hodie sibi vendicet? Salustius in Catilina ex oratione Catonis, cuius rei meminit Diuus Augustinus alibi, non ob aliud Rempublicam illam auctam recitat, nisi ob domi industriam: ob foris iustum imperium: ob animum liberum in consulendo: nec delicto, nec libidini obnoxium. Policrates quoque scribit, Octauianum Cæsarem filias suas, vt otium abigerent, in arte texendi eruditi

Tempore nihil pretiosius.

In prouerbijs.

Exemplum

Damnati de nullo tãtum dolent, quantum de tempore amisso. Eccles. c. 4.

Otium vitãdum, labor amplectendus.

Lib. 5. de Ciuit. Dei c. 12

Lib. 5.

Digitized by Google

Homo otiosus, vel laborioſus ſimilis eſt ferro.

diri feciſſe. Homo certè vel otio, vel labore affectus, ferro comparatur: ſed inæqualiter. Quemadmodum enim ferrum ſi in vſus tranſierit, aſſiduo micabit ſplendore, ſi autem longa quieuerit ſegnitie, fuſcabitur, atque in aeram mutabitur ſcabiem, celeriq; abſumetur æruo: ita homo honoribus, præmijs, ſplendore, in laboribus decorabitur: in otio autem deiectione, paupertate, infamia obſcurabitur. Otium namque ſegni rubigine ſenſus corrodit pigros, ſopitaque pectora torpor noxius obliquat: ſocordiæque ſemper variam dant mentem. Labor è contra acuit ſenſus, excitat pectora, datque intelligentiam. Quid igitur ſocordiæ te immergis, cum remittat animam, reſoluat mentem, puſillanimem reddat exercitationem, odioſam faciat profeſſionem, detrahat Deo quaſi inuiſcroſo, & abſque benignitate exiſtenti? &, vt inquit Ioannes Climacus, accidia, quæ idem eſt, quod ſocordia, attonita eſt in pſalmis, infirmans in oratione, in miniſterio ferrea, in opere manuum non pigra, in obedientia improba. Et non inconſultò vocatur ſocordia, quia ſocors ad conſiderandum ſine eſt corde, nedum ad agendum. Quid igitur malè tempus infamis, cum Deus ad tui vtilitatem, & profectum illud fecerit, vt bene operandi additum, interuallumq; haberes? Bene igitur conſumas: aliter quæres tempus, quod male conſumpſiſti, & non inuenies: ideo væ tibi erit.

Socordiæ ma lignitas.

Οὐαὶ τῷ ἀλάζονι. ἔταν εἰσέλθῃ εἰς τὸν τάφον τὶς ὑπάρχει διδάσκεται.

PRAECEPTIO CCXXI.

Væ ſuperbo, cum enim ingreditur ſepulchrum, quis ſit, edocetur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXXI.

Homo cunctis animalibus præſtat ob animæ immortalitatem.

NVllum animal infœlicius eſſet homine: ſi nihil ei à morte ſupereſſet: nam quod homini ſuperſit anima, quia immortalis: vincit profecto quæcunque animalia: quæ cum intereunt, omnino intereunt: homo autem cum interit, non omnino interit, quia remanet pars eius nobiliſſima, quæ

eſt

Digitized by Google

est anima: vnienda corpori in resurrectione. Id cum à Theologis theologicè, tum quoque à Philosophis philosophicè ostensum est (excepta resurrectione, quæ aliena est à Philosophia) & vtcunque à nobis in opere, quod de statu animarum mediarum post mortem, & de earum meritò inscribere placuit, demonstratum. At ad ea, quæ communia sunt cunctis animantibus, considerantes hominem, videbimus eum omnibus ferè inferiorem: nam vna sola præstat belluis, nempe ratione. Videmus primo hominem ineptè nasci, & cum difficultate nutriri: belluas verò facilè; natas tamen, statim ad naturæ officia promptiores reddi. Armatas, & munitas videmus has à Deo conditas: hominem verò nudum, inermem, indigentemque animalium etiam adiumento, quo tegitur, & vescitur. Quædam igitur veloci pedum sunt præditę cursu, aliæ vnguibus, nonnullæ pennis, aliæ cornibus, quędam lana, reliquæ pilis, nonnullæ squamis, spinis multæ, duritie aliquæ, fortitudine aliæ, visu pleræque, odoratu aliquæ, auditu aliæ: ficque discurrendo multa in animalibus reperiemus, quæ desunt homini. Præfertur ceruus homini in velocitate cursus: in vnguibus omnia rapacia: in pennis volatilia quibus teguntur: pisces squamis operiuntur: oues lana: iumenta, & feræ vestiuntur pilis: cortex quoque ambit arborem: pisces, & aliqua ex terrestribus spinis muniuntur: cornua boues, arietes, & similia roborant. Aquila excedit in visu: leo in fortitudine: canis in odoratu: in auditu lupus: ficque discurrendo, inuenies à belluis hominem superari ferè in omnibus. Quid quod hæ insultant homini adeò, vt muscæ quoque, & pulices, similiaque vilia, atque olentia animalia audent hominem aggredi, illumque infestant. In quo ergo homo belluas præcellet, si cunctæ excellant in multis hominem, eumque molestant? hisque indiget homo ferè penitus? At Hugo doctissimus, & sanctissimus vir, quamuis doceat naturam consuluisse animalibus, tamquam quæ sibi præuidere nescirent: homini verò hæc subtraxit, vt maior experiendi occasio præstaretur: nam quæ animalibus naturaliter data sunt, homo propria sibi ratione inueniisset; ex hoc namque scilicet inueniendo magis enitet hominis ratio, quàm si haberet: iuxta prouerbium illud, quod ingenio'a fames, omnes excuderit artes. Hæc autem & si vera sint, negari tamen minimè

Cap. 1.

Homo inferior cunctis animantibus quo ad communia illis.

Animalium præstantia supra hominē.

In Didascalicon lib. 1.

Digitized by Google

minimè poterit, melius fuisse, si homo omnia habuisset: quod si indiguisset. Nam si habuisset, nobilius quidem clarescceret. Illustrius quidem operatur, & apparet homo diuitijs, potentia, pulchritudine, sapientia præditus: quàm pauper, inops, debilis, deformis, ignarusque: ratio autem eius in alijs enituisset. Patet autem id in statu naturæ integræ, in quo nulla re indiguisset homo: cuius tamen ratio illustrius claruisset. Cæterum hæc omnia, & similia relinquentes, manifestum est, sex ad essentiam hominis pertinere: materiam, operationem, exitum, statum, mortem, & dissolutionem. Materiam vilem, quia de terra formatus est homo: operationem turpem, quia in labe peccati natus: exitum flebilem, quia omnia sua tam interna, quàm externa flent: statum instabilem, quia nunquã in eodem statu permanet: mortem tristabilem, quia mors vltimum terribilium: dissolutionem miserabilem, quia corrumpitur totius hominis harmonia. Sed dices, & hæc communia esse animantibus cunctis, fatemur quidem & nos: sed dicimus animal haud in peccato nasci, quia bestia non peccat, nec peccare potest: hominem verò in peccato nasci. Animal nec damnari, nec glorificari, quia omnino interit: hominem verò vtrũque, quia sunt de essentia eius; quia cum non intereat, vel ob merita beatur, vel ob crimina damnatur. Quid igitur iuuat hominem nasci, deinde damnari? quod si melius (dixeris) esse damnari, quàm non esse omnino, vt bestiæ, quia intereunt penitus: dicimus & nos melius absolutè esse, non esse, quàm malè esse. Quid enim prodest Iudam esse, & malè esse? quærent enim damnati mortem, quia cupiunt absolutè non esse, quàm malè sic èsse, & non inuenient: quia incorruptibilis est hominis anima. Igitur vndequaque inuenimus malum hominem infœliciorem bestia. Quid igitur superbis homo, cum sis terra, & cinis: sperma fœtidum: natus in peccato: in malo perseuerans? spes tua fallax: fortuna fragilis: conceptiones tuæ inanes, quæ mediocri in spatio sæpe franguntur, & corruunt: & cum ipso cursu ante obruuntur, quàm portum conspicere valuerint. Alta petis, casus miserabilior erit: & talis, quod vsque ad sepulchrum descendes. Et rectè, quia crimina contrarijs pœnis puniri debent. Et cum ingredieris sepulchrum, scies, quis es. Ideo væ tibi erit, tanquam superbo.

Ad hominis essentiã, quæ pertinent.

Melius est absolutè nõ esse, quàm malè esse.

Hominis miseria, & infœlicitas.

Oùai

Οὐαὶ τῷ φιλοπόρνῳ, ῥυποῖ γὰρ σολὶν, καὶ τοῦ γυμφῶνος ἐκβέβληται.

PRAECEPTIO CCXXII.

Væ ſcortatori, ſtolidam enim habet ſtolam: & è nuptijs eijcietur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXXII.

LVxuria perditiſſimum animal eſt, deuorans hominem intrinſecus, extrinſecuſque: nec aliquando quieſcit, niſi ad ſatietatem hominis medullas ſorbuerit. Temporalia diſſipat, corporalia deſtruit, ſpiritualia corrumpit. Bene dixit Sapiens: Qui nutrit ſcortum, perdit ſubſtantiam. Subſtantiam quippe externarum rerum, puta pecuniam cum conſequentibus: ſubſtantiam corporis, ſanitatem ſcilicet, robur, pulchritudinem, cum appendicibus: quæ quaſi ſubſtantiæ ſunt corporis, cum ipſis ferè ſubſiſtat: ſubſtantiam deniq; animæ cum omnibus ſuis, quia animam ipſam poſt hoc ſæculum perdit, & in hoc ſæculo cuncta ipſius bona deprimit. Bonum nomen omni pretioſius bono, cum vitium hoc magnę ſit infamiæ: gaudium mentis interius, propter conſcientiæ remorſum, poſt peccatum relictum, ponens in anima maximam triſtitiam: & ſuperioritatem quam carni habebat, cum efficiatur totaliter ſubiecta carni. Deordinat inſuper rationem, & voluntatem, eorumque actus: ſimplicem nempe intelligentiam, ex qua cœcitas oritur mentis: conſilium, ex quo præcipitatio exurgit: iudicium de agendis, ex quo inconſideratio: poſtremo præceptum de agendis, ex quo inconſtantia. Voluntatis inſuper actus quo ad appetitum finis, ex quo ſequitur amor ſui inordinatus, ex quo odium Dei maximum: & eorum, quæ ſunt ad finem, ex quo præſentis ſæculi affectus emergit, & futuri neglectus. Vide ergo bona quæ deſtruit, mala verò quæ ſubminiſtrat. Verum quod officit eſt, quia priuat hominem maximo bono inter cætera bona, quæ in hac vita conſequi poteſt, ſcilicet gratia Dei, qua efficimur conſortes diuinæ naturæ. Perdit tandem animam ipſam in futuro

Luxuriei magnitas.

Prouerb. 29.

Luxuries triplicem conſumit ſubſtãtiam.

Luxuries omnia bona deprdit corporalia, ſed præſertim ſpiritualia.

Luxuries priuat hominẽ gratia Dei.

Digitized by Google

Luxuries diuinæ puritati maximè opponitur.

turo ſęculo, cum nullum peccatum ita diuinæ puritati aduerſatur, vt luxuria: peccatum fœtidum, & fœdiſſimum. Puritas eſt Deus, omnem excludēs impuritatem: purum igitur amat hominem, & immixtum omni fœditate. Pulcherrimus eſt Deus, & pulchram deſiderat animam: vt ſibi in ſponſam coaptare poſſit. Sicut ergo ſponſa monilibus varijs ornata, extenta capillorū contextura, artificioſoq; nexu vario compta, indumentis verò pretioſis induta, pulchrior, & gratioſior redditur ſponſo: ob quam cauſam celebrantur nuptiæ, paratur cœna, ſymphoniæ ſonus, cantuſque lætitiæ omni ex parte auditur: ita anima virginitate ornata, caſtiſque capillorum cogitatibus nexa, veſteq; continentiæ induta, pulchrior redditur ſponſo Chriſto, ob quod celebrantur nuptiæ in cœli palatio, paratur cœna opipara panis Angelorum, cantuſque lætitiæ ſine intermiſſione auditur. Væ igitur erit ſcortatori, & rebus meretricijs dedito, cum coram ſponſo immundus apparebit, & ſine continentiæ veſtibus: eijcietur certè è nuptijs; quippe qui ſtolidam habet veſtem, ſcilicet luxuriæ. Quid igitur faciam, dices, vt caſtitatem conſequi poſſem, & in menſa Regis cœleſtis conuiuare? reſecare oportet fomenta luxuriæ. Deſcripſit Bernardus luxuriæ currum quatuor vitiorum rotis vehi, ingluuie ventris, libidine coitus, mollitie veſtium, otij, atque ſaporis reſolutionem. Trahi quoque duobus equis, proſperitate vitæ, & rerum abundantia: & qui his præſident duo, ignauiæ torpor, & infida ſecuritas. Vis itaque non ſtolidam habere ſtolam, & è nuptijs Regni cœlorum minimè eijci? abſtine, contine, macera, operare, negligе, fuge, attende, & time. Primo namque ventris ingluuiem fugabis: ſecundo coitus libidinem: tertio mollitiem veſtium: quarto otij, atque ſaporis reſolutionem: quinto vitæ proſperitatem: ſexto rerum abundantiam: ſeptimo ignauiæ torporem: octauo & vltimo ſecuritatem infidam: quæ omnia luxuriam gignunt. His fugatis caſtitatis veſte indueris, in nuptijs introduceris, ad menſam Chriſti cœnaturus in æternum.

Optimum exemplum.

Super Cant. Luxuriæ triumphus.

Homo ne ſtolam habeat ſtolidā, neue è nuptijs regni cœlorū eijciat, quid facere oportet.

Digitized by Google

Οὐαὶ τῷ λοιδόρῳ, καὶ σὺν αὐτῷ μεθύσῳ. μετὰ φονέων τάττεται, καὶ μετὰ μοιχῶν κολάζονται.

PRÆCEPTIO CCXXIII.

Væ conuitiatori, & vnà cum ipso ebrio: cum homicidis enim constituitur vterque; & cum mœchis puniuntur simul.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXXIII.

Peccata maximè sibi cõsentientia.

VO sunt peccata maximè sibi consentientia, quorum alterum originatur ab altero, vtrumque verò pernicioſum animæ, conuitium, & ebrietas. Impoſſibile enim eſt, vt vbi eſt ebrietas, abſit conuitium, & regulariter vbi continuatur conuitium, quin adſit ebrietas. Sinamque ebrietas eſt appetitus bibendi vltra menſuram, ex quo prouenit rationis priuatio, neceſſariò ſequitur ex hoc ſequi conuitium; per illam namque menti quædam ſui obliuio generatur, ex ſuperfluorum potuum indulgentia, iuxta Iſidorum. Ergo priuatio vſus intellectus ad aliquod tempus; ex quo conuitium: quandoquidem ad pauca reſpicientes, de facili enuntiant, ebrij ad pauca reſpiciunt. Quare Ariſtoteles dixit, & benè, ebrietatem homines impetuoſos facere. Quod & confirmauit Auguſtinus ad ſacras virgines: loquens etenim de ebrio, inquit, illum inter pocula, iniuſta aſſumere certamina: & nullis exiſtentibus cauſis aſperam excitare rixam, quia interponendo verba vana, aliorum ſana dicta non patitur audire; ſed in contumeliam erigitur conuiuarum, & proximorum crimina. At vide quid dicit Spiritus ſanctus per os Sapientis: Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas. Et inferius: Oculi tui videbunt extranea, & cor tuum loquetur peruerſa. Et alibi: Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Concinne igitur congiungit Author conuitiatorem, & ebrium: quia vel ſeminare diſcordiam intendit, vt ſuſurro: vel bona minuere, vel negare, vt detractor: vel quod

Ebrietas qd. Lib. Ethim. Polit. 8. Ebrietatis malignitas. Prou. 20. Cap. 23. Eccleſ. 31.

Digitized by Google

est contra alicuius honorem deducere in notitiam eius, & aliorum, per signa, vel verba, vt contumeliator: vel malum, defectumue alicuius, vt erubescat, in ludum, vel risum ponere, vt derisor: vel importantia defectum culpæ, & pœnæ, vt propriè conuitiator: omnia hæc, inquam, & similia ex nimia, assiduaq; vini potatione emanare, maximè est cõsentaneum: ac propterea væ vtrisque, cum homicidis enim constituitur vterque: & cum mœchis puniuntur simul. Et quare? quia conuitiator quantum est de se, interficere saltem verbis nititur eum, quem conuitiat. Quo circa rectè conuitium vocabimus homicidium verbosum. Ebrius verò ex nimio vini haustu in homicidium verbosum, & quandoque in reale prorumpit: ac propterea vterque cum homicidis constituitur. Illud autem quod subiungit, & cum mœchis puniuntur simul: dixit, quia ex mœchatione, vel causa mœchãdi, vt plurimum fiunt conuitia. Quemadmodum mœchatio ex ebrietate prouenit. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, aiebat Paulus Apostolus. Cæterum dubium non contemnendum exurgit, num verum sit, quod dicit Author, conuitiatorem, & ebrium cum homicidis, & mœchis puniendos simul? cum enim peccatum peccato sit grauius, inæqualis erit eorum pœna: grauius enim est homicidium conuitio: & conuitium ebrietate: ergo grauius punietur homicida, quàm conuitiator: & conuitiator, quàm ebrius: non igitur cum homicidis constituitur in pœnam conuitiator, & ebrius, & cum mœchis punientur simul. At respondendum arbitramur, quòd pœna vtique inæqualis erit, iuxta peccatorum inæqualitatem: quod autem dicit Author, quòd cum homicidis constituitur vterque, & cum mœchis simul punientur, intelligendum est vel ratione loci genericè, vel ratione pœnæ in genere, non autem in eodem gradu, & intensione pœnæ.

Conuitiũ homicidiũ verbosum est.

Dubium.

Dubij solutio.

Οὐαὶ τῷ τρυφῶντι. καιρὸν γὰρ ὀλίγον εἰς μάχος εἰς σφαγὴν ἑτοιμάζεται.

PRAECEPTIO CCXXIIII.

Væ delicias sectanti, tempore enim exiguo tanquam vitulus ad mactationem paratur.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXXIIII.

VNiuersa, quæ sub Sole fiunt, vniuersa certè vanitas sunt, & afflictio spiritus. Temporalia enim quælibet & si dum absunt, desiderentur: habita tamen vilescunt; ac propterea sunt homini vanitates, & spiritus afflictiones. Salomoni Regi nec defuit sapientia, nec opes, nec potentia, nec dominatus, nec luxus, neque deliciæ, quot, & quæ desiderari possunt: tandem vanitates vanitatum appellauit cuncta; nonnisi quia nec satiant, neque permaneant: sed continuò recedunt. Non defuit sapientia, quæ tam fuit admiranda, quòd à finibus terræ Reginam Sabæam traxerit ad eam audiẽdam, plurimiq; ex cunctis populis ad Regem ob sapientiã confluebant. Præcellebat quidem sapientiam Orientalium omnium, Ægyptiorum præsertim. Sed an nescis, quòd infusa diuinitus fuerit? Verum in libro quem de Neomenijs Salomonis inscripsimus, hæc fusius habes. Non defuerũt opes, & diuitiæ, quæ quidem innumeræ ex scriptura deprehenduntur. Quotidianæ expensæ erant triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ. Boues pingues decem, pascuales viginti, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprarum, atque bubalorum animalium syluestrium, & auium altilium. Corus, iuxta nonnullos est mensura mille librarum; vnde elicitur familiam eius fuisse triginta millia hominum. Equorum currilium præsepia erant quadraginta millia, equestrium duodecim millia. At nonne scribitur, Deum dedisse Salomoni diuitias, & gloriam, vt nemo fuerit ei similis in Regibus cunctis retrodiebus? omnesque qui remanserant de Amorreis, Etheis, Iebuseis, Ferezeis fecisse sibi tributarios? Regina Saba non dedit ei munere regio centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, gemmasq; pretiosas? Et alibi nonne legitur, quòd erat pondus auri, quòd offerebatur Salomoni per singulos annos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri, excepto eo quod offerebant viri, qui erant super vectigalia, & super negotiatores, & omnes Reges Arabiæ, ducesq; terræ? Argenti abundantia nõ erat tanta, quanta & lapidum? Non defuit insuper potentia, nec dominatus, cum Salomonis domi-

Mundana omnia vanitas sunt, & afflictio spiritus.

Salomonis sapientia admiranda.

Lib. 1. c. 11.

Reg. 3. c. 4. Expẽsę quotidianæ curiæ Regis Salomonis.

Salomonis familia. Equorũ prę sepia. Reg. 3. c. 3.

Reg. 3. c. 10. Diuitię Salomonis annuę

Salomonis. potentia, & dominium.

Digitized by Google

Reg.3.c.4. dominium fuerit super omnia Regna à flumine terræ Philistijm, vsque ad terminum Aegypti: quæ ei offerebant munera,& seruiebant ei cunctis diebus vitæ suæ. Subinde dominatus est super omnes duodecim Tribus Israel: vnde subditi absque timore viuebant. Quare Rex pacificus meritò appellatus est. Luxus verò, voluptates, & deliciæ tot & tantæ fuerunt, vt referre, iniuria tanto fit Regi. At si Scriptura commemorat, nos & tacebimus? fuerunt ei vxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ. Et de seipso loquens, dixit,quòd omnia quę desiderauerunt oculi eius,non negauit eis, nec prohibuit cor suum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparauerat. Tandem cum se conuertisset ad vniuersa opera, quæ fecerant manus eius, & ad labores in quibus frustra sudauerat, vidit in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole. Vide igitur si mundana omnia sint vanitates, & spiritus afflictiones? Et verè,quæ res illæ sunt, quæ cum deliciæ sint homini,consistunt? nulla certè. Omnis namque res, quæ homini est delectationi, citò transit, & perit; & pœnitudinem sui habet. Luxus omnis recedente causa, recedit. Ciborum deliciæ recedente cibo, recedunt. Luxuriæ gustus ipsa discedente,euanescit.Omnes insuper huius mundi deliciæ quæcunque sint illæ, transeunt, & euanescunt. Quid igitur est, quod tam homo ardenter in his inhiat? quod tam suauiter delectatur? quod sic tandem in ipsis immergitur? caueat, ne se immergendo, suffocatus remaneat. Magnum est enim mare deliciarum, sed periculosum: quod & si primo aspectu tranquillum,& dulce videatur:laquei sunt omnia;miserum illaqueantes corpus, & animam. Illaqueant certè corpus varijs miserijs, ægritudinibusque illud infestantes: sed & animam illaqueant, ad tartara deducentes citius quàm putat homo: vbi & sentiet pœnas, quas numquam in hac vita creatura sensit: cum pœnæ omnes, quæ hic infliguntur, vmbræ sint pœnarum illarum. Et quemadmodum pœnæ pictæ in muro, ad pœnas veras relatæ,non sunt pœnæ, sed pœnarum vmbræ: ita & pœnæ mundi ad illas inferni relatæ, imagines sunt pœnarum inferni. Hoc est, quod dicit Author: Væ delicias sectanti: tempore enim exiguo tamquam vitulus ad mactationem paratur. Quia delicijs affluens, & in illis viuens, breui certè

Salomonis luxus, & deliciæ.

Reg.3.c.11.

Eccl.11.c.

Mare deliciarum periculosum.

Pœnarum mundi,& inferni discrimen.

tempore

tempore viuet; quia ad mortem ducetur animæ, tanquam vitulus ad mactationem: ac propterea in inferno erunt deliciæ suæ. Et meritò, quia impossibile est, iuxta Beatum Hieronymum, vt hic quis ventrem impleat, & ibi mentem: vt de delicijs ad delicias transeat. Sed quemadmodum dicit Scriptura, quantum fuit in delicijs, tantum dabitur ei de tormentis. Sectare spirituales delicias, vt tartareas euites, cœlestes verò possideas: secus væ tibi erit.

Οὐαὶ τῇ ὑποκρίσει· ὁ ποιμὴν αὐτὸν ἀρνεῖται, καὶ λύκος ὁ κριὸς ἀποφαίνεται.

PRÆCEPTIO CCXXV.

Væ hypocritæ, pastor enim ipsum negabit: & ipse aries, lupus esse demonstrabitur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXXV.

BOnum est quidem bonum esse: malum autem malum. Nam bonum non aduersatur bono, sed malo: malum autem nec sibiipsi, sed bono. Bonum igitur, vt bonum, nō potest esse malum: nec malum, vt malum, bonum. Impossibile namque est, vt bonum sit malum, & malum bonum: cum aduersantia sint ad inuicem, & peremptoria; de natura enim boni est esse perfectiuum, & conseruatiuum: de natura verò mali consumptiuum, & destructiuum. Igitur cum bonitas sit perfectio eius, cui bonum ineſt, malum autem imperfectio, defectioque: malum est, esse malum, bonum verò esse bonum. At qui nō est bonus, sed simulat se esse bonum: talis pessimus est, & iniquus; quia destruit bonum, malumque sub boni specie occultatum efficit. Talis inquam pessimus est, quia non cauetur, dum non cognoscitur: ac propterea inficit cuncta. Eum quidem qui palam est aduersarius, facilè cauendo, vitari potest: sed occultus minimè. Ideo dicebat Diogenes Philosophus, Troianum equum idcirco fefellisse, quia Mineruæ formam mentitus est. Si igitur bonum est, bonum esse; vt quid hypocrita vult videri quod non est, nempe bonus? & nō vult videri

Boni, & mali natura.

Simulans se esse bonum, pessimus est.

Digitized by Google

videri quod est, nempe malus? sic id efficit, quia est malum videri malum: derelinquat malum, & prosequatur bonum. Si vult videri bonus quod non est: fit bonus, vt videatur quid fit, & non videatur quid non fit. Cæterum nedum in spirituali vita tale viuendi genus condemnatur, sed etiam in morali, & vniuersaliter in quacunque re vitiosum redditur, tum quia iudicium tollit, illudque adulterat; tum quoque quia repugnat amicitiæ. Homines quidem fronte hilari, corde verò obliquo; non amici, sed hostes pessimi sunt. Quid enim peius, quàm hominem videre bonum sermonibus, malum verò operibus? aut optimum ore, pessimum verò corde? Bene dixit Aristoteles: Qui fingit se amicum, & non est: peior est eo, qui facit falsam monetam: & tamen monetæ falsificator, crimine læsæ Maiestatis fit reus. Vide ergo si hypocrita crimen læsæ Maiestatis diuinæ incurrat, cum fingat se amicum Dei, & non est. Optime dixit Hieronymus, in comparatione duorum malorum leuius est, in alium apertè peccare (quod intelligitur non publicè) quàm simulare, & fingere sanctitatem. At quid vtilitatis hypocritæ resultat? nonnisi mercenaria in hoc mundo. Sed cum pastor aduenerit, videritque inter oues lupum veste arietis tectum: pastor ipsum negabit, atque expellet; & ipse aries lupus esse demonstrabitur: quia venit in vestimento ouis ad oues perdendas, & arietes spoliandos. Tunc væ sibi erit, quia merces sua in hoc mundo fuit. Oues sunt quidem hypocritæ habitu, sed vulpes astutia; actu verò, & pernicie lupi. Fugiamus tales oues, caueamus tales vulpes, separemur à lupis, ne deuoremur. Quare quidam Poeta bene cecinit.

Nunquam te fallant lupi sub vulpe latentes,
Impia sub dulci, sæpe venena latent.

Cæterum si in præsenti vita hypocritas dignoscere volueris; subtrahe, vel nega, quæ tales hypocrisi consequuti sunt: vel consequi desiderarunt: statim videbis, an ille sit lupus in pelle arietis, vel aries in sua.

hypocrisis in spirituali, & in morali vita condemnatur.

Lib. 9. Ethic.

Super Esaiã lib. 6.

Hypocritæ vtilitas, & remuneratio

Hypocritæ quomodo cognoscuntur.

Digitized by Google

Μακάριος ὁ τὴν στενὴν ὁδὸν ἐλαύνων ὁδόν· στεφανηφορῶν γὰρ εἰς τὸν οὐρανὸν εἰσέρχεται.

PRAECEPTIO CCXXVI.

Beatus qui angustam ambulat semitam: coronatus enim in cœlum ingreditur.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXXVI.

NVllus hominum negabit ærumnas omnes, angustias, calamitates, tribulationes, & similia, vel quæ generali concursu Dei infliguntur: vel per causas naturales, vt morbi, & naturales mortes: vel per causas liberas iustas, vt supplicia malefactoribus iuris ordine decreta: vel permissione inflicta, vt iniuriæ illatæ; quæ ex peccato originali (à quibus præseruatus esset homo, si non peccasset) naturali quodam ordine euenire: vel quæ in mundo eueniunt speciali prouidentia Dei, vt diluuia, tempestates, incendia, pestes, & similia: nullus inquam negabit ex se mala esse; ac propterea à nemine desiderari. Cui enim (vt aliqua examinemus) paupertas placebit: cum propter inopiam multi corruerint? nemini quidem. Aut enim ægestate compulsi, furabuntur, aut periurabunt nomen Dei, aut se prostituent, aut in desperationem lapsi, laqueo se suspendent. Mala sunt quidem omnia hæc. Qui alienus à dolore noluerit esse? cum dolor sit motus asper in corpore, & sensibus alienus: & ægritudo crucians, iuxta Ciceronem? seu animæ offensio ex carne, & quædam ab eius passione dissensio, iuxta Augustinum lib. 14. de ciuitate Dei? seu passio animæ in appetitu sensitiuo, & intellectiuo, iuxta Beatum Thomam. Qui laborem amat? nullus quidem: qui enim opus excipit laboriosum, ad hoc excipit, vt aliquid ex eo commodi consequatur: At nullus laboraret, si posset. Ignominiam quis cupit? omnes quidem honorari desiderant, & exaltari: non deprimi. Quis denique mortẽ? nemo certè, cum naturaliter perhorrescatur: vita verò desideretur.

Angustiæ, calamitates, & similia à nemine desiderantur.

Paupertas multorũ malorũ causa.

Dolor quid sit. Lib. 2. & 4. quæst. Tusc.

1.2.q.35.ar.1 Laborẽ nullus amat.

Ignominiã nemo cupit. Mortẽ vnusquisq; fugit.

Digitized by Google

Verum enimuero ſi anguſtię quęlibet cum patientia & æquanimitate tollerentur: erunt dubio procul ad meritum, & ſatisfactionem, ſiue ſint naturales, ſiue ſupernaturales; nullumque inter eas erit diſcrimen, niſi quod ſupernaturales patienter acceptæ, ſunt & ratione patientiæ, & per ſe ratione obiecti ſatisfactoriæ: naturales verò ratione virtutis patientiæ ſolum. Vide ergo ſi optimè inquit Author, beatum eſſe illum qui anguſtam ambulat ſemitam. Anguſtam certè ambulat ſemitam, qui paupertate anguſtiatus patienter ſubſtinet: qui dolore preſſus, non in blaſphemias, ſed in benedictionibus prorumpit: qui labore defatigatus, libenter ſuffert: qui iniuriatus, gratias agit Deo: qui tandem in mortis agone poſitus, conſtanter patitur. Satisfacit quidem pro peccatis, & in merito creſcit; ac propterea coronatus ingreditur in cœlum. Credis ò homo tantum bonum paruo labore acquirendum? ſummum bonum, ſummo labore conſequi debet. Memento populum Hebræum nunquam ingreſſum terram promiſſionis, niſi per viam aſperam, & ſpinoſam. Hanc viam demonſtrauit nobis Chriſtus, qui infinita perpeſſus mala in hoc mundo: in cœlum tandem aſcendit, præparandi cauſa locum his, qui & ſimilia patienter ſubſtinebunt. Hanc viam ſequuti ſunt Sancti omnes, qui perſecutiones, tribulationes, anguſtias, flagella, ignes, cruces, beſtias, carceres, diſperſiones oſſium, diſcerptioneſque membrorum omnium, mortes denique ſæuiſſimas, ac totius corporis pœnas pro nihilo reputarunt, vt Chriſtum caput, & omnium exemplar, tandem adipiſci valuiſſent. Noli obmurmurare, cum tibi mala quomodocunque eueniant; ſed gloriare, vt Paulus Apoſtolus, & cæteri Sancti. Bonum namque ſignum eſt, coronatus in cœlum ingredieris: & pro paupertate regnum: pro dolore gaudium: pro labore requiem: pro ignominia gloriam: pro morte vitam reddet tibi Deus in perenni ſæculorum tempore. Ambula igitur anguſtam ſemitam: quia beatus eris.

Anguſtã quis ambulat ſemitam.

Summũ bonum, ſummo labore conſequitur.

Sancti omnes imitãtes Chriſtum, per tribulationes tranſierunt.

Deus quid reddet pro tribulationibus.

Maria

Μακάριος ὁ τὰς ἡδονὰς πατῶν. τρέμουσι γὰρ αὐτὸν πάλιν οἱ δαίμονες.

PRAECEPTIO CCXXVII.

Beatus qui voluptates calcat: metuunt enim Dæmones cum eo certamen suscipere.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXXVII.

HOmini ad vitam regenerato, duplex insurgere prælium in via Dei, extrinsecum, & intrinsecũ, omnibus conspicuum erit. Extrinsecum à Diabolo infligitur, & à mundo: intrinsecũ à carne: vnusquisq; enim tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Horum bellorum grauius est postremum priori: quia caro hostis domestica est; reliqui verò hostes extranei; at grauiores sunt domestici hostes extraneis, tanquam qui minimè cognoscuntur: grauius igitur bellum est intrinsecum extrinseco. Caro est princeps huius exercitus, habens sub se milites, sensus quidẽ internos, & externos. Hi omnes se armant cum duce sua contra animam. Magnum deinde bellum nascitur, diuersaq; cupiditatũ prælia exoriuntur: varijq; studiorum conflictus exurgunt. Nunc superbia extimulat, nunc auaritia exagitat, nunc inflammat libido, nunc ira accendit, nunc gula mouet, nunc ignauia retardat, nunc in omni petulantia, curiosisque aspectibus visus figit aciem, nunc auris in audiendo obscœna se porrigit, nunc gustus in diuersis ciborum, saporumque generibus se transfert, nunc olfatus ad odores se transformat, nunc tactus illicita mouet, nunc lingua detractiones, murmurationes, inutilia quoque, ac scurilia verba profert: sicque misera anima variorum generibus præliorum quatitur, carnis aggressu, ac sensuum omnium insultu. Adest spectator Diabolus, intellectuq; sui acumine prospicit, num anima consentiat, num delectationibus hisce contentatur. Non quod internas animi cogitationes videat, cum Dei proprium sit illabi, soluisque cordis secreta penetret: verum corporis motu, eas ab illo, & affectionum

Hominis Christiani duplex bellum.

Belli spiritualis qualitas, & modus.

Arma bellica belli spiritualis.

Belli spiritualis spectator Diabolus.

Digitized by Google

Diabolus quando aggreditur animam.

ctionum indicijs colligere certum est. Hinc si viderit animam hisce rebus delectari, audere incipit, & aggredi simul non desinit miseram animam, tum quia similia semina incentiua sunt Diaboli; idque nihil aliud sit, quàm super fundamentum Christi ædificare fœnum, ligna, stipulam, quibus supponit Diabolus incendium: Tum quoque quia est serpens, cuius si capiti, ideſt si primę tentationi nō resistatur, locus ei remanet, ac in intima cordis insensibiliter immergitur, (non per illapsum, vt supra dictum est) & iuxta vniuscuiusque mores peccatorum laqueos prætendit: vt miseram tandem irretiat animam; nonnisi quia videt vinci à seipsa. Si verò cum carne viriliter se gesserit anima (quod potest efficere, cum libera sit, & domina passionum) atque in hoc conflictu vicerit seipsam:

Schol. 114.

Demones quando timent prælari cum anima.

timent tunc Demones cum ea certamen suscipere, nonnisi quia seipsam vincit, & vincere seipsum (etiam iuxta Platonem in libro de legibus) omnium victoriarum prima, & optima est; ac propterea se retrahunt: quia vident animam voluptates calcare. Calcat certè voluptates, qui seipsum vincit;

Voluptates qui calcat.

& seipsum vincit, qui voluptates calcat, qui vitia omnia expellit, qui superbiam, ambitionemq; humilitatem cōtemnit, qui auaritiam dedecus extimat eleemosyna, vel spretu, qui luxuriam pudicitia fugat, qui iræ dominatum patientia vincit, qui gulam ieiunio refrenat, qui inuidiam charitate reijcit, qui ignauiam sollicitudine recompensat, qui oculos in terram figit, qui aures ad audienda mirabilia Dei arrigit, qui gustum temperantiā, abstinentiaque afficit, qui olfatum diræ mortis fœtore ligat, qui tactum bona operatione condecorat: qui linguam tandem ad laudandum Deum aperit. Hic certè seipsum vincit, hic voluptates calcat; ideoq; beatus erit, quia metuunt Demones cum eo certamen suscipere. Et si quandoque id sit incertum, cum in insidijs tanquàm leo sedeat, vt in occultis interficiat innocentes: ac desperans se tandem crudeliter persequitur; magisque expugnare contendit, cum nos sibi rebellare conspexerit. Sed noli timere: ædifica aurum, argentum, lapides pretiosos, bona opera: vince teipsum, calca voluptates: & cum te regulariter certamen non suscipiet, tentareque te amplius non audebit.

Manè-

Digitized by Google

Μακάριος ὁ τῇ ἀρετῇ καθαρὸς, καὶ τῇ ψυχῇ ἀνυπόκριτος. κρίνειν γὰρ μέλλει τὸν κόσμον, οὐχὶ δὲ μετὰ τοῦ κόσμου κρίνεσθαι.

PRÆCEPTIO CCXXVIII.

Beatus virtute purus, & anima simplex existens: mundum enim ille iudicare, nec verò cum mundo iudicari futurus est.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXXVIII.

DVplex iudicium fore homini, alterum in morte, alterum in resurrectione, fidelium neminem credimus latere. Primum erit in separatione animæ à corpore: secundum, in vnione eiusdem cum eodem. Primum erit particulare, qua anima sola iudicabitur: secundum vniuersale, qua anima cum corpore examinabitur. Primum circa creaturam solam rationalem versabitur: secundum, erga vniuersum orbem. Iudicium duplex futurũ est homini.

Hæc à me probarentur, nisi essent ex fide; ideo credenda sunt omnino, quia Deus summa veritas hæc nobis reuelauit: aliter dicendum esset, Deum esse mendacem. At si rationibus insistendum esset, increduli etiam infideles sunt conuincendi iustitia diuina, quę exigit, vt mala minimè impunita remaneãt: bona verò nec irremunerata. Sed nec omnes mali in hac puniuntur vita: nec omnes boni præmiantur. Vt igitur iustitia apud Deum locum habeat; cum & apud homines quoq; exerceatur, & reddatur vnicuique quod suum est, licet impurè ob status imperfectionem: concedendum quoque est hoc iudicium duplex, primum quo anima sola iudicatur: secundum quo homo. Primum particulare: secundum vniuersale: vt & corpora etiam animabus consocia, vel castigentur ob crimina, vel beentur ob merita. Ratio certè conuincens etiam infideles, qui non negant iustitiam à Deo: neque animę immortalitatem. Hæc fusius habebuntur in eo opere, quod de mundi duratione inscripsimus. Itaque cum certum sit omnino duplex hoc iudicium fore, vtrumq; valde timendum est animæ: Iustitia diuina conuincẽdi sunt increduli de duplici iudicio futuro.

Lib. 4.

quia

Digitized by Google

quia de minimis quoque iudicabit iustus Iudex, sine personarum differentia, atque discrimine; ac propterea vt incerta de sua salute, timere oportet: quamuis in secundo certissima sit vel de pœna, vel de gloria. Vt autem vtrumque euitetur (nam euitari potest ad damnationem) duo quippe facienda sunt, vt sit homo virtute purus, & sit anima simplex. Purus autem virtute erit, si vita probus extiterit, si moribus integer, si mundus absque sorde, si immunis à vitijs, si animo candidus, si denique conscientia nitidus. Simplex itidem erit, cum dolos alicui nõ machinatus fuerit, cum neminem fraudauerit, cum nulli mala intulerit, cum innocentiam mansuetudine seruauerit. Fœlix vtique erit anima illa, quæ & virtute pura, & simplex existens, pura apparebit in conspectu Domini. Quandoquidem ex primo habebit, vt mundum iudicet: & rectè; cum in primis, Iudici vt benè iudicet animi puritas, & peccati immunitas conueniant: secundo, quod si viri Niniuitæ sint in iudicio resurrecturi cum Iudæis, quos condemnabunt, quia ob Ionæ prædicationem, pœnitentiam egerunt: similiter & Regina Saba, quia venit audire Salomonis sapientiam; quanto magis vir virtute purus iudicabit, & condemnabit iniquos, & sceleribus abdicatos? Ex secundo habebit, ne cum mundo sit iudicandus. In iudicio præter Christum, qui est supremus Iudex, cui Pater omne iudicium dedit, iudicabunt etiam alij: reliqui verò iudicabuntur, hi vel ad vitam æternam, & erunt boni: vel ad damnationem, & erunt mali. Illi autem erunt Apostoli, iuxta illud: Sedebitis & vos iudicantes duodecim Tribus Israel. Alij verò Sancti omnes, qui virtute fuerunt puri, & anima simplices, iudicabunt quoque, iuxta illud: Iudicabunt sancti nationes, & dominabuntur populis. Sis igitur virtute purus, vt mundum iudices: sis anima simplex, vt cum mundo minimè iudiceris.

Homo quomodo purus erit, & simplex.

Matth. c. 12.

In iudicio finali qui iudicabũt, & qui iudicabunt.

Matth. c. 17.

Mand-

Digitized by Google

Μακάριος ὁ ἀγρυπνῶν ἐν προσευχαῖς καὶ ἀναγνώσεσι καὶ τῷ ἔργῳ τῷ ἀγαθῷ. φωτισθήσεται γὰρ ὁ τοιοῦτος τοῦ μὴ ὑπνοῦν εἰς θάνατον.

PRAECEPTIO CCXXIX.

Beatus qui vigilat in orationibus, & lectionibus, & opere bono: illuminabitur enim huiusmodi, ne obdormiat in mortem.

SCHOLIVM, SEV COMMENT. CCXXIX.

Agẽs quodcunq; ad suũ finem tẽdit.

NEceſſe eſt operantem quemlibet, ſiue à proposito, qui ſibi præſtituit finem, ſiue ab inſtinctu, qui ab alio dirigitur in finem apprehenſum, ſiue naturali inclinatione in non apprehenſum: ad ſuum finem tendere. Nam & naturam propter finem agere, finemq; mouere agentem, atque impellere, vt agat, cum ex Philoſophis, tum quoque ex Theologis nemo eſt, qui ambigit. Quod ſi negaretur, vel agentia non agerent: vel fruſtra agerent. Nullum tamen eorum regulariter ad finem perueniet abſque medijs, modo tamen ſuo. At reiectis non cognoſcentibus finem, & impropriè cognoſcentibus ad quem non ſe mouent, homo libertate præditus propriè propter finem agit: atque vt facilius agat, conſequaturq; finem, media inquirit, inter ſe confert, eligit, coaptatque, vt finem adipiſci valeat; nam abſq; medijs, ad finem nullatenus peruenire poterit. Eſt namque ita neceſſaria connexio, proportioq; mediorum ad finem, vt qui finem conſequi voluerit, medijs conſequi neceſſe eſt. Cum igitur poſtremus finis hominis ſimpliciter, atque vltimatè ſit Deus: medijs (vt par eſt) eum conſequi oportet. Quæ & ſi plura, diuerſaq; extent, tria præcipua aſſignat Author, orationem ſcilicet, lectionem, & opus bonum. Orationem, quia oratione aſcenditur ad Deum: lectionem, quia mens lectione eruditur: opus bonum, quia illo corroboratur anima. Prima coniungimur Deo: ſecunda à mundi vanitatibus abſtrahimur: tertio in bono ſolidamur. Prima ad nos Deum trahit: ſecunda ad amorem Dei nos allicit:

Nullũ agens poteſt abſq; medijs peruenire ad finem.

Tria præcipua hominis media conſequendi finẽ.

Digitized by Google

cit: tertium Regni cœleſtis hæreditatem promittit. Prima Deus facit quicquid boni volumus: ſecunda ſpiritualibus delicijs impinguamur: vltimo poſſeſſores cœli conſtituimur.

Orationis effectus. Nam & oratio cœlum penetrat: ſociat Deo: rapit illum: voluitque Deum quocunque vult homo.

Lectionis effectus. Lectio mentis intellectum inſtruit, à mundi illecebris reuocat, in Dei amorem inducit, impinguat demum, cum omnes in ſe habeat delicias.

Operis boni efficacia. In ſcripturis enim ſanctis inuenies prohiberi mala, præcipi bona, concedi media, ſuaderi perfecta. Opus denique bonum fortificat, conſolidat, datq; hæreditatem, ac immarceſcibilis gloriæ poſſeſſionem. Ideo orandum primo, legendum ſecundo, operandum tertio iubet Author: quia orando, cum Deo quis loquitur: legendo, illi loquitur Deus: operando, aſſequitur Deum. Quia non ſufficit loqui cum Deo, cum oras; nec vt Deus loquetur tibi, cum legis: ſed ſcripturæ diuinæ per quas, quæ ſit Dei voluntas, perſpicitur, ita in manibus, & mente iugiter voluendæ ſunt, vt Dei mandata, quæ lectione didiciſti, bonis operibus exequaris. Non enim ſufficit mandata Dei memoriæ tenere, & operibus obliuiſci: ſed vt quicquid didiceris, facias: quia non tantum auditores legis, ſed factores iuſti ſunt apud Deum; ac propterea non obdormies in mortem: quia in orationibus, lectionibus, & opere bono vigilaſti. Obdormiunt quippe in mortem, qui mortem ſibi finem præſtituunt, mediaq; ad mortem eligunt: hi verò ſunt, qui in orationibus, lectionibus, & opere bono minimè vigilant. Quare cum finis hominis poſtremus ſit duplex, alter in vitam, qui ſimpliciter eſt finis: alter verò in mortem: quia ſic homo ſibi præſtituit, mediaq; talia eligit. Inquire, confer, perſpice, elige, exequere meliora: vt beatus in gloria cum Chriſto, qui eſt omnium finis, & Sanctis, qui eſt Sanctorum gloria, perenniter conregneris in fine abſque fine. Amen.

Legis factores, non auditores tantũ iuſti ſunt apud Deum.

Finis hominis poſtremus duplex.

Finis Sententiarum paræneticarum, & Scholiorum, ſeu Commentariorum in eiſdem.

Digitized by Google

CATENA PARAPHRASTICA

SENTENTIARVM PARAENETICARVM NILI EPISCOPI, ET MARTYRIS,

Qua miro artificio ostenditur sententiam à sententia necessariò dependere.

Authore

F. PAVLO MINERVA BARENSE
Ordinis Prædicatorum, Lectore Theologo, ac Provinciali Regni Neapolitani.

NEAPOLI,

Apud Constantinum Vitalem. M. D. CIIII.

Digitized by Google

CASTENA

PARAPHERNALIA

Digitized by Google

AVTHOR CHRISTIANO LECTORI SALVTEM.

CATENAM paraphrasticam sententiarum paræneticarum Nili Episcopi, & inuicti Christi Martyris, hanc ob causam construximus, vt Author, quæ diuersa construxit, ordinauit, proposuitque, non incousultò construxisse, ordinasse, proposuisseque videretur. Quamuis enim sententia à sententia distet, paraphrasticè tamen ostendimus vnam ab altera necessariò dependere, alteram ad reliquam ordinari, vnam alteri mirè continuari. Catenam vocitari placuit, quia sicuti catena ex multis constituitur anulis, anulusq; anulo continuatur, singuliq; singulos anulos trahant, ita sententiæ omnes catenam veluti anuli, efficiunt, sententia alteri continuatur, singulasq; singulas trahere omnibus conspicuum erit. Placuit deinde vocare paraphrasticam, quia paraphrasis est quæ narrationi proportione correspondet. Est itaque paraphrastica expositio, quia est concisa, & pressior expositio: in qua intentio solum & litera, siue verba textus tantum interpretantur, exponunturque, & non amplius; non mutata sententia, nec literæ sensu. Sed cum de paraphrasi

Digitized by Google

Lib. 1. c. 23. *in de libro Apocripho digressi fuerimus, vide ibi: multa enim inuenies eò loci dilucidata. Ingenium igitur Authoris admirari ne desine, videbis illud penè diuinum laborem, verò nostrum suffer, si inordinatum, inconcinnumq; perspexeris: nemo enim omnia potest. Iuxta paruulas nostræ Mineruæ vires ad perfectiorem formulam qua potuimus, cuncta redigere sumus conati. Tandem hac sententiarum continuatione gaudere te oportebit omnino ob fructus animæ nõ modicos. Nam si in medendis morbis solent medici celebre dictum de adhibendis antidotis afferre, scilicet quod applicata iuuant, continuata sanant: non minus à nobis dicendum poterit; quòd sententiæ Nili sparsim lectæ proderunt, coniunctæ verò, & continuatæ, atque paraphrasticè expositæ, animum miseram, multis peccatorum vlceribus sauciatam, sanabunt: sunt etenim tanquàm antidota quædam contra criminum venena animarum, sunt medele spirituum malos humores expurgantes, sunt mentium malarum illuminatrices; intellectuum fœcundatrices, voluntatum nostrarum in bonum motrices, sanctorum cogitatuum inductrices, peccatorum expulsiuæ, & gratiæ diuinæ infusiuæ. Reliquum est igitur Christiane lector, vt hæc qualiacunque sint, candido acceptes animo, Deumq; pro Authore deprecetis, vt aliquando meliora tibi tradat. Vale.*

CATE-

Digitized by Google

CATENA PARAPHRASTICA SENTENTIARVM PARAENETICARVM NILI EPISCOPI, ET MARTYRIS,

AVTHORE F. PAVLO MINERVA BARENSE
Ord. Prad. Lectore Theologa, & Prouinciali Regni Neapolitani.

SENTENTIARVM paræneticarum Nili Episcopi, & inuicti Christi Martyris initium, & caput, ita se habet. Initium salutis, suiipsius accusatio est, quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio tam Fidei, quàm peccatorum fit ad salutem. Cumq; ab ore verba procedant, & sæpe temeraria: præcipit in secunda ne temere mittatur verbum, non solum in suorum accusatione peccatorum, verũ & in conuersatione; nam satius est temerè mittere lapidem, quàm verbum. Ne autem temerè mittatur verbum præcipit lege naturali, dicés: Vt facias omnibus quemadmodum tu vis omnes facere tibi: si enim temerè mittas verbum, contra aliquem vt plurimũ certè mittes: ac propterea non facies alijs quemadmodum tu vis omnes facere tibi, quia nec contra te mitti temerè verbum, desideras. Igitur contra naturæ legem facies: ac ideò eris iniustus: quia qui contra quamlibet legem facit, iniustus est. At iustitia quamuis verbo exérceri possit, & debeat, vult tamen vt magis opere exerceas, quia præponderat verbo. Verum verbo quoque exercenda est, neminem iniuria afficiendo: etiam si aliorum misereris. Nam verè pius est, qui neminem iniuria afficit: non qui multorum miseretur. Quid enim prodest te aliorum misereri, alios

Ad Romanos c. 10.

Verbum nunquam temerè est mittendũ.

Matth. c. 7 Luc. c. 6.

Iniustus qui.

Pius qui.

verò

verò iniuria afficere perfecta nanq; misericordia omnem tollit iniuriam. At qui iniuria afficitur circa multa, sed præsertim circa paupertatem, & aduersam fortunam bono sit animo, quia melius est humi cubantem viuere, & bono esse animo: quàm perturbatum in aureo lecto. Perturbatur quippe diues, seu præpotens, qui debilem, vel pauperem iniuria afficit, quamuis in aureo decumbat lecto: quia ab ipso fit motus & excitatio, deinde cùm iniustè iniuria afficiat. Perturbatur quidem si sub amicitiæ specie malum quodlibet alteri perfunderit faciendum.

Amicus bonus, & malus.

Quare iniquus amicus erit; nam dulcis ille est, qui animam pascit, & pascendo, laudat quippe Deum verbis, operibus colit, & cogitationibus honorat: nonnisi quia animam pascit, cuius finis Deus est. At cum Sacerdos præcipuè Deum verbis laudare, operibus colere, & cogitationibus honorare debeat, quia Sacerdos Domini est: subiungit, quòd verè Sacerdos ille erit, quem facit intelligentia, vita, & morum integritas: Ideo nedum alij, sed Sacerdotes præsertim ab illicitis quibuscunque abstinere debent; quia pessima res est omnibus seruire turpitudinibus: Quandoquidem malum est aliquibus inseruire, peius pluribus, pessimum omnibus. sed inseruire cuncti

Sacerdos qui.

Virtutib' incũb ndum est.

debent, præcipuè ministri Domini, virtutibus quibuscunque. Quas si verbis docent, opere easdem declarare debent: quia non est putandum, præclarum esse, habere virtutem solum: sed quemadmodum decet ea vti, id præclarum esse, putandum est. Cæterum cùm lex vitia prohibeat, virtutes verò iubeat: præcipit deinde, vt honorans legem, iuxta legem viuere debeat: quia ex rectè viuere, lex quæ virtutes iubet, honoratur: qui verò vitijs incumbunt, dehonorant legem, quia viuunt contra legem. At vitijs incumbentes, scire debent, mundum hunc pro hospitio sibi datũ, ac propterea vt hospes fugere illa debet:

Mũdus hospitũ est.

nam

Digitized by Google

nam hospes vere ille est, cui sordet mundana. Cui tamen placent mundana, non erit immunis à delicto: præsertim ab inuidia, & à maledicto. Nam ex cupiditate fit, vt secundis aliorum rebus inuideamus, & contra tales male loquamur. Sed inuidus pœnam patitur, quia seipsum inuidiat, & qui aduersus alterum loquitur, seipsum infelicius malis afficit. Quod si non inuideamus, nihilominus tamen nec adulabimus, quia cùm ciuiti fiat adulatio, illi non est adulandum, quia adulatio peccatum est: neque cum irritabimus, quia vt potens, tibi quandoq; nocebit. Verum quia adulatio, irritatioq; sæpe ex ciborum abundantia, & vini ingurgitatione prouenit, qui enim comporationibus vacant, facile adulant, patet in adulatoribus in Principum aulis versantibus, facileq; irritat, quia irritatio cum ex ira procedat, hæcq; ex sanguinis accensione circa cor, idq; ob vini repletionem magis accenditur, subintrat, quod minime vino vacandum est, sed verbo Dei. Nam quamuis vinum corpus roboret, nihilominus tamen cum non de corpore, sed de anima curam habere oporteat: ideo magnifaciendum est verbum Dei, quia hoc animam roborat, sicuti vinum corpus. Et quia potus absque cibo læpissime nocet, præcipit, vt cibis vtamur non dulcibus, sed salutaribus animæ, & corpori, non corporalibus, sed spiritualibus; secus vulgaris homo eris, vulgiq; naturā sequeris, qui cibis vtitur non salutaribus. Quod tamen malum est, sequi vulgi opinionem. Cui si tandem placere velis, similis fias vulgo: in quo nonnisi peccatorum omnium multitudo reperitur. At peccata cùm sint fugienda, ideo & vulgi opinio. Fugies autem si corpus tuum super omnia mortificaueris: præsertim sanctis laboribus. At scias tunc laboriosum esse, cùm tibi no supersit tempus: nam si tempus superat, tunc ociosus eris. Vnde non animi prudentiam, sed Christiani hominis

Inuidi pœna.

Adulatio, & irritatio fugiendæ.

Vitio non est vacandū, sed verbo Dei.

Quibus cibis vtendum.

Laboriosus qui.

Digitized by Google

minis formam tantum, & apparentiam habebis. Ideo à peccatis immunis minimè eris, & quandoq; in Dei blasphemiã incides; quia non omnia ex voto tibi succedent. Blasphemia peccatum maximum. sed peccatum est maximum, culpam transferre in Deum non culpandum: offendesque teipsum lingua, aliosque in auribus scandalizabis. Quare oportet timorem, & Dei desiderium habere, puroq; conscientiæ testimonio erga omnes vti. Existimare rursus oportet, Deum ipsum in omnibus quæ cogitas, dicis, & facis, semper præsentem esse. Si autem nec Deum culpando, nec proximum scandalizando, laudaris ab homine: fugito laudem ob vanæ gloriæ periculum, & caue vituperium: cùm malum sit vituperari. Itaque virtutem quamlibet exercendo, ne efferaris, ne quando in portu naufragium tibi accidat, sed quanto magis in lege proficis, tãto magis te à perfectione abesse intelliges; considerato; finem vnius cuiusq; rei. Laus humana fugienda. nam & hic ante initium considerandus est: sed præsertim vltimus, & postremus hominis, hoc est vltima vitæ hora, quæ diu, noctuq; respicienda est. Vt autem id tibi in bonum cedat, dum vivis in mundo: fuge malorum consortia, ex quibus mala multa euenire conspicuum est omnibus; præsertim ne conuerseris illi, quem à bonis videsculpari. Conuersando autem studemini damnum dare his, quæ seu facis, seu dicis, seu cogitas. Quod si laxatis vitæ habenis absque Dei timore, hominumq; respectu, vitam tuam ducis, sperans te diu in mundo conuersaturum ob iuuentutem, seu ob vitæ floriditatem; caue; ne lætaris floridus vitæ, quia flos quoque gramineus vitæ nostræ similis, cum attrectatur, flaccescit. sed nescis, q lætitiæ etiam succedit quandoque tristitia? Verum cùm hoc acciderit, in tristibus gratias age: fiet enim vt iugum afflictionum leuius feras. Quod si tentationum genera varia te insultant, noli timere, sis in illis fortis: quia multos

Malorum consortia euitanda.

Floridæ vitæ non fidendum.

Remedia cõtra tentationes.

tos etiam maiorum arguerunt. Sed si in tentationibus quibuscunq; videris Dei longanimitatem ad succurrendum, ne incusa illam; non enim tibi soli id euenit, sed plurib⁹, ideoq; commune est pharmacum. Si verò alios videris ab his immunes, nec Deum criminator, nec hanc vitæ inæqualitatem admirare, sed eam odio prosequere: iudicia enim Dei, abyssus multa. Quòd si in ea multa viderimus inconsona, neminem reprehendamus; sed potius attẽdamus nobisipsis, potissimum quia multa in nobis erunt, propter quæ alios taxamus. Sed oremus Deum vt omnia prosperè succedant: & vt tentationes arceat, sit precationis psalmus in ore, quia Deus nominatus, fugat Dæmones: omnium malorum causas suggerentes, impellentesq; . Oratio autem fiat cum sobrietate, scilicet, si Deo placuerit, si voluntati diuinæ acceptũ fuerit: non à Deo petamus, quæ ipsi grata non sunt, sed semper recordemur Dei: & in cœlo nostra sit cogitatio. Renunciemus perfectè mundo, & pompis eius. Cohibeamus oculos nostros, nam si non attenderis, circumuoluuntur: indeque malum proueniri necessum est, præsertim linguacitatem. Ideo dicit parcè vtere lingua, quia sæpe profert ea, quæ melius fuisset celari. Sed magis meditatione mẽtem colamus: malas nanq; cogitationes extirpat continuè frequentata. Cum autem hisce attenderis virtutibus (nam virtutes ad compescẽdam malam voluntatem prosunt) virtutes tuas celato: sed testes vitæ tuæ multos acquirere stude. Vt autem securior virtutibus incumbas, odio prosequere carnis voluptates: quia sordidam cum corpore efficiunt animam, ac propterea virtutes inficiũt. Verum, quia voluptates ex corporis luxu proueniunt, corpori solum quantum indiget, impende: non quantum cupit; si nanque quantum cupit dederis, in delicijs morietur. Quare ne eligas delicatè viuere, amorem enim

Oratio quomodo facienda.

Oculi cohibẽdi, & lingua coercenda.

Corpus refrenandũ

Digitized by Google

huius vitæ conciliat, ex quibus inimicitiam aduersus Deum oriri necesse est. Cumq; inter huius vitæ delicias, gaudium non sit postremum, præcipit auersandum in vita gaudium, quia ipsum lubricum est, & præcipitat exultantes. At quia præcipuæ deliciarum causæ sunt diuitiæ, vult, vt si illas habes, distribuas: sin verò, ne colligas. Verum oportet sanctis operibus vacare, ieiunio, orationi, & lachrymis; sunt enim armaturæ contra spiritales nequitias in cœlestibus, & contra carnis delicias, præsertim lachrymæ. Ideo quæcunque iniquè fecisti, omnia cum gemitibus recordare: oritur hinc enim cõtinua animæ compunctio. Verum quia eleemosyna est vna ex satisfactionis partibus, ieiunij scilicet, & orationis, & suprema, subiungit, vt pauperes foueas: ipsi enim iudicem nobis conciliant, sed præsertim sanctorum inopiæ subueniendo: quia per eos quoque, & multo magis, quàm per alios pauperes, tibi cum Deo continget societas. Cum autem eleemosynam dederis, ecclesiam frequenta, non secus ac cœlum; nihilq; in ipsa seu loquere, seu cogita terrenum, præsertim temporalium rerum sollicitudinem, anxietatemque. Nam necessarium existima suis rebus contẽtum esse, sed permitte Deo eius rei curam, noli tam sollicitus esse circa temporalia; sed carnem tuam bonis debilitato laboribus: penitus verò eam non domari posse existima; non enim fouenda est caro, sed abstinentia cibi, & potus edomanda, ne aduersus spiritum insurgat. Ideo vinum tanquam præcipuum carnis fomentum valde modicum bibendum est: quantum enim corroborat bibentes, tantum offendit quoad animam, & corpus; præsertim valde sumptum, iram excitat, quæ compescẽda est, ne modum excedat, quia insaniam parit, multosq; morbos. In quibus oratione prius, quàm medicis, & pharmacis vtere, commendans te sacerdotibus, vt pro

Operibus bonis incũbendũ.

Eleemosynę præstantia.

Caro edomanda.

Ira compescenda.

sanitate

Digitized by Google

ſanitate adipiſcenda (modo ſi expediens fuerit) Deum rogent. Quorum cunctos honora ob dignitatem, ſiue bonos, ſine malos: bonis verò tantum conuerſare: ſunt nanque miniſtri Dei, & templi ſancti ſui antiſtites. Quod quidem te conuenit venerari, atq; ad illud ob ſanitatem recurrere: quinimò effice teipſum domum Dei. In eccleſiam deinde frequenter venias ad referendum gratias Domino, quod ſi non ob aliud, ſolum quia à perturbationibus, fluctuationibusq; exterioribus liberare nos ſolet, venire deberes. Ibiq; conſidera, quòd quæcunque in terra ſunt, temporanea exiſtunt. Ideo ſi tibi aliquod aufertur, non te perturbet, perturbet autem ſi ſit æternum, quod tibi aufertur. Ne autem tibi auferatur, compeſce voluptates, quas quidem compeſces, ſi quando illarum affectus te inuaſerit, oppones illis metum hominum, & Dei offenſam. Rurſus compeſces, ſi ſenſus munieris, potiſſimè auditum, & oculos. Nam per illos omnia tela malitiæ ingrediuntur. Poſtremo rogandus eſt Deus, vt in his omnibus ſuam victricem manum apponat. Cumq; oraueris, vt proſit oratio, mentem ad Deum attollas; & ſi inde abſtracta deſcenderit, illum tamen iterum recollige. Quod ſi rurſus mens humana cogitationes generare non ceſſauerit, tu malas expelle: bonas verò colendo exerce. At præcipuum remedium eſt humilitas; ipſa nãq; omnes expellit. Ideo humilitate gaude, quia altitudo eius firma eſt, nec ruere poteſt. Deinde labora, corpus exerce, vt compeſcas carnis motus. Et ſi æger fueris, corpus tuum cura, vt ſanitatem adipiſcatur, non vt delicijs eneruetur: ſic enim prauas cogitationes expelles. Quamuis aliud adſit remedium, nempe prauas melioribus abigere; conſiderando ſcilicet cœleſtium bonorum decorem, ſicque nullum te capiet deſiderium terræ, nec aliud ex ea dulcium. Verum quando tibi aliqua de Deo ſubit cogitatio,

Sacerdotes honorandi.

Voluptates compeſcendæ.

Cõtra malas cogitationes remedium.

Digitized by Google

non Deum, sed teipsum considera: nihil enim tutum est, quòd modum excedit, quem seruare conuenit; sicq; cognosces prauas cogitationes esse Diaboli semen: ac ita fiet, quòd ipsæ desinent, & ipse seminator confundetur. Verùm enimuero animaduertere etiam oportet, sanctis cogitationibus modestiam in homine multum prodesse, ac propterea risus excessum fugere conuenit, quia eneruat animam: anima verò eneruata, facilè à fræno legis exuitur: sed in labores, & orationes (vt etiam dictum est) oportet animam partiri, sic enim non multos in nobis introitus inuenit Diabolus: meditariq; legem Dei, legendo, scribendo, atque dictando; nam laborem non mediocrem esse putato legis meditationē, quando mens simul, & lingua cognoscere quid volens, in libris cum labore versatur. Cùm verò ad tales labores, vel ad alios similes manum moueris, lingua psallat, & mens oret: quandoquidem exigit Deus, vt eius semper memores simus. Sicq; omne quod agis, semper oratione obsignato: id verò maximè de quo mentem vides dubitantem. At si manum tuā labores diuinos, & non terrenos, fieri volueris, charitas exigit, vt quædam ex his cum egentibus communices. Alloquere deinde Sanctos, quorum colloquio gaudendū est, cùm per eos tibi Deus manifestetur. Verè tamen sanctos ab operibus dignosces: vnaquæque enim arbor è fructu dignoscitur, sicq; ex sanctorum colloquio semper lucraberis aliquid. At non solum ex illorum colloquio, sed ex illorum contemplatione aliquid lucrari stude; obseruando ipsorum aspectū, & habitum; vtrumq; enim perutile est. Vt autem id rectè fiat, puritas in corde requiritur, & castitas in corpore. Sic enim citius lucraberis ex sanctorum colloquio, & contēplatione; sed præsertim vtraque exercenda est, quia vtraq; templum Dei te efficiunt. Itaque te templum Dei sic factum, custodi;

Risus fugiendus.

Laborib', orationibus, & studiis resistitur Diabolo.

Cum sanctis cōuersandū, & alloquendum.

vt Dei

Digitized by Google

vt Dei qui exstruxerit, & indicare volentis, & imaginem tuam, quæ est ipsius imago, puram ad regulam exigētis. Cæterum, vt id rectius fiat, fugiendæ sunt secularium conuersationes; quia mentem à Deo segregant. Quapropter nec ipsos alloquere, sed alloquentes declina. Quòd si cōtigerit te vel ab his, vel ab alijs quibuscunq; conuiciari, considera an aliquid à te factum sit conuicio dignum; si nihil à te admissum fuerit, fumum fugientem conuiciū esse existimato. Quòd si volueris, vt super iniuriantes nocumentum deuoluatur, in omnibus in quibus iniuria afficeris, ad patientiam confugito. Verum cùm à mundi huius illecebris impatientia sæpissime oriatur, quæ cum ex diuitijs, vel ex gloria, vel ex mundana potentia nasci manifestum sit, si consideraueris illorum labilitatē, effugies certè illecebras, fietq; & tribulationes patienter tolerabis. Quæ quidem tolerandæ sunt, quandoquidem inter ipsas, virtutes quemadmodum inter spinas rosæ nascuntur, & germinant. Quę quidem virtutes super omnia magnifaciendæ sunt, quia nihil cum virtute dignitatem conferendam esse existimato. Nam virtus Dei imago est, ideoq; quemadmodum ipse, immutabilis est. Qui autem virtutibus caret, flendus est. Ideo lugendus est peccator, quia sine virtutibus, etiam si sit fœlix; gladius enim iustitiæ ipsi imminet. Tu verò virtutibus incumbe, vitia fuge, quæ vtique fugies, si matrem illorum vitaueris, quæ est ignauia: nam bona, quæ iam tenes, deprædatur, quæ verò nondum possides, non sinit acquirere. Quòd si quis vitia sequitur, & iniqua agens, nullo tamen pudore afficitur; tanquam desperatus de salute reputandus est, quia vulnus magis exasperat, & error ipsius ad desperationem tēdit. Si verò dum virtutibus, & sanctis laboribus vacas, tristitia aggrediatur cor tuum, optimum remedium est; vt quotiescunq; tristaris, reputa quanta bona fidelibus præpa-

Seculariū conuersationes fugiendæ.

Impatientia à quibus oritur.

Virtus imago Dei.

Cōtra tristitiam remedium.

Digitized by Google

præparata sint;& fructus spiritus facilè tibi aderit. Deinde humilitatem amplecti oportet, nam humilitate omnes laquei, mundi, carnis,& Diaboli effugiuntur. Nihilominus tamen decet fidelem humiliter se gerere erga omnes: coram enim quibusdam tantum humiliari, fictam quādam humilitatem arguit. Ideo cunctos amabis, nam ob humilitatē amatur homo, non ob superbiam: & illius amori nihil præferas, præter quam ea, propter quæ charitas Deum non rectè intuetur. Quare nemini contra legem Dei adhærendum est, neque auxiliandum, quia indignum facit Deum, qui ipsi præfert alium. Neq; malis, (inquam) patrocinandum est, ipsos enim ad mala prouocas: tu verò contaminaris peccati communione. sed peccantem admoneto, errantem verò ne accusa: alterū enim conuiciatoris est proprium, alterum verò castigantis. At verba eorum incompacta nec audias, nec loquaris, sed semper audire,& loqui stude; quę sancta sunt: ad bonum enim zelum animam extimulant. Itaq; fiet, vt vnusquisque à via sua mala conuertatur ad Deum, fietq; vt domus eorum sicuti fuit Demonis, ita euadat templum Dei. At quando domi nostræ ecclesiam habemus, mentem quisque suam attentè habeat: quinimo ipsam templum Dei efficiamus, ac propterea peragere etiam debemus in ipsa ecclesiæ sacrificia. Si verò in ecclesia adsis, vbi omnes confluunt, si peragitur congregatio, & tu adesto, noli abire: si verò non peragitur, tu psallens Apostolicum Euangelium, abito. Quare vel in ecclesia si existas, vel non, nihilominus tamen virtutis gloriam Sanctorum semper aspicito: Nam ipsorū gloria immortalis est etiam post obitum. Inter autem virtutes, maximam eorum cernes simplicitatem, qua Deo seruierunt: videbisq; quàm longe à malitia fuerint: Nec immeritò, cùm malitia Dæmonum sit fulgurans contra nos gladius.

Malis minimè patrocinādū

Malitia gladius Dæmonis.

Igitur

Digitized by Google

Igitur si hoc quoque tu cogitaueris, malitiam maximè oderis. Malitiosos verò euita, & corrige. Cùm autem admones, non in duritia admone, sed misce compassionis verba: nam aures emolliētur, cor verò illuminabitur; efficiesq; vt malitiam relinquant, sequantur verò simplicitatem. Simplices igitur alloquere, simplices (inquam) qui sunt sicuti columbę. Cùm verò inter sanctos, qui sunt simplices, loqueris, quæ spiritus sunt, loquere: si verò talibus non loquaris, de ijs ne loquaris quicquam. Semper tamen vrge bonas actiones, ne quādo relictis illis, semiperfectus abeas. Sic curre, vt assequaris scopum, hoc est indesinenter: oportet enim iuxta virtutem viuere, donec vitæ stadium exuperemus. Quare non oportet, vt in studio mandatorum Dei sis negligens; talibus enim labor inanis laborem super laborem agerit. Verum in obseruantia mandatorum Dei, si tribulationes times, præpara animam tuam ad tentationem: patientia enim antequam necesse est, exercenda est, vt ipsius armaturam paratam inueniās etiam in necessitate. Quod si cogitationes insurgunt, improbis resiste cogitationibus, & respōde ipsis quæ in lege dicuntur. Quod si oculi tentent, diligentia subinde multa oculos à vita hac abstrahe, fumus enim pernicioſus ex ipsa veniens turbidam reddit animam. Hisce igitur remedijs tentationes vinces. Quòd si consuetudine aliqua detentus fueris, ne cęptum bonum prosequi possis, paulatim eam rescindes, & sine vllo negocio ab anima spinam eradicabis. His sic difficilibus, Deum purum existentem (in primis) purè quoque dilige: & præ eo in omnibus, omnia secnndo loco habenda existimato. Sacrificium secundo assiduitatis, assiduam scilicet orationem, assiduè ipsi offeras; sic enim Dei templū efficieris. Verum quia multa tibi succrescent in mente, maiores, & probos accerse consultores, negligentes autem, & prauè viuentes.

Cū simplicibus conuersandū, & loquendum.

Negligentia tollenda.

Oculi custodiendi.

Deus in primis diligendus.

viuentes euita: malis enim gaudentes, bona simul odisse & consulere eadem non possunt. Deinde ab omni corruptione, & peccato abstine, & mysticæ Cœnæ Domini omni die particeps fias, vt Christi corpus nostrum fieri incipiat. Cùm verò in spirituali profectu necesse sit, vt vir sanctus sicut aurum in fornace proberur, sit tibi consilium, vt in omnibus, quando à Deo corriperis, ne murmura: castigat enim vt pater, ideoq; vt benefactor dignus est, vt gratiarum actione celebretur. Et si ignominia affectus fueris, noli tristari, sed gaude: si enim iniustè, merces tua copiosa erit in cœlo: si verò iustè, & si resipueris, iam liberatus es à flagello. Sed quid tam tristitia, quàm lætæ huius vitæ vmbræ, & rotæ comparato: nam quemadmodum vmbra, non manent; & vt rota, vertuntur: habet igitur finem. Conare tamen semper proficere in Deo, modicum enim modico addens, breui colliges virtutum diuitias ab omnibus expetitas. Si verò interrogatus mundi controuersias, confusionesq; acciderit, quòd ab aliquo offenderis, tu è contra neminem vnquam conuicijs afficies: secus enim non effugies supplicij molestiam, quia tales Deus semper exasperauit. Nec maledictis contribulem hominem incessas, si vis è domo tua omne flagellum expellere: Nam qui creauit eum Altissimus, meritò ad iram prouocatur. Quòd si neminem conuicijs petas, nec maledictis incessas, res tamen suas curiosè inquiris, omni peccato eris inferior: cùm multa in te sint, de quibus alium suspectum habes, ac propterea superbis. Cùm autem curiositas sit species superbiæ, fugito illam ò homo, etiam si diues sis, ne forte Deum aduersum te habeas. Sed dilige humilitatem, etiam si magnus sis, vt exalteris ob illam in die Iudicij. Quare vt reprehensionem non incurras, in omni vita tua cauillis ne petas hominem; sed humilia te sub manu omnipotentis Dei, quia Deus superbis resistit;

In tentationibus non murmurandum.

Nullus conuicijs, & maledictis afficiendus est.

Curiositas species superbiæ.

Humilitas amplectenda.

Digitized by Google

reſiſtit, præſertim cum exiſtis in eccleſia, ne eleueris: coram Rege enim ſtantes, neque rident, neque ſuperbiunt. Igitur diligenter habe, atque cura vitam tuam, nec temere contra legem facito: ne contra legem faciens, perniciem incurras. Sed ſis memor horum præceptorum cum omni ſtudio: vt te clarum in vita reddant. Clarus autem eris, ſi puram æmulaueris vitam, ac propterea liberã habebis poteſtatem increpandi peccantes. Increpando autem, abige primo à te contumaciam: deinde ne increpa quemquam temere, ne vt arrogantia inflatus, condemneris. Quod ſi non increpaueris, videriſq; hominem varijs fortunæ inſidijs agitari, ne rideas: non enim in alterius infortunio ridere conuenit, ſed condoleri. Ita quoq; fiet, quòd in tui infortunio non ridebunt: ſecus à quibus non volueris, rideberis. Obſerua igitur abhominationes iſtas, fugiendo: vt coronam tibi gloriæ concilient. Sis obſeruans horum præceptorum, vt te clarum efficiant hominibus, & Deo acceptum. Sic enim gaudiò afficitur Deus: & huiuſmodi operibus colitur Deus. Ideo proficere oportet in bonis operibus ſemper: præſertim quia vitæ fuga, via eſt ad virtutes, bonaq; & compendiaria. At ſic faciendo, incorruptibilium deſiderio flagrare incipies, ſed ſic flagrantem, pro nihilo ducere oportet corruptioni obnoxia: & deſiderare vitam, quæ verè vita eſt: Ideoq; expecta ſemper mortẽ humanam: & odio proſequere vitam præſentem; vides enim quòd rota indeſinenter voluatur; ac propterea non appetenda ſunt bona, quorum vſus præterit; & & poſſeſſio perit. Si autem videris in bonis quoſdam augeri, nonnullos verò minui, ſic fœliciter agentes ride, in fœlicibus condole: alterum enim fœlicitatis merces eſt, nempe riſus: alterum verò philoſophiæ eſt documentum, ſcilicet miſeratio. Si verò & tu in miſerorum, & tribulatorum hominum ordine exiſtis, patientiã habe:

Nullus irridendus.

In bonis operibus proficiendum.

Patientia neceſſaria

Digitized by Google

illamq; exerce, quemadmodum ipsam cognouisti exercitatam sanctis martyribus: quandoquidem conscientiæ testimonio etiam nos examinabimur. Sed nonne omnibus rebus præferenda est anima? vtique; sic enim virtutis cursus sine defatigatione perficietur. Cætera verò sunt corruptioni obnoxia, anima autem est immortalis: ergo incorruptibilia corruptibilibus præferre decet. Igitur præpara te fortiter contra aduersa omnia, & lucraberis inde plurima. Sed inter tribulationes ne petas a Deo dulcia, sed sola tibi salutaria: illa enim rogatus non donat, quòd si ea acceperis: nocumentum tibi afferunt. si vero pau-
Paupertas non asperenda. pertate premeris, ne accuses illam: constantem enim legis athletam efficit. Quod si diuitijs affluas, ne lætaris ipsis: curæ enim quæ ipsis impenduntur, à Deo separant vt plurimum, & præter hominum expectationem. oportet igitur & nociua respuere, & salutaria amplecti: & vt bonus Christi miles in sua militia militare, laborare, atque fortiter pugnare. Nam finis prope est, ac propterea ignauiæ deditus parabit se ad supplicium. non enim longe abest messis; à spinis itaque peccatorum agrum animæ liberemus: non pungamus illam, cessemus à peccatis. An putas, quod si à nemine hominum videaris, quòd à desuper inspectore non videris? Nihil certe latet iudicem, frustra ergo peccare conamur, vt
Angeli sũt nobiscũ, ideo reuerendi. lateamus iudicem. Sed & nobiscum sunt quoque Angeli Dei attente cõsiderantes, quomodo in medio prauæ nationis conuersemur: illosq; fore nobis testes de cunctis vel bene, vel male actis teneto. Quapropter reuerere Angelos primò magis quàm homines, cum multi nobis adsint: & ab omni turpi actione recedant; meditare secundo iudicis sententiam, abigens à te si quid tibi adhæret adulterinum mundanæ versutiæ: Euitansq; segnitie, & otium, quæ damnum esse animæ existimato; semperq;
Segnities; & otiũ vitanda.

aliquid

Digitized by Google

aliquid peragere ſtudeto: quorum rationem poſſimus reddere. Nonne vides vitæ huius inconſtantiam? Illam quæſo ſemper conſidera, et nihil quod in ea vſu venerit: animum tuum diuerſe trahere poterit. Nec lęta vitæ huius fluxa te oblectent, quoniam hami ſunt: animam vt piſces irretientes. Quare has arce tentationes, tentatū verò præſta fortitudinem: nec vnquam pauperem deſpicias lachrymantē, ne contra deſpiciatur orationis tuæ lachryma. ſed attende ſapientiæ, & ſcientiæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu: ſciens Philoſophiam hominibus rem eſſe eximiam, ſed quæ eſt vnigenita, ſola ſoli vult coire poſſeſſori: Quia virtus, Dei indumentum eſt, hanc & tu cōtexe, & ornaberis ſtola Dei naturam humanam induentis. Hæc igitur conſidera, quæ æternitatem redolent: non quæ temporis fluxibilitatem. Fuge igitur quæcumque in terra furto auferri poſſunt: acquire cæleſtia, quæ in prædantium digitos non perueninnt. fuge viuere delicate, quia ad opera rapit, ex quibus poſt ſobrietatem gemitus oriuntur. Abominare cogitationes carnales quia corpus corrumpunt, & animam polluunt. Vaca Sanctis laboribus, quia ſi terrena bona laboribus parātur, cuius igitur gratia cæleſtia propter laborem declinamus? Verum ſi vis contra laborem ſtudere, remediū optimum eſt: vt cogites laborē temporaneum eſſe, mercedem verò æternam. Qui verò ad voluptates obſcænas colliqueſcunt, cogitent illi voluptatis breuitatem, & pœnæ magnitudinem. Sed id quoque ſuppetit, quòd ſi vita eſt ſordida, proculdubio beſtialis eſt anima. Ideo debent lugere rationem homines à ſeipſis pœnis affecti. Cum autem homo ad virtutes ſit natus, virtutibus incumbere debet, cogitans omnia corruptioni obnoxia, ſolam verò virtutem incorruptibilem exiſtere: ac propterea negligenda ſunt alia omnia, quæ beſtialem efficiunt

Virtus Dei indumentum.

Contra laborem remedium.

Virtutibꝰ incumbēdum.

Digitized by Google

ciunt hominem. Ea verò peragere debes, quæ te cœleſtem habere originem oſtendere poſſunt. Ideo operam da virtuti, ipſa enim per Philoſophiam nouum Adamũ te conſtituet. Quod ſi vni incumbas virtuti, incumbe cęteris, Si namque ventri imperas, impera quoque linguæ ſilentio: ne tum ſeruus exiſtas ventris, tum etiam liber ſis ſtolide. Id autem facilius aſſequeris, ſi recte Deum dilexeris: diliges autem, ſi ſuper ipſos domeſticos non collocaueris; ne forte iuxta ipſius vocẽ ipſo indignus cũ non vis, innenaris. Verum quia Deum diligentes, odio à mundo habentur, ideoq; multa iniuſte pati neceſſe eſt: præcipit author, vt fortiter perferas afflictiones, quia ſunt coronæ eorum, qui in eis certamen ſuſtinent, Sciaſq; rem eſſe beatam malis affici, inferre verò miſerimum. Qui enim patitur, Chriſti hæres eſt: faciens vero Diaboli cohæres eſſe creditur. Sed vt melius ſecuriuſq; diligas Deum, atque fortius afflictiones ſufferas: carnem ieiunio edomare oportet, eleuat enim mentem ad ſuperna, contemnereque facit aduerſitates omnes, Ideo bonus ieiunij eſt panis: quandoquidem à voluptatis pane immunis exiſtit. ſed cum ieiunium abſque oratione ſit ſiccum ſacrificium, & Deus pingui delectetur: ſubiungit vt ieiunij comes ſit oratio, dicens. Sancta eſt orationis ara, quia pertrahit ad nos Sancte Sanctũ Sanctorum. ſic certe optimum erit ſacrificium, & Deo magis acceptum: quia ſociatum quoq; iuſtitia. Iuſtum enim eſt, vt iuſto Deo melius offeratur. Pingue ſacrificium nobilius eſt ſicco, ideo iuſtitiam Deo facit, offerens ieiunium cum oratione, quia propter Deum ieiunandum eſt, & orandum: ideo ſine iuſtitia omne opus immundum fore, inquit Author, quia iuſtitia non eſt virtutis parergon, ſed illi intrinſeca. Sed pinguius erit ſacrificium, ſi pauperibus auxiliatus fueris. Verum ſi illis

De⁹ ſuper omnia diligendus.

Afflictiones perferendæ,

Ieiuniũ cũ oꝛone ſociandum.

Eleemoſina ſacrificium pinguiſſimũ.

ſemina-

Digitized by Google

seminaueris, quæ tua sunt serito: aliena namque zizaniis amariora sunt. Sed si fueris erga pauperes misericors: esto etiam & iustus: aliter cœcus eris colens agrum, qué contemplari non potest. sed cuncta recte perficies, si me moraueris finem tuum. Quarè expecta semper mortẽ, nec metue illã, quia vtrumq; verũ Philosophiæ signum est. Interea tamen virtutem colito, sed non vt decipias, sed vt iuues videntes. Quinimo non colere solum virtutem conuenit, sed loqui honesta decet, etiam te non honesta facientem: vt incipias te pudere verborum, quibus opera turpia significantur. Nam si cœlum vbi summa puritas, & nulla macula cernitur; desideras: nihil tibi in terra erit negotij; illa namque non sinet te ad cœlum euolare. Erit tamen aliquid negotij, si artibus diteſcere quæris; hac quique excusatione, vt pauperum sis subleuator: quod plane indignũ est viro Christiano, quia de iuste partis iubet Deus misereri iustũ. Pura igitur debet esse eleemosyna, quæ tanto magis à te facienda est cum liberalitate: quanto scis futuram retributionem maximam. Si namque poculum frigidæ aquæ iustificat misericordem, quanta putas retributio expectat distribuentem omnia pauperibus? Verum vt munda sit eleemosyna, coniunge compassionem cũ castitate: quia hæc cum illa est virtutum mater; ergo non licet Christo militare sine hac, vel illa. Itaque ne negligas compassionem, ipsa enim bonum Dominum è cœlo nobis detraxit. Nec contemnas castitatem: quia illius organũ propter nos incarnatum Christum exhibuit, sicut igitur nobis compassus est Christus, quamnis inimici eius essemus, ita & compati debemus inimicis nostris. Amorem ergo tuum, atque charitatem ne dum super amicos expendere debes, sed super hostem. Ideo te dicere minime conuenit, vlciscar hostem: quia iustum iudicem in

Honeste loquendũ.

Eleemosyna debet esse pura.

Matt. c. 10 Marc. c. 9.

Cõpassio, & castitas amplectẽdæ.

cœlo

Digitized by Google

cœlo habemus; qui & retribuet vnicuiq; ſecundum opera ſua. Tu autem ama Deum, dilige proximum, qui erit etiam inimicus tuus: contẽne terrena omnia ſiue delitias, ſiue diuitias, ſiue gloriam, quia Chriſtiano non licet delicate viuere, nec diteſcere, nec gloriæ cupidus eſſe. Ratio eſt, quia cum hæc ſint vitæ corruptiones, & nos ſumus incorruptibiles, quomodo corruptionẽ quærimus? ſinamus terrena, queramus cœleſtia: reſpiciamus finem, qui morte initium ſumit. Dum verò aliquis moritur, aliquis verò egeſtate affligitur. Propter illum ne lugeas, quia communis eſt via: & beatus eſt qui præceſſit; nec alterum deplorabis, quia talis ob paupertatẽ coronabitur. ſed luge peccantem: quia iſte plectetur in inferno. Quas ob res cum haſce in mundo videris confuſiones, quæ tamen in oculis Dei ſunt ordines: noli triſtari, ſed ride rotam vitæ abſque ordine rotatam: & caue foueam, in quam deuoluit dormientes in ipſa vita, quia non dormientibus, ſed vigilantibus præmium pollicetur. Ideo attende orationi, loquere Deo multa, & hominibus pauca: legis tamen meditatione vtraq; rectè diſpones. Orationem verò comitare lachrymis, nam bonum balneum eſt animæ orationis lachryma. verum cum oratione memor ſis, cuius gratia lachrymas fuderis? num ob temporalia, vel ob cæleſtia? nũ quia potentia cares? Ideoq; huius vitæ Principes beatos eſſe dices? & quidẽ beati minime dicendi ſunt, potentes enim cum ſint: potentes quoque præerunt; vnde & iudicem auſteriorẽ habebunt: quia quantum in delitijs fuerunt, tantum dabunt eis de tormentis. Quapropter oportet laborare Adami filios, quia & parẽs noſter in paradiſo poſitus fuit, vt operaretur: ita & nos filios laborare neceſſum eſt, quia ſic laborantes in lege, retributionem lucrabimur. Cumq; in labore multæ occurrãt aſſili-

Terrena omnia ſpernẽda.

Oratio lachrymis comitãda.

Apocalyp. c. 18. Geneſ. c. 2

Digitized by Google

afflictiones, noli admirari si affligeris: quia necesse est Euæ filios ob peccata affligi. At patienter sufferre oportet, quando enim patienter afflictionem sustinebimus, in benedictionem vertetur maledictio. laborando autem cum multæ intercedant actiones, vt scias quæ bonæ, & quæ malæ sint: vtere conscientia in illis. Est namque conscientia tamquam lucerna quædam, ostendens, quæ in vita sunt bonæ actiones, & quæ malæ. Sicque nosipsos iudicabimus, & iudex Deus placabitur: quia vt bonus gaudet peccatorem conspicatus onus suus discutientem. Quare si quid sordidum à nobis commissum fuerit, pœnitentia id lauemus, quia debemus puram nostram imaginem, vt regulam imitari, ne animæ vlcera videantur. Quandoquidem priusquàm cernantur, ea curare operepretium est: vt ijs pharmacis pœnam lucrari possimus. Sed quo id facilius fiat, a mundi negotijs explicari nos oportet. Nã quemadmodũ vincti difficulter incedunt: sic cursum virtutis parum haud absoluunt, vitæ negotijs dediti, atq; impliciti. Ita quidem fiet, vt peccatorũ vulnera curari possint. Verum oportet quoq; peccatum odisse: sic enim ipsius laqueũ, etiam si quis eo irretitus fuerit: effugiet. Qui vero peccatum non odit inter peccatores, etiam si peccatum nõ fecerit, tamen iudicatur, quia amat peccatum odiendum, affectuq; in eo versatur. Ac proptetea si videris fratrem tuum peccantem, dolere te oportet, quia super proximo peccante suspirare debemus: vt & te ipsum accuses; omnesq; namque vitijs sumus obnoxij. Deinde commonefacies iudicis amicum qui peccauit, hoc enim pacto tuum quoque vulnus curabis, nam cum consiliũ proximo dederis, tibi quoque dabis: sicq; cõmune erit consilij pharmacum. Remedium tamen opportunum erit circa peccatorum euitationem, vt dicere quid volens,

Patientiæ præmium.

Conscientia quid sit.

Pœnitẽtiæ necessaria.

Peccatum odiẽdum.

Peccator dolendus.

Remediũ vt peccata vitẽtur.

Digitized by Google

lens, aut facere, de apologia eius cogitare debes paulo post adhibenda. Sicque cautius ages, metu correctus. Time igitur apologiam, metue peccati pœnam, neglige turpitudinem eius: sed aduerte quod in duobus vltimis excessus periculosus est. Nam in metus excessu de sperationis periculum adesse potest: in turpitudinis neglectu contemptus, & securitas. sed in omnibus erige mentis aciem in Deum, in illo spera: qui & peccata tua delere potest, & animam tuam felicitari, beareque. Ac propterea considera cœlestium rerum magnitudinem, scias quòd futurorum bonorum & pulchritudo, & multitudo infinita est quæ Deus preparauit diligentibus se. Ideoq; sperne mundana omnia: nihil enim aliud sunt: nisi vmbra, fumus, & bullæ. Noli amplius mala seminare, quia messis prope est: & ignis spinarum agricolam excipiet. fuge hypocrisim, auaritiam, & voluptates omnium ferè malorum causas, si namq; parum sustinebis: videbis gramen conculcatum. Sunt enim opera mala, & omne opus malum armat Diabolus: armatus verò ille grauiter armatos accipit. Quare si vis tunc inimicum imbecillum reddere, peccatum rescinde: nudatus enim alis, vt passereculus illudetur. Quod si peccatum non rescindatur, væ erit impio: quia cum omnes illuminantur, ipse solus manet in tenebris, despiciens lucem, qua certè illuminari posset. Sed cùm ex impietate aduersus Deum procedat blasphemia, væ erit blasphemo: quia cùm Deum laudare debeat, os suum ponit in cœlum; ac propterea lingua ligabitur, & quo pacto iudici respondere poterit? Verùm cùm blasphemia omnem iniquitatem dicat, & superet, ve erit iniquo: quia cum sit ob bonitatem creatus, nihilominus tamen ad malitiam versus: non est iniquitas, quam non committeret: ideo ad iudicem austerum, & iustum, & legislatorem proficiscetur.

Cælestium bonorum pulchritudo, & multitudo.

Impiorum maledictiones.

Blasphemia.

Digitized by Google

eiscetur. At auaritia cùm sit iniquitas maxima (est enim idolorum seruitus) væ erit auaro: quia cum terrena omnia cœlestibus postponi debeant, aurum facit suũ Deum: & tamen diuitiæ fugiunt; ideoq; eum ignis excipiet. Sed quis nescit ex auaritia, & ex diuitijs nasci tepiditatem, & soccordiam? Ideo væ erit soccordi, quia cùm ei datum sit tẽpus vt bene operaretur; illud tamen malè insumpsit: ac propterea quæret illud, & non inueniet. Cumque ex soccordia, & tepiditate plerumq; nascatur superbia (non est superbus ille, cœlum conscendere præsumens absque operatione, & labore?) propterea væ erit superbo: quia cœlum non ingredietur, sed quis sit, cum corpus sepulchrum ingressus fuerit, animæ verò infernum, quis sit (inquam) edocetur. Verum cùm in mortuo corpore ob superbiam corruptio accidat, & à vermibus corrosio, ex his autem nascatur fœtor nonnisi ob luxuriam, quia ob castitatem odor emanat, vt patet in multis Sanctorũ corporibus; væ erit scortatori, quia cùm ad sanctimoniam natus, stolidam habet stolam; ideo è nuptijs regni cœlorum eijcietur. Cæterum cùm ex luxuria oriantur contentiones, iurgia, conuicia, homicidia, & similia fere innumera: hæcq; sæpissimè ex ebrietate, væ conuiciatori, & vnà cum ipso ebrio: quia cùm proximũ diligere debeat, iniurijs eum afficit. Cumq; ad viuendum, non autem ad crapulandum sit creatus homo, vterque cùm homicidis constituetur, & cum mœchis punietur, quia animã suam similibus interfecit peccatis. Quarum omnium cum deliciæ sint causæ, & origines (vt plurimum enim conuicia, ebrietates, homicidia, mœchationes, & similia ex delicijs proueniri, manifestum est omnibus) Ideo væ delicias sectanti, cum enim suo non conformetur capiti, tanquàm vitulus ad mactationẽ parabitur tempore exiguo. Quod si exterius simulauerit se delicias odisse, interius verò,

Auaritia iniquitas maxima.

Soccordia.

Superbia

Scortator.

Cõuiciator, & ebrius.

Delicię malæ.

Digitized by Google

hypocrita. seu in occulto amplexus illas fuerit: tanquam hypocritæ væ illi erit. Nam pastor ipsum negabit, ipseq; aries lupus esse demonstrabitur. Oportet igitur simpliciter incedere, delicias calcare, conuicia, ebrietates, homicidia, mœchationes, & similia fugere, luxuriam abhominari, superbiam detestari, soccordiam euitare, auaritiam resecare, iniquitates abhorrere, blasphemia timere, impietatem quamlibet fugare. Quia beatus ille est, qui angustam, non qui latam ambulat semitam: coronatus enim, in cœlum ingreditur. Beatus ille, qui voluptates calcat, non qui sequitur: metuunt enim Dæmones cum eo certamen suscipere. Beatus quidem virtute purus, & anima simplex existens: mundum enim ille iudicare, nec verò cum mundo iudicari, futurus est. Beatus tandem qui vigilat in orationibus, & lectionibus, & opere bono: illuminabitur enim huiusmodi ne obdormiat in mortem. Ambula igitur & tu angustam viam, vt coroneris in cœlo. Calca voluptates, vt fugare Dæmones possis. Esto purus, & simplex, vt mundum iudicare valeas, non autem cum mundo iudicari. Ora demum, lege, & vaca bono operi: quia illuminabit te Christus, cum quo non obdormies in morte peccati, sed conregnabis cum ipso in gloria, in perpetuas æternitates. Amen.

Beati qui ernnt.

Finis Catenæ sententiarum paræneticarum.

Imprimatur. Alexander Gratianus Vic. Gen. Neap.

Don Gabriel Lottherius Dep. vidit.

M. Cherub. Veron. Aug. Theol. Curiæ Archiep. Neap. vidit.

regist. f. 25.

Digitized by Google

AVTHOR LECTORI CANDIDO SALVTEM.

ERrores, qui ex Typographia emerserunt in Græcis sententijs, ita corrigi debent, vt numerus in capite positus, folium indicet; numeri verò dextrorsum, sententias demonstrent. Prima series dictionum, nominum, & orationum si quæ sunt, mendis scatet, secunda correctionem habet. Sententiæ Græcæ simul positæ castigatiores sunt eisdem ante Commentarios annotatis, nihilominus tamen in vtraque erroribus castigationem habes. Plerosque etiam reliquimus, cùm ob Græcorum characterum penuriam in Neapolitana Typographia, tum quoque quia studiosus Lector ex se delere, expungere, & corrigere poterit. Vale.

Digitized by Google

Errores	correctio.	Errores	correctio.
fol.41.			
2 ἐμβάλλειν λίθον	ἐμβάλλειν λίθον	fol.44.	
6 ἐπῖ	ἐπὶ	60 οἶμον	οἶνον
7 διαζίφων	διαζώσων	63 τιμᾷ	τίμα
8 ὕμνει	ὕμνει	66 ὅσα ἐν τῇ γῇ πρόσκαιρα	ὅσα ἐν τῇ γῇ, πρόσκαιρα
10 αἰχροῖς	αἰχροῖς	67 μαίχνιον	αἰχνίον
11 τιὴρυπῆε	κήρυπῆε	fol. 45.	
14 οὐ ξένα	οὐ ξένα	69 τὸν λυγισμὸν	τὸν λογισμὸν
17 ἐ ῥωνιυσε	dele ἐ	71 πεύειν	πᾶσιν
fol. 42.		72 θερτφπευσον	βερέπευσον
19 ἔσε	ἔσῃ	74 τῶν οὐρανῶν	τῶν οὐρανίων
21 περια στίνει	περιστένει	τερπηῶν	τερπνῶν
22 ἀποδέχον	ἀποδέχου	75 ὅπαρ χωρεῦρθι	ὅπερ χωροῦρθι
23 ψέτειν	ψίγειν	76 τὰς φαύλους	τὰς φαύλας
25 καιαρὸν	καθαρὸν	πάνονται	παύονται
26 ἐκάσοτε	ἑκάστοτε	αἰχύνται	αἰχύνεται
28 ἤνικα	ἡνίκα	78 εὑρίσκου	εὑρίσκει
29 γινόσκε	γίνωσκε	82 γίνεσαι	γίνεσθαι
31 μεθημεραὴν	μεθημέραν	fol.46.	
fol.43.		83 ἐμφανίζεται	ἐμφανίζεται
38 μισεῖ	μίσει	86 ἀπεργάζεται	ἀπεργάζεται
39 προσεύχομθ	πρόχωμθ, vel προσέχωμθ	87 αὐτος οὖν κτήσαντος	αὐτως οὖν κτίσαντος
41 φυγαδύει	φυγαδένει	91 δυνασῖαν	δυνασείαν
τοῦ δαίμονας	τοὺς δαίμονας	91 διὰ φεύγεις	διαφεύγεις
42 αὐτοῦμθ	αὐτῶμθ	92 καδάπερ	καθάπερ
οἷς αὐτὸς	οἷς αὐτὸς	93 μηδὲ εἶναι	μηδὲν εἶναι
44 οἶδας	εἶδας	95 οὐκτεῖ	οὐκ ἐᾷ
45 προφέρη	προφέρει	96 βαρεῖται	βαρύνεται
ἅπαν ἄμοινον	ὅπερ ἄμεινον	fol. 47.	
46 ἐκτείλει	ἐκτίλλει	97 παρεσυεύαδς	παρεσκεύασται
47 κέκτησαι	κέκτησο	100 μηδέις	μηδενὶ
48 σώματως	σώματος	τὸ νόμον	τὸν νόμον
49 οὐχ ἴσα	οὐχ ὅσα	103 ἀκοίεις	ἀκούειν
50 ἑκατέρου	ἑκατέρῳ	105 ἀπέλθε	ἄπελθε
51 αὖτο	αὖτη	106 αἰτῶν	αὐτῶν
σκέλιζει	σκελίζει	108 νουθετῆς	νουθετεῖς
τοῦ πέχοντας	τοὺς πέχοντας		

Digitized by Google

Errores	correctio.	Errores	correctio.
109 οὐ ταῦτα	μὴ ταῦτα	159 ἐξαίρετον	ἐξαίρετον
fol. 48.		συνῆναι	συνεῖναι
110 καταλὶπ	καταλιπὼν	160 καὶ γίνῃ	καὶ γίνεσθαι
111 ἀπαίσεσ	ἀπαύστως	fol. 52.	
113 εὕρεις	εὕρης	167 ζημιωθέντες	ζημιωθέντες
116 χορὶς	χωρὶς	174 παχων	πάχων
ἄκανθον	ἄκανθαν	fol. 53.	
118 ἐνδιελεχησμοῦ	ἐνδιελεγχεσμοῦ	178 τὰ γαρ ἀλλότρι	τὰ γὰρ ἀλλότρια
119 προσλάμβανε	προσλάμβανε	180 ἀληθεῖ	ἀληθὴς
120 δείμου	δείπνου	ἑκατέρου	ἑκάτερον
122 ἀτιμάδης	ἀτιμαδῆς	182 καὶ τὰ	καὶ τὸν
μισὸς	μισθὸς	185 ἀμβὴ	ἀμοιβὴ
fol. 49.		189 κεκτήμεθα	κεκτήμεθα
126 μάστιγα	μάστιγα	190 οἱ φθειρόμον	οἱ φθειρόμενοι
130 μῶνον	μῶμον	fol. 54.	
πάσει	πάσῃ	193 φιλάπου	φυλάπου
132 ἕξεις	ἕξῃς	195 ψυχὴ	ψυχῆς
133 μεταπάσεις	μετὰ πάσης	201 μεθ δδεδς	μεθοδεύεις
134 βίων	βίον	fol. 55.	
135 ἐπὶ πληξεις	ἐπιπλήξεις	206 εὐμὶ	ἐσμὲν
fol. 50.		208 φόφῳ	φόβῳ
140 ὠγεῖδς	ἠγεῖδς	209 τιμαρίαν	τιμωρίαν
141 πόθεις	ποθεῖς	ἑκατέρθεν	ἑκατέρωθεν
142 κτίσις	κτῆσις	212 τῶν αγαθῶν	τῶν ἀπανθῶν
143 δ'παγείτας	διπραγοῦντας	217 δυμείται	δεισμεῖται
τοὺς μὴ	τὸ μὴ	ἀπολογίσαδς	ἀπολογησαδς
πρόξενον	πρέξενον	fol. 56.	
144 γυμναδεῖσαι	γυμναδεῖσαν	219 τὸν πῦρ	τὸ πῦρ
τὸ	τοῦ	220 ὃν	ὃν
146 ἄθάνατος	ἀθάνατος	221 ἀλάζονι	ἀλαζόνι
147 καὶ χερταίνεις	καὶ χερδαίνεις	τὰ φεντὶς	τάφον τὶς
149 τὸ ἀθλητὴν	τὸν ἀθλητὴν	ὑπάρχει	ὑπάρχει
150 χορίζουσι	χαρίζουσι	223 κολάζονται	κολάζεται
τῶν ἀνθρώπον	τῶν ἀνθρώπων	224 ἐτοιμαζεται	ἑτοιμάζεται
fol. 51.		228 τοῖ κόσμον	τοῦ κόσμου
158 ἐπίδειξι	ἐπίδειξον	229 ὁ τοιούτου	ὁ τοιοῦτος

Digitized by Google

Errores Apologiæ ita corrigendi sunt.

	Errores		*correctio.*
fol. 29	authorem	lege	authorum
	explicauerunt		explicauerint
fol. 77	consilij		consilij

Error Catenæ paraphrasticæ.

fol. 14	effugiuntur		effugantur.

Errores qui adnotantur in sententijs, & scholijs seu commentarijs, ità corrigendi veniunt.

	Errores	*correctio.*		*Errores*	*correctio.*
fol. 1	ipsis	ipsius	191	donum	domum
4	sihi	sibi	192	inuitandum	imitandum
	deberi	deleri	194	quin	qui
17	dehoranis	dehonorans		cerre	certè
23	virorum	vinorum	227	concubitum	in cõcubitu
	prẽstãtissimũ	prẽstãtissimũ	234	ca	vt
46	flaueſcit	flacceſcit	253	eum	cum
47	conuersi	conuerti		fortis	fortèm
	maitia	malitia	258	sata	fata
51	spernt	spernit	260	labbr	labor
85	Iaret	iacet	263	ventti	ventri
97	darum	durum	277	cecinit	cecinerunt
144	amore	amor	282	Deoa	Deo
172	tam	tum	311	cumedit	comedit
177	si ignorantia	si ignominia	332	mistæ	mixtæ
	ch	est	333	charitatem	caritatem
183	propriæ	propriè	345	estendatur	extendatur
185	interogaret	interrogauit	355	Quo	Duo
187	riuerentia	reuerentia	357	permaneant	permanent

Reliquos autem prudentiæ & diligentiæ Lectoris, corrigendos remittimus.

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM

quæ in opere continentur.

A

Abstinentia virtus, folio 69
Abstinentes diutius viuunt. 70
Abstinentes fortiores gulosis. 70
Accusatio suiipsius initium est salutis. 1
Accusatio quando fieri debet. 148
Actiones humanæ quæ speciem sortiuntur à fine proximo, quæ sint. fol. 158
Actiones nostra in bonum vrgendæ. 159
Actiones quomodo cognoscēdæ. 313
Actus virtutis maatyrij qui. 114
Adami priuilegia in paradiso voluptatis. 260
Adam cuncta perdidit bona inuidia Diaboli. 261
Admonitio cum compassione faciendæ est. 156
Adulationis malignitas, & conditiones. 21
Adulatio quid. 22
Adulatores lucri cupidi. ibidem.
Adulatio est peccatum, & quando mortale. ibid.
Aequalitas quid sit. 126
Aegritudines quantocyus curandæ. 316
Afflictiones quid sint. 265
Afflictiones fortiter perferēdæ. ibid.
Agonia quid sit. 278
Agens quodcunque ad suum tendit finem. 367
Agens absque medijs non potest peruenire ad finem. ibid.
Agnus in veteri lege quomodo offerri iubebatur. 161
Altare viri iusti. 94
Altare ecclesiæ vniuersalis Christus. ibid.
Altare cordis. ibid.
Altare vnde dicitur. 270
Amicus verus, amicitia vera. 9
Amicitia quid sit. 10
Amicitia sancta colenda. ibid.
Amicitia quomodo deperditur. 332
Amore nihil utilius. 70
Amor Dei qualis. 143
Amor proximi qualis esse debet. ibi.
Amor mundi qualis. ibid.
Amor in opere consistit. 161
Amor Dei ne pereat quid agendum. 264
Amor proximi vt sit sicuti sui, quid requiritur. ibid.
Anacharsis Scythæ dictum mirabile. 87
Angeli mensura. 27
Angeli operationes quo tempore mensurantur. 28
Angeli boni reuerendi sunt, non mali. 230
Angelorum bonorum amor erga homines. 231
Angelis sanctis quæ retribuere debet homo. ibid.

Angeli

Digitized by Google

Angeli sancti ab omni turpi actione recedunt. ibid.
Angelus quomodo loquitur. 303
Angelus quomodo habet bonum perfectum. 309
Angeli sancti peccare non possunt. fol. 323
Angustiæ, calamitates, & similia à nemine desiderantur. 361
Angustam quis ambulat semitã. 392
Anima ægrotans quomodo sananda. 90
Animarum zelus necessarius. 146
Animarũ zelus in quo cõsistit. 147
Animæ nemo illabitur nisi solus Deus. 166
Animæ rationalis dignitas. 215
Anima cur omnibus rebus sit præferenda. 218
Anima intacta remanet cùm corpus inuitè polluitur. 250
Animæ infirmitas peccatum. 316
Animalia non cogitant. 105
Animalia pennata Ezechielis cur non reuertebantur. 161
Animalium præstantia supra hominem. 351
Antigoni Regis auaritia. 79
Antiquorum sententia de Deo. 35
Apologia ne timeatur, quid dicendum, vel agendum. 327
Aqua natura. 103
Ara quid sit. 270
Ararum, & Altarilũ discrimen. ibid.
Ara orationis sancta. ibid.
Armorum genera quæ. 336
Artes liberales. 285
Artes mechanicæ. ibid.
Ars qualibet dolo exercetur. ibid.
Astutia quid sit, & quotuplex. 333
Astutiæ mundanæ quomodo adhærebit homo. ibid.
Aurium, & linguæ periculum. 32
Aures, et linguæ inæqualiter insunt hominí, & animalibus. ibid.
Aures, & linguam cur Deus dedit homini. ibid.
Aures, & lingua causa ruinæ totius mundi. ibid.
Auaritiæ in aliquibus. 335. & 346
Auaritiæ in cunctis rebus inuenitur. 345
Auaritia propriè quid sit. 346
Auarorum species multæ. ibid.
Auaritia quomodo est peccatum mortale, et quomodo veniale. ibi.
Auaritia pestis humani generis. ibid.
Auaritiæ triumphus. 347
Auaritia similis canis ingluuiei. ibi.
Auarus ab igne infernì excipitur. fol. 348
Auditus quid sit. 99
Aures cur Deus dedit homini. 148
Auerrois opinio stulta de Dei prouidentia. 83
Austeritas quid sit. 344

B

Balneum quotuplex. 305
Beatitudo quomodo non potest consequi ab homine. 206
Beatitudo iuxta Epicurum non consistit in voluptate carnali. 254
Beatus nullus in mundo. 308
Beatitudo quid sit. ibid.
Beati qui sunt in mundo. ibid.
Beati in cælo peccare nõ possunt. 323
Bella imminẽtia homini moriẽti. 43
Bellum cur in mundo. 337

Bellum

Digitized by Google

Bellum vnde dicitur. 338
Belli spiritualis qualitas, & morbus. 363
Belli spiritualis arma bellica. ibid.
Belli spiritualis spectator. ibid.
Bellum duplex Christiani hominis. ibidem.
Bellator quid facere debet vt hostem vincat. 338
Bellandum quomodo contra Dæmones. 339
Bestia peccare non potest. 322
Bestia cur peccare non potest. 323
Blasphemator quo supplicio puniri debet iuxta leges. 194
Blasphemia quælibet vel est contra Deum, vel contra Spiritum sanctum. 341
Blasphemia in Spiritum sanctum quæ. ibid.
Blasphemia quid sit. 342
Blasphemiæ peccatum, superat peccatum synagogæ, & homicidij. ibidem.
Blasphemiæ peccatum superat peccatum periurij, & hæresis. 343
Blasphemiæ peccatum est maximum peccatorum. ibid.
Blasphemiæ peccatum est transferre culpam in Deum non culpandum. 31
Bonum celandum, acquirendi testes boni. 66
Bonum summum summo labore consequitur. 362
Bonũ à diuersis variè appetitur. 107
Bonitas laudanda est. 154
Bonum duplex. 210
Bona apparẽtia non sunt bona. 211
Bona quæ habet homo à sanctis Angelis. 231
Bona mundi duplici furto auferuntur. 245
Bona vera quæ sunt. 246
Bona cælestia quomodo acquirenda. ibid.
Bonum hominis quotuplex. 251
Bonus cum affligitur bonum est pro eo. 266
Bona corporalia quæ ibidem, & 307
Bonum quotuplex. 329
Bona fortunæ quæ. ibid.
Bona animi quæ. ibid.
Bona animi quibus bonis præstant. ibidem.
Bona futura superexcellunt quæcunque bona. 330
Boni & mali natura. 359
Bulla quomodo fit, & quid sit. 331

C

CAro quibus edomanda, & cur. 85
Cauillis petere hominẽ quid sit. 190
Carnis Christi puritas. 244
Castitas exercẽda est in corpore. 124
Castitas cum compassione mater est virtutum. 289
Castitas virtus spiritualis, & generalis. 292
Castitatis encomia, & laudes. ibid.
Castitatis organum Beata Virgo Maria. ibid.
Castitas vnde dicitur. 294
Cæcitas quid sit. 340
Cæli cur non videri possint distinctè. 81
Cæli sunt corruptibiles per accidens. 218

Digitized by Google

Cæli natura, & qualitas. 283
Cæli Empirei præstantia. 284
In Cælo omniũ rerum satietas. ibid.
Cælum quomodo habet contrarium. fol. 298
Cælestis forma aliam nõ appetit materiam. ibid.
Cæli motus cur, & quomodo imperfectus. 301
Cælestis regni pulchritudo infinita. 330
Charitas rebus omnibus nobilior. 40
Charitas forma uirtutũ omniũ. 159
Charitas coniungit nos Deo. 225
A charitate quæ nos separant. ibid.
Charitas præeminet cunctis rebus. fol. 324
Charitatis encomia, & laudes. ibid.
Absq; charitate omnia vana. ibid.
Charitas quid sit. ibid.
Christus in oratione horti cur assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem. 101
Christus nũquã ridere visus est. 112
Christus quæcunque egit, ob animarum zelum fecit. 147
Christus imitandus in admonitione. 156
Christi mira mansuetudo. ibid.
Christus in Eucharistia quomodo reperitur. 175
Christus in Eucharistia cum peccato sumptus magis nocet. ibid.
Christus cur Herodi non respondit. 185
Christus cur eiecit ementes, & vendentes de templo. 193
Christus cur pauper nasci voluit. fol. 224
Christus pati, & mori timuit. 278
In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. 289
Christus raptus est, & miserieors. fol. 290
Christus quid prohibet in oratione. fol. 304
Christo quomodo competit summum bonum. 309
Christus cur peccare non potuerat. fol. 322
Christianorũ abusus in ecclesijs. 192
Christianus quilibet quomodo possit corrigere. 196
Christiani mali fidem habent mortuam. 280
Christiani militis arma. 337
Cibis salutaribus utendum non dulcibus. 24
Cibis quibuscunq; homo vescit. ibid.
Ciborum abundantia multorum malorum causa, sicuti ciborum paucitas multorum bonorum. 268
Ciuitas quibus dilabitur, & quibus constituatur. 3
Cogitare quid sit. 61
Cogitatio quid sit. 65
Cogitare & excogitare, cogitatio & excogitatio quid. 101
Cogitationes quotuplices. 102
Cogitationum origo. ibid.
Cogitationes carnales quomodo corpus corrumpunt, & animam polluunt. 250
Cogitationes malæ inimicæ animæ. fol. 165
Cogitationes nostræ malæ non semper à Diabolo. ibid.
Compassio quid sit. 290

Digitized by Google

Compassio potissima causa fuit veniendi Christo in mundum. ibid.
Compatiendum tribus personarum generibus. ibid.
Compunctio animæ necessaria ad delenda peccata. 76
Compunctio quotuplex. 77
Conceptus hominis signum, loquutio. 282
Concupiscentia carnis, & oratorum à quibus corrumpuntur. 297
Conscientia pura omnibus exhibenda. 34
Conscientia propria erit testis contra nos. 233
Conscientia necessaria ad actionum cognitionem. 312
Conscientia cui assimilatur. ibid.
Conscientia quid sit. ibid & f. 4
Consilium quid sit. 172
Consilium à quibus non est petendum. 173
Consilium mulieris inualidum. ibid.
Consilium puerorum imperfectum. ibidem.
Consilium negligentium, & prauè viuentium nullum. ibid.
In consilij acquirendis quæ requiruntur. ibid.
Constantia contra aduersa. 220
Consuetudo quid est. 168
Consuetudo altera natura. ibid.
Consuetudinem vincere difficile, non autem est impossibile. 169
Consuetudo vt vincatur quid agendum. ibid.
Contraria nõ possunt esse simul. 207
Contraria neque in gradu remisso possunt esse simul. ibid.
Contraria remissa remanere in mixtis quid sit. 208
Cõtrarij est causa corruptionis. 298
Contumacia quid sit. 198
Contumax quid sit. ibid.
Contumacia tripliciter incurritur. ibidem.
Contumaces, & delinquentes non debent temerè increpari. 199
Conuicium quid sit. 129
Conuiciator quomodo peccat mortaliter. ibid.
Conuicians magis punitur, quàm qui conuicijs afficitur. 181
Conuicians à quibus læditur. 182
Conuicium homicidium verbosum est. 356
Coqui Dionysij Tiranni responsum. 248
Corpus super omnia mortificandum. 26
Corpus quibus mortificandum. 27
Corpori quantum indiget, impendendum. 68
Corpus quomodo affligendum. 105
Corporis natura circa temporalia, & spiritualia. 221
Correctio fraterna qd sit. 53. et 147
Corrigere quis debet. ibid.
Correctionis fraternæ cõditiones. 54
Correctionis fraternæ præcipua conditio. 55
Correctionis fraternæ encomia, & laudes. 147
Correctionis fraternæ præceptũ. ibi.
Correctio amica plus proficit, quàm accusatio turbulenta. 148
Corripiens debet esse immunis à vitijs. 197

Digitized by Google

Cruci Christi cuilibet reuerentia latria debetur. 230
Culpa quid sit, & cui debetur. 31
Curiositas quid sit. 185
Curiositas primus est superbiæ gradus. ibid.
Curiosi, & studiosi differentia. 186

D

DAmnum quid sit. 45
Dānificandi modi diuersi. ibi.
Damnificans proximum contra charitatem agit. ibid.
Damnati quo magis dolebunt. 36
Dæmonum tentatio triplex in morte. 43
Dæmonum nobilitas, atque præstantia. 112
Dæmonum malignitas. ibid.
Dæmones quomodo fugantur. ibid.
Dæmon quomodo dicitur illabi animæ. 166
Dæmonum consortia fugienda. 231
Dæmones quando timent præliari cum anima. 364
Defectus omnis vituperabilis. 36
Deliciæ malæ. 71
Deliciarum ethimologia. 247
Deliciæ cur auersandæ. ibid.
Deliciarum malignitas. ibid.
Deliciæ impediunt animæ, & corporis sanitatem. 248
Delicijs qui vacant. ibid.
Deliciæ fugiendæ. 297
Deliciarum mare periculosum. 358
Delinquens quibus subditur. 88
Democritus cur ridere solitus. 302
Derisio quid sit. 200
Derisio quando est peccatum mortale. ibid.
Dei clementia erga peccatorem peccata confitentem immensa. 2
Deus quomodo laudandus, colendus, & honorandus. 10
Deus quibus offenditur, & placatur. 11
Deus quæ dedit homini. 26
Dei mensura. 27
Deus non est causa culpæ. 31
Deus quomodo est causa mali culpæ, ibidem.
Deus non potest facere peccatū ibid.
Deus tria dat rebus omnibus. 35
Deus in omnibus inuenitur locis. ibi.
Deus vnde dicatur Deus. 36
Deus quomodo præsens est rebus omnibus. ibid.
Dei longanimitas non est incusanda. 49
Deus cur non statim malos punit, & bonos succurrit. 50
Deum qui criminatur. 52
Deo reseruata. 53
Deus in psalmis nominatus fugat Dæmones. 57
Deus cur orandus. 58
Deus inuitat nos ad orandum. ibid.
Deum esse quomodo Philosophi indagarunt. 59
Dei munificentia, & amor. ibid.
De Deo semper est cogitandum. 60
Deus quotupliciter offenditur ab homine. 145
Deus nemini postponendus. ibid.
Deus quid à nobis expetit. 154
Deus quomodo diligendus. 169
Dei puritas, & simplicitas. 170
In Deo nullū potest esse accidens. ibi.
Deus quomodo purè diligetur. ibid.

Dile-

Digitized by Google

Dilectionis Dei ordo. 170
Deus cur, et quomodo iraſcitur. 183
Deus opera deſiderat. 207
Deus omnia per hominem condidit. fol. 216
Deus quicquid facit, & faciet, propter hominem facit. 217
Deo nihil parem facit, niſi animus. fol. 217
Deus in quibus differt ab homine. 228
Dei perfectio, & ſcientia. 229
Deus à quocunque intellectu creato incomprehenſibilis. 108
Deus nec ſciri, nec diffiniri propriè poteſt. ibid.
Deus quomodo poteſt intelligi. 109
Dei cognitio triplex. ibid.
Deus quot modis debet ab homine laudari. 115
Deus quibus modis manifeſtatur creaturis. 120
Deus quomodo reuelatur iuſtis. ibid.
Deus quomodo dicitur habere membra corporalia. 243
Dei indumentum quale. 244
Deus ſolus perfectus. 262
Deus & proximus obiecta diligibilia. 263
Deus bonos & malos amat, ſed inaequaliter. 295
Deus ſibi ſoli reſeruauit vindictam. ibidem.
Deus quomodo dicitur loqui. 303
Deus quomodo habet bonum perfectum. 304
Deus quæ operatur in nobis ob actiones. 310
Deus quibus coronã promiſit. ibid.
Deus cur afflictiones timuit. 311
Deus Iudex quomodo placatur. 314
Deo, & mundo nemo poteſt ſimul & ſemel ſeruire. 318
Deus peccare non poteſt. 322
Deus non eſt author malì culpæ, ſed pœnæ. 327
Deus ſemper operatur. 348
Deus quid reddet pro tribulationibus. 362
Diabolus zizanioſus. 109
Diaboli iniquitas. 110
Diaboli pugna contra nos. 239
Diabolus cur ſic appellatur. 230
Diabolus ſemper pronus ad nocendum. 266
Diabolus cur dicitur Iumentum, Draco, & Auis. 296
Diabolus cur Euam, non autem Adam tentauit. 311
Diaboli arma. 336. & 339
Diabolus quando aggreditur animam. 364
Dignitas euellit hominem. 134
Dilectionis ordo qualis. 264
Diues neque adulandus, neque irritandus. 21
Diuitiæ quotuplices. 74
Diuitiæ malæ ſunt. ibid.
Diuitiarum effectus. ibid.
Diuitiarum abuſus malus. 226
Diuitiæ diſtribuendæ. ibid.
Diuitiæ ſummergunt hominem, & ſunt labiles. 132
Diuitis ethymologia. 188
Diuitiæ ſpirituales veræ diuitiæ. fol. 225
Diuitiæ corporales falſæ. ibid.
Diuitiæ abſtrahunt homines à recto. ibid.

Digitized by Google

Diuitiæ fugiendæ. 297
Diuitiarum acquisitio, possessio, &c.
Dolor quid sit. 361
Domus Dei venerari debet. 93
Domus Dei ad quid facta. 149
Dulcedo quid sit, & eius effectus. 24
Dulcia quæ mala generant. 23

E

EBrietatis malignitas. 86. 87. & 355
Ebrietas quid sit. 355
Ecclesia frequentanda. 80
Ecclesia quid sit. 81
In Ecclesia sermones quales esse debent. ibid.
Ecclesia materialis plena quietis. 93
Ecclesia tribulationibus proficit. ibi.
Ecclesia materialis figura Ecclesiæ cælestis. 151
Ecclesiæ ædificatio in homine. 171
Ecclesia Dei quomodo latronum spelunca efficitur. 191
Ad Ecclesiam quomodo confugere debent homines. 192
Ecclesia militans typus est Ecclesiæ cælestis. ibid.
Edacitatis vitio omnes animæ vires destruuntur, & corporis debilitantur. 268
Eleemosyna præstantior cæteris partibus satisfactionis. 78
Eleemosynæ diffinitio, & virtus. ibi.
Eleemosynæ fructus. 80
Eleemosyna data Religiosis, immediatius datur Christo. ibid.
Eleemosyna vt sit grata Deo, quid requirit. 274
Eleemosyna vsurarij. 275
Eleemosyna facta de acquisitis in ludo, non est licita. 286
Eleemosynæ necessitas, & diffinitio, fol. 287
Eleemosyna quomodo cadit sub præcepto. 288
Eleemosyna cordis quæ. 295
Elementa tractabilia. 94
Elementorum numerus, natura, & qualitas. 283
Ens quodlibet desiderat permanentiam sempiternam. 209
Epulonis, & Lazari tragœdia. 300
Errans non est accusandus. 146
Eutropelia quid sit. 282
Eutropeli qui. 283
Eucharistiæ præstantia, atque nobilitas. 174
Eucharistiam dignè sumens, incorporatur Christo. ibid.
Excellentiæ appetitus quotuplex. 187
Excessus omnis vituperabilis. 36
Excessus in charitate laudabilis. 37
Exemplum de Senatore qui erga afflictos, & pauperes erat crudelis. 291
Exercitij vtilitas. 104

F

FAma leditur dum cauillis petitur bono. 191
Fatuus quis videtur esse. 282
Felicitas quid sit. 135
Felicitates dat Deus. 136
Felicitas terrena in quibus consistit. fol. 212
Fides Christiana, fides est pietatis, & iustitiæ. 153
Fides est lampas. 279
Fidei encomia, & laudes. ibid.
Finis agentium præstantissimus. 91

Finis

Digitized by Google

Finis quis sit, & unde dicatur. ibid.
Ex fine omnis operatio specificatur. ibidem.
Finis quomodo prior et posterior 42
Finis creaturæ rationalis. 56
Finis non potest consequi absq; mediis. 161
Finis hominis postremus qui. 367
Finis hominis postremus quotuplex. fol. 368
Fumus unde oritur, & quid sit. 331
Fures à quibus actuantur. 137
Furtum quid sit. 273
Furtum in omni lege prohibitū. ibi.
Furtum contrarium charitati. 274
Furandum non est propter paupe-res. ibid.

G

Gaudium quid sit. 72
Gaudium mundi non est verum gaudium. ibid.
Gaudium plus occidit, quàm tristitia. 73
Gaudium verum quod est. ibid.
Gemitus necessarius ad delenda peccata. 76
Gemitus effectus. ibid.
Gemitus unde dicitur, & quotuplex. 77
Gloriæ vanæ periculum. 38. & 39
Gloriæ vanæ peccatum infectum. 65
Gloria vana non habet suum contrarium. ibid.
Gloriæ inanis cupidus quis sit. 66
Gloria mundana summergit hominem. 132
Gloria Sanctorum immortalis etiam ante, & post obitum. 153
Gloria mundana nemo gloriosus. 257
Gloria mundana fugienda. 297
Absque gratia, idest gratuito Dei beneficio, peccatum remitti, repugnat. 206
Gratia formæ nemo constans. 257
Gratia triplex in Christo. 289
Gusius quid sit. 99

H

Haeresis species est peccati in Spiritum sanctum. 289
Haretici resecandi quantocyus. ibid.
Hara quid sit. 279
Homo non potest esse ociosus. 10
Homo miser effectus Diaboli invidia. 27
Hominis mensura. ibid.
Homo mutabilis. 28
Homo quando laboriosus. ibid.
Hominis novissima. 42
Homo delectatur societate. 43
Homo unde dicitur homo. ibid.
Homo offenditur ab homine, et quomodo. 45
Homo damnificans peior omni bestia. ibid.
Hominis hostes Spirituales, & natura eorum. 48
Hominis hostes quibus vinci possunt. 49
Hominis hostes ut vincantur, remedia opportuna. ibid.
Hominem quæ deperdunt. 62
Homo præstantior cæteris animalibus. 67
Homo solus ratione præstat. ibid.
Hominis encomia, & laudes. ibid.
Hominis utilitas confugientis ad ecclesiam. 95
Hominis inclinatio ad voluptates 97

Homo

Digitized by Google

Homo quid poteſt facere in ſtatu naturæ lapſæ. 98
Homo propriè cogitat. 106
Homo quomodo tenetur mente ferri ad Deum. 115
Homo abſq; charitate nihil eſt. 118
Homo quibuſcunq; virtutibus præditus, abſque charitate, nullam videtur habere. ibid.
Homo vt dignum Dei efficiatur templum, quid agere debeat. 125
Homines maligni cur permittuntur à Deo. 129
Homo patiens tria in ſe mirabilia continet. 130
Homo diues creatus. 131
Homo cuncta amiſit ob peccatũ. ibi.
Homo quæ deſiderat. ibid.
Homo quicunque ſit ille, oportet vt tribuletur. 133
Homo cur tribulationes patitur. ibi.
Homo tribulationibus perficit. ibid.
Homo à quibus affligitur. 134
Homo quæ debet diligere. 143
Hominibus medijs ſancta dicenda ſunt. 158
Homo cur à Deo factus. 161
Hominis natura, et perfectio in quo conſiſtit. 179. & 180
Homo vt ſit perfectus quid facere debeat. 181
Homo paſſionibus afficitur. 183
Homo non poteſt non iraſci. ibid.
Hominibus calamitoſis miſerẽdum. fol. 184
Homo ob ſuperbiam à creaturis minimè affligitur. 187
Homo ex quibus ſuperbire poterit. fol. 188
Homo ſceleſtus qui. 190
Homo ex multis reprehenſibilis, ſed ex vno præcipue. ibid.
Hominum nemo felix. 199
Hominis ſuperbia, immanitas, atque ſtultitia. 200
Hominem quæ clarum efficiunt. 203
Homo quid conſequitur ex præceptorum obſeruatione. 204
Hominis dignitas. 215
Hominis encomia, & laudes. 216
Hominis anima ſimilis Deo. ibid.
Hominis ſtultitia. 217
Hominis conditiones imperfectæ, & variæ. 229
Homo naturaliter incorruptibilitatẽ, et munditiam deſiderat. 249
Hominum vita quotuplex. 256
Hominum beſtialium tormẽta. ibid.
Homo ratione præcellit animalia; alio verò communicat cum illis. ibidem.
Homo quomodo in aliam transformatur ſubſtantiam. 259
Homo cur non poteſt eſſe vndequaque perfectus. 262
Homo tribus temporis partibus continetur. 277
Homo quomodo non peccat, vtendo verbis ſolatij. 282
Homo non dans eleemoſynam, quomodo peccat mortaliter. 288
Homo quantum dabit, tantum recipiet. ibidem.
Homo iuxta merita beabitur. ibid.
Homo vt ſit caſtus, quid facere debet. 294
Hominis hoſtes ſpirituales, & corporales. ibid.

Homo

Digitized by Google

Homo contra quos inimicos vlciſci ſe debet. 295
Homo quæ maxime appetit in vita. 296
Homo de quibus tentatur. ibid.
Homo quomodo eſt corruptibilis, et incorruptibilis. 298
Homo & animalia non communicant in lingua. 303
Homo quomodo loquitur. 303
Homo parum homini loqui debet, Deo autem multum. ibid.
Homo quomodo habet bonum perfectum. 309
Homo quomodo beatitudinem conſequitur. 309
Hominum actiones quæ. 312
Homo non poteſt ad plura ſe ferre. 317
Homo ſolus peccat. 323
Homo ad quæ natus. 326
Hominis cautela vt recte loquatur, rectèque agat. ibid.
Homo quæ ſeminauerit, hæc & metet. 334
Hominis ingratitudo. 343
Homo cur creatus. 348
Homo otioſus, vel laborioſus cui ſimilis. 350.
Homo cùctis animalibus præſtat ibi
Homo cunctis animalibus inferior quoad communia. 351
Ad Hominis eſſentiam quæ pertinent. 352
Hominis miſeria, & infelicitas ibid.
Homo ſimulans ſe eſſe bonum, peſſimus eſt. 359
Homo quomodo purus erit, & ſimplex. 366
Hominis media conſequendi finem tria præcipua. 367
Horæ Canonicæ quid ſignificãt 151
Hoſpes qui, & eius conditiones. 18
Hoſtis tribus impeditur. 35
Contra hoſtes hominis ſpirituales impedimenta. 36
Hoſtis apertus melior eſt inimico domeſtico. 85
Humilis non appetit laudari. 37
Humilitatis altitudo firma. 103
Humilitas quid ſit. ibid.
Humilitatis finis. ibid.
Humilitatis firmitas, ſecuritas, & vtilitas. ibid.
Humilitas mater Chriſti. ibid.
Humiles diuerſi. 142
Humilis veri ſignum. ibid.
Humilis falſi & ficti ſignum. ibid.
Humilitas vera quæ eſt. 189
Humilitatis fructus. ibid.
Humilis exaltatur à Deo etiam apud Ethnicos. ibid.
Hymnus qui dicitur. 56
Hypocriſis quid ſit. 334
Hypocriſis malignitas. ibid.
Hypocriſis natura. ibid.
Hypocrita cui ſimilis. 359
Hypocriſis in ſpirituali, & morali vita condemnatur. 360
Hypocritæ vtilitas, & remuneratio. ibidem.
Hypocritæ quomodo cognoſcuntur. ibidem.

I

Iactantia quid ſit. 335
Ieiunia quomodo exercẽda. 105
Ieiunium corporale neceſſarium, ſed magis ſpirituale. 265

Digitized by Google

Ieiunandũ est ab omni peccato. 269
Ieiunium placens Deo. ibid.
Iesus Christus quam legem promulgauit. 343
Ignauia fur est. 137
Ignauia mater vitiorum. ibid.
Ignauiæ malignitas. ibid.
Ignominiæ diffinitio, & ethymologia. 177
Ignominiam nemo cupit. 361
Imaginis discrimen à similitudine. fol. 126
Incorruptibilia, & corruptibilia quia contraria, non possunt esse simul. 208
Infelicibus condolendum est. 213
Infirmitates precibus sanantur. 90
Infortunatus nõ est irridendus. 201
Ingratus qui. 60
Inimicitia Dei vnde. 71
Inimicus quotupliciter conuincitur. 165
Inimici quomodo diligendi. 264. & 295
Iniquis sancta non dicenda sunt, nisi ad conuersionem. 158
Iniuriam facere quis sit. 130
Iniurians magis patitur eo qui iniuriatur. ibid.
Iniuria quid sit iuxta Vlpianũ 178
Iniurias tolerantibus magnum pollicetur præmium. ibid.
Iniuriæ siue iustè, siue iniustè illatæ, si patienter tolerentur prosunt ad salutem. ibid.
Iniuriæ irrogantur hominum improbitate. 266
Iniuriari melius est quam iniuriare. 267
Innocentiæ bonitas. 154
Inopiæ sanctorum subueniendũ 79
Intemperantia corrumpit corpus, & animam. 68
Inuidiæ malignitas. 19
Inuidia quid sit. 20
Inuidia vitium diabolicum. ibid.
Inuidi conditiones. ibid.
Ira. 88
Iracundus quotupliciter sit reus 88
Ira quid sit. ibid.
Iræ malignitas. 89
Ira quibus nutritur, & quibus extinguitur. ibid.
Irasci quomodo est licitus. ibid.
Irascendum sine peccato. 183
Irritatio quid. 22
In iudicio legali quæ personæ concurrunt. 314
In iudicio finali qui iudicabunt, & qui iudicabuntur. 366
Iudicij temerarij malignitas. 53
Iudici quæ conueniunt. 344
Iudicium duplex. 365
Iudicis supremi sententia meditanda. 232
Iudicium humanum quibus peruerti potest. ibid.
Iudicium diuinum nullatenus corrumpi potest. ibid.
Iudicis terreni sententia impediri potest, & quibus. ibid.
Iudicis supremi sententia minimè reuocari potest. ibid.
Iustitia quomodo exercenda, & quid sit. 5. & 6
Iustitiæ laudes, & encomia. 272
Iustitia fortitudine, prudentia, & temperantia præstantior. ibid.

Digitized by Google

Iustitia præstantior fertilitate, & scientia. ibid.
Iustitia quascunque præcellit virtutes. ibid.
Iustitiæ effectus. 273
Iustitia papilla est oculi virtutum. fol. 276
Iusti anima quo eopungi potest. 306
Iustitia humana diuersa à diuina. fol. 313
Iustitia diuina conuincendi sunt infideles de duplici iudicio futuro. fol. 365

L

LAbor homini necessarius. 28
Laboris victoria. 104
Labor et oratio dæmones fugat. 113
Labor amplectendus. 349
Laborant cuncti propter lucrũ. 231
Laborem nullus amat. 361
Lachryma quid sit. 305
Lachrymarũ encomia, et laudes 306
Lachrymæ ob multa fundi posſũt. ibi.
Lachrymæ vt prosint, quid requiritur. 307
Lætitia similis ebrietati. 238
Lapis peccare non potest, & cur. f. 322. & 323
Latus fugienda, & quid sit. 36. & 37
Lectionis effectus. 368
Lex diuina præsupponit legem naturæ. 4
Lex naturalis quid sit. ibid.
Legis naturalis discrimen à synderesi, & conscientia. ibid.
Legis etymologia. 16
Lex quotuplex. ibid.
Legum differentia. 17
Legis diuisio. 144
Legis diuinæ natura. ibid.
Leges iuxta Platonem cur latæ. 194
Lex iuxta Solonem quid sit. 276
Legislatores diuersi. 394
Legis factores, non auditores tantum sunt iusti apud Deum. 368
Liberalitas Alexandri Magni. 79
Linguæ malignitas. 2
Lingua recondenda est. 3
Linguæ cõditiones vt sit grata. ibid.
Lingua sæpe loquitur per aures. 33
Lingua parce vti debet homo. 62
Linguæ ethymologia. 63
Linguã cur Deus homini dedit. 148
Longanimitas quid sit. 49
Longanimitas Dei quæ. 50
Loquacitas causa multorum periculorum. 62
Loquacitas, garrulitas, & similia multos habent errores. 263
Lucifer punitus ob superbiam. 187
Lucij Apuleij dictum memorandum de vino. 87
Ludus peccatum mortale. 286
Ludus probibetur per leges ciuiles, & canonicas. ibid.
Ludi vitati à sanctis viris. 287
Ludus prohibitus à Christo. ibid.
Ludus nõ debet esse pernicioſus. ibid.
Lumen triplex. 339
Lumen gratiæ, & gloriæ amittitur peccando. 340
Lumen naturæ obscuratur ob peccatum. ibid.
Luxuriei malignitas. 353
Luxuries tripliciter consumit hominem. ibid.
Luxuries omnia bona deperdit etiã spiritualia. ibid.

Digitized by Google

Luxuries priuat hominem gratia Dei. ibidem.
Luxuries diuinæ puritati maxime opponitur. 354
Luxuriæ triumphus. ibid.

M

Magnanimitas quid sit. 50
Maledicentis qualitas. 21
Maledicere quotupliciter contingit. fol. 190
Maledicere quomodo sit peccatum mortale, vel veniale. 191
Malitia quid sit. 154
Malitia vituperanda. ibid.
Malitia gladius dæmonis. ibid.
Malitiæ currus, & triumphus. 155
Mali, & damni discrimen. 45
Malum emergens ex Dei obliuione quotuplex. 60
Mala cur in mundo veniunt. 83
Malum abhominandum. 145
Malorũ effectores abhominãdi ibid.
Malis patrocinantes fugiendi. ibid.
Malis patrocinantes, quæ mala efficiunt. 146
Malum omne per oculos intrat. 167
Malus si affligitur, cur bonum est vt affligatur. 265
Malum, vt malum non potest esse causa boni. 333
B. Maria Mater Dei quadruplici de causa fuit virgo ante partum. fol. 293
B. Maria triplici de causa fuit virgo in partu. ibid.
B. Maria quadruplici de causa fuit virgo post partum. ibid.
B. Maria Virgo nullo modo peccare potuit. 322
Maris nauigatio periculosa. 94
Martyrum mira patientia. 114
Martyrium quid, & quotuplex. ibi.
Martyrium saltem in mente custodiri debet, dũ abest persecutor ibi.
Martyr insignis B. Laurentius. 115
Medicus bonorandus. 90
Medici quomodo curare solent infirmitates. 317
Meditatio quid sit. 65. 114
Melaniæ patientia mira. 48
Mens quid sit, & quomodo ab intellectu distinguitur. 64
Mens vnde dicatur. ibid.
Mens excolendæ est. 65
Mentis labor præstat corporeo. 114
Mens nostra templum est Dei. 150
Mẽtis humanæ vis, atq; potestas. 229
Mercatura necessaria Reipublicæ. fol. 122
Mercaturæ licitæ approbantur à legibus. ibid.
Misericordia quid. 155
Misericordia comes est iustitiæ. 275
Misericordia, & iustitia in Deo. 276
Misericordiæ oculus est virtutũ ibi.
Misericordia spiritualis præstantior corporali. 325
Miseris compatiendum est. 291
Modestia seruanda in omnibus. 111
Mœrentes meliores sunt lætantibus. 238
Monitio proximi, monitio tui. 325
Morbus quid sit. 90
Morbi, & vitij discrimen. ibid.
In morbo quæ sint grauia. ibid.
Mors est expectanda, non metuenda. 277
Mors naturaliter timetur. ibid.

Digitized by Google

Mors vltimum terribilium. 142
Mortis terribilitas, & ipsius inæqualitas. 227
Mortuus cur non lugendus. 298
Mors bona, & mala. 299
Mortem vnusquisque fugit. 361
Motus quadruplex in vniuersũ 301
Motus quilibet est imperfectus, ibid.
Mulier in nullo apta redditur. 173
Mundus est mare. 95
Mundus instabilis. 97
Mundus est quasi punctus ad cœli spatium. ibid.
Mundana omnia euanescunt, & quomodo. 167
Mundanorum natura. ibid.
Mundus lætis, & mœstis cõstat. 237
Mundi læta bona sunt. 238
Mundana omnia vanitas sunt, & afflictio spiritus. 377
Murmuratio quid sit, & vnde dicatur. 176
Murmuratio peccatum grauissimum, & à Deo punitum. ibid.
Murenæ natura ante partum. 182

N

NEgatio simplex non potest esse virtus. 159
Negligentia quid sit. 162
Negligentia nihil peius. 193
Negociatio qũo licita clericis. 123
Negociationes secularibus licitæ ibi.
Negociatio vniuersaliter quomodo licita, & illicita. ibid.
Nobilitate nemo clarus. 257
Nobilitas generis quæ. 332

O

OCulus cohibendus. 61
Ab oculis oẽ malũ pullulat. 62
Oculorum genus duplex. 167
Oculi custodiendi. 168
Odio nihil molestius. 70
Odor quid sit. 99
Olfactus quid sit. 99
Opera bona necessaria ad salutẽ. 24
Opera vitæ æternæ meritoria absque Dei auxilio speciali nequeunt fieri. 98
Opera misericordiæ quæ. 113
Operis boni efficacia. 168
Opera nostra absque charitate, & gratia nihil sunt. 205
Opera nostra quomodo sunt digna beatitudine. 206
Opum & diuitiarum discrimen. 79
Opibus nemo felix. 257
Opus meritorium nullum absque Fide. 279
Oratio fienda cum sobrietate. 57
Oratio quid sit, iuxta D. Thom. 58
Oratio sine intermissione fieri debet. ibidem, & 172
Orationis præcipua conditio. 59
Orationis conditiones, vt petita facile concedantur. 100
Orationis diffinitio. 101. & 115
Orationis præstantia contra Dæmones. 113
Orationi cuncta prosperè succedunt. 116
Oratio gubernaculum hominis. 117
Oratione cuncta obsignanda. ibid.
Oratio assidua quomodo Deo offerri debet. 171
Oratio perfecta quæ. ibid.
Oratio duplex, nuda, & vestita 271
Oratio cum lachrymis, holocaustum pingue. 307

Ora-

Digitized by Google

Orationis effectus. 368
Origo quid sit. 126
Otium, & segnities ruinæ spiritualis ædificij. 234
Otio nihil deterius. 234
Otiosus non viuit. 235
Otij malignitas. ibid.
Otio ciuitates, & regna diabantur. ibidem.
Otij causa Roma destructa ipsi ibid.
Otium quid sit. ibid.
Otium vitandum. 349

P

Panis quid sit. 261
Panis duplex. ibid.
Ad panni opificium quæ requiruntur. 271
Parcæ quid significant. 277
Parergon iuxta Plinij quid sit. 244
Parergæ iuxta Budæum. ibid.
Parergon iuxta propriam opinionem. ibid.
Pastoris boni officium. 199
Patientia quid sit. 130. & 163
Patientia exercenda est cum prudentia. ibidem. & ante tempus. fol. 113. & 164
Patientia necessaria viro Christiano. 219. & 311
Patientia quæ lucratur homo. ibid.
Patientiæ encomia, & laudes. ibid.
Patientia est vna ex coniecturis prædestinati. 221
Pauperes fouendi. 77
Paupertas vnde dicitur, cur nemini incusanda, & bona quæ ex ipsa prouenium. 223
Paupertatem Sancti semper amarunt. 224
Paupertatis encomia et laudes. ibid.
Paupertas duplex, corporis, & spiritus, & quæ. 299
Pauperis, & mendici discrimen 300
Pauperes spiritu qui sint. ibid.
Paupertas multorum malorum causa. 361
Peccati notitia initium salutis. 1
Peccatoris accusatio mentis, & oris. ibidem.
Peccatorum efficius 25
Peccata omnia in populo reperiuntur. 26
Peccator felix lugendus. 135
Peccantium felicitate nihil infelicius. 136
Peccans admonendus. 146
Peccatoris hereditas. 151
Peccatum remitti homini actualiter peccati adhærenti, impossibile est. fol. 286.
Peccatum potest esse cum intellectualibus virtutibus. 253
Peccatum quid sit. 183. & 300
Peccata deleta non debent replicari. 307
Peccatum quid operatur in homine. 313
Peccatum odiendum. 318
Peccatum quibus modis perficit 319
Peccatorum genera quot deleantur modis. ibid.
Peccata nisi odio habeantur, nihil prodest. ibid.
Peccata sunt animæ laquei. 320
Peccatum quodlibet quomodo committitur. ibid.
Peccare quid sit. 321
Peccatum cur non odio habetur. ibi.

Pec-

Digitized by Google

Peccare quæ non possunt. 322
Peccata maxime aduersantia animæ. 334
Peccati in Spiritum sanctum species sex. 342
Peccatum in Spiritum sanctũ quomodo dicitur irremissibile. ibid.
Peccata maximè sibi cõsentiẽtia. 355
Peccatum animæ vulnus. 139
Peccatum cur dicitur corruptio. 175
Perseuerantia quid est. 160
Perseuerantia Christiano necessaria. ibidem.
Perseuerantia consequitur quis finem suum. ibid.
Perseuerantiæ laudes. ibid.
Personarum genera tria. 157
Personarum genera virtutem colentium. 279
Perturbatio quid, & quotuplex. 8
Philosophia qd sit, et quotuplex. 241
Philosophiam naturalem cur reliquit Socrates. ibid.
Philosophiæ natura iuxta Aristotelem. 242
Philosophia vera iuxta Socratẽ. ibi.
Philosophiæ abusus damnatur. ibid.
Philosophiæ laudes & encomia. ibid.
Pius quis, unde prouenit pietas qd. 6
Pietas erga Deum. 7
Pietas in quo ure reperitur. ibid.
Pij viri, & iusti conditiones. 7
Pigritia quid sit. 162
Pigritiæ discrimen à torpore. ibid.
Pœna animæ duplex. 184
Pœna metuenda. 328
Pœnarum genera. ibid.
Pœnæ eris inæqualis iuxta peccatorum inæqualitatem. 356
Pœnarum mundi, & inferni discrimen. 358
Pœnitentiæ partes. 77
Pœnitentia luuatur peccatum. 314
Pœnitentiæ efficacia. 315
Pœnitentia baptismus. ibid.
Pœnitentia necessaria. 316
Pœnitentia est pharmacum peccatorum. 317
Pœnitentiæ effectus. ibid.
Pœnitentia quid sit. 319
Poetarum transformationes, figmenta. 278
Pompeius Magnus cur in bello vincebat. 192
Potentia mundana labilis, & submergit hominem. 132
Potentia corporis quomodo deficit. fol. 332
Potentiæ animæ quomodo ledũtur. ibid.
Præceptum quid sit, & quid importat. 195
Præcepta quid sit. ibid.
Præceptionum Nili encomia, & laudes. ibid.
Præceptionem quid in se cõtinet. 201
Præcepta obseruari debent, non solum memorari. 203
Prædestinatio hominis qua. 205
Prædicator cum compassione prædicare debet. 136
Prædicator quomodo potest corrigere. 196
Prædicator debet esse sanctus. 197
Prælatus quomodo potest corrigere. 196
Prælatus est populi speculator. 197
Prælatus in mortali peccato non

Digitized by Google

potest corripere . ibidem.
Princeps à lege absolutus quomodo dicatur. 18
Principes non sunt dicendi beati. 308
Prospera dum supperunt, timendum est. 156
Prouidentia Dei cur negata ab Epicuro. 52
Prouidentia Dei mundus gubernatur. 82
Prouidentia quid sit. 82. & 302
Prouidentia Dei à quibus negata, & affirmata. 83
Prouidentia Dei ad omnia se extendit. ibid.
Prouidentia in Deo cur de omnibus. 302
Proximus quomodo amabitur. 325
Prudentia, verecundia, & silentium necessaria Christiano. 3
Prudentia quotuplex. 29
Prudentiæ carnis filiæ, conditiones, & diffinitio. 30
Prudentiæ spiritus diffinitio, & effectus. ibid.
Psalmus quid sit. 56
Psalmi, & Hymni differentia. ibid.
In Psalmis omnia Christi mysteria, & cuncta Dei opera mirantur. 57
Psalmorum virtutes. ibid.
Pudor quid sit. 137
Pudicitia quid sit. 138
Pudicitiæ, & castitatis differentia ibi.
Pudicitiæ encomia. 139
Pulchritudo quid, & ab omnibus amatur. 12
Pulchritudo Dei, Angelorum, & Sanctorum. 330
Puritas exercenda est in corde. 124

Q

Quies quid, & quotuplex. 8
Quies omnibus præponderat. 9

R

Religio aliqua in omni natione fuit. 91
Religio Christiana illustrior cæteris. 92
Religio vnde dicta, & quid sit. 127. & 128
Respublica omnis, iuxta Solonem, quibus contineatur. 194
Res quomodo inordinatè accidunt in mundo. 302
Restitutio quibus fieri debet. 286
Restituere qui teneantur ex his qui vicerunt in ludo. ibid.
Reuerentia quid sit, & vnde dicitur. 230
Reuerentia quibus exhiberi debet. ibidem.
Rex iuxta Solonem quid sit. 276
Risus excessus fugiendus. 110
Risibilitas quid sit. 111
Risus immoderatus deturpat hominem. ibidem.
Ruinæ hominis remedium. 27

S

Sacerdotum dignitas, & excellentia. 11. & 92
Sacerdotes qui eligendi sunt. ibid.
Sacerdotum conditiones. 12
Sacerdotes honorandi sunt. 91
Sacerdotum Christianum præstantius Hebraico. 92
Sacerdotis Missam celebrantis significata. 115
Salomonis sapientia admirãda. 357
Salomonis quotidiana expensa familia;

Digitized by Google

militia; equorum præsepia; diuitiæ annuæ; potentia, & dominium. ibidem.
Salomonis luxus, & deliciæ. 358
Sanctorum colloquio gaudendum est. 120
Sanctus vnde cognoscitur. 121
Sanctitas quid. ibid.
Sanctio quid sit. ibid.
Sancti conditiones. 122
Sancti sunt imitandi. 123
In Sanctis quæ respicienda sunt. ibid.
Sanctorum vita speculum est. 152
Sanctis sancta verba dicenda sunt. fol. 157
Sancti diuites. 226
Sancti omnes per tribulationes transierunt. 362
Sanitas res pretiosa, & quid sit. 69
Sanitate nemo gloriosus. 257
Sapor gustus obiectum. 24
Saporum varietates. ibid.
Sapor quid sit. 99
Satisfactionis partes. 77
Scientia mentis perfectio. 39
Scientia vera quæ est. 261
Scriptura diuina illustrior cæteris scientijs. 63
Scripturæ diuinæ nobilitas. 64
Scripturæ diuinæ pinguedo, dulcedo, & profunditas. ibid.
Scripturæ diuinæ effectus. ibid.
Seculum quid sit. 127
Seculum contrarium Religionis statui. ibidem.
Secularium conuersationes euitandæ. 128
Segnities quid sit. 235
Seminatoris officium. 333
Sensus externi. 99
Sensuum qui præstantiores. ibid.
Sensus visus, & auditus inter cæteros muniendi. 100
Seueritas quid sit. 344
Seuerus vnde dicitur. ibid.
Similitudo quid sit. ibid.
Simonidis responsum de Deo. 108
Sobrietas circa quid attenditur. 58
Sobrius quis dicitur, & vnde dicatur. ibid.
Soccordia malignitas. 350
Socratis responsum de iniuria. 267
Sollicitudo nimia vitiosa est. ibid.
Sollicitudo quotupliciter est illicita. ibidem.
Speculi natura. 152
Spiritus sancti fructus. 141
Spiritus cælestes quomodo stant coram Deo. 192
Spiritualia, vel temporalia à Deo petuntur. 221
Spiritualium, vel temporalium discrimen. ibid.
Spiritualia peti debent à Deo absolutè. 222
Studiū, & studiositas quid sint. 114
Studij labor omnem superat laborem. ibidem.
Superbus lapidari appetit. 37
Superbiæ fines. 173
Superbia quid sit. 186
Superbia caput omnium peccatorum. ibid.
Superbia vitium est generale. 187
Superbia in homine à diuitijs nascitur. 188
Superbia vita à quibus corrumpitur. 297

Digitized by Google

Syndereſis quid ſit. 4. & 312
Syndereſis nunquam amittitur. 313

T

TActus quid ſit. 99
Templum Dei triplex. 93
Templum Dei triplex quotuplici altari decoratur. ibid.
Templum ſpirituale illuſtrius materiali templo. 94
Templi perfectio. 124
Templorum mala tractatio. ibid.
Templum Dei homo. 125
Templum quodcunque exornatum cuſtodiri debet. ibid.
Temporalia quomodo à Deo petenda. 59 & 222
Tempus quomodo expendendum. 29
Tempori mundana omnia ſubduntur. 96
Tempus ubi reperitur, & quid ſit. ibidem.
Tempore nihil pretioſius. 227. et 349
Tempus omnia conterit. 332
Tentationum cauſæ potiſſimæ quatuor. 24
Tentationum cauſæ quomodo arcendæ. ibidem.
Tentationes arcendæ in initio. ibid.
Tentatio ſimilis ſerpenti. ibid.
Tentatio vt ſuperetur, quid faciendum. 165
Terra inſtabilis, & vacua. 107
In terra quæ inueniuntur. 284
Terræ natura. ibid.
Terra impedit aſſenſus deſuper. ibid.
Theſaurus ſecurus nobilis. 240
Theſaurus mundanorum non eſt ſecurus. ibid.
Timor Dei neceſſarius, & quotuplex. 33
Timor Dei filialis eſt optimus. 34
Tribulationũ diſcrimen, & origo. 47
In tribulationibus gratiæ agendæ ſunt Deo. 48. & 147
Tribulationes cur patiuntur in mundo. 311
Tribulationes tolerandæ, et cur. 132
Tribulationes quomodo tolerandæ. fol. 134
Tribulationis ethymologia. 263
Tribulati à Deo coronantur in cœlo. ibidem.
Triſtitia quid ſit. 140
Triſtitia vt euitetur, remedia quæ. ibidem.
Triſtitia bona neceſſaria. 141
Turpitudo à nemine deſideratur. 4
Turpitudo negligenda. 328

V

VErbi Dei magnitudo, & præſtantia. 23
Verbum duplex. 281
Verbum interius quid ſit. ibid.
Verbum non eſt res cognita, neque ſpecies intelligibilis. ibid.
Verbum exterius quid. 282
In verbis ſolatij quomodo euitatur peccatum. ibid.
Verecundia omni ætati cõuenit. 139
Verecundia congruentior iuuenibus. ibidem.
Verſutia duplex. 233
Verſutia quid ſit. ibid.
Veſtis pretioſa ab omnibus amatur. fol. 243
Vigilia neceſſaria animæ. 228

Digitized by Google

Vini præstantia, & effectus. 23. & 86
Vinorum differentia. ibid.
Vinum modicum bibendum. 86
Vini nocumenta. ibid.
Virtus quotuplex, quid sit, & vnde dicitur. 14
Virtus docenda, & manifestanda. ibidem.
Virtutis laus in actione consistit. 15
Virtutis exercitio gaudendum est. fol. 38
Virtus euehit hominem. 134
Inter virtutem, & dignitatem nulla comparatio. 135
Virtus Dei imago est. ibid.
Virtus cur dura, & ferrea vocitata est. 252
Virtus quomodo facilis, & difficilis. ibidem.
Virtutis moralis diffinitio. 253
Virtutis diffinitio. ibid.
Viribus nemo fortis. 257
Virtutis encomia, & laudes. 258
Virtutes quælibet faciunt hominem cœlestem. 260
Virtuti incumbendum, vt quilibet fiat alter Adam. 261
Virtutes quomodo connexæ, & iugatæ dicuntur. 263
Virtus amplectenda, & exercenda. 279
Virtus cur colenda est. 280
Virtutes amplectendæ. 292
Virtutis cursus quid sit. 318
Virtutes contra hypocrisim, auaritiam, & voluptates. 335
Visus quid sit. 61. & 99
Visio qua nam ratione fiat. ibid.
Vita Christiana perfectio in charitate consistit. 40
Vita florida iocundissima. 46
Vita præsens flenda. ibid.
Vita hominis quibus assimilatur. 47
Vitæ inæqualitas odio prosequenda. 51
Vitæ inæqualitas, & malignitas. ibidem.
Vitæ spiritualis perfectio in quo consistit. 180
Vita præsens inconstans in omnibus. 180. & 237
Vitæ integritas in quo consistit. 190
Vitia quomodo sunt obseruãda. 202
Vita quotuplex. 209
Vita præsens vndique miseriis plena. ibidem.
Vita nostra similis nauiganti. 210
Vita nostra similis oleo in lampade lucenti. ibid.
Vita humana nihil est. 211
Vita quid est. 236
Vita præsens quibus similis. 237
Vita presens fugienda. ibid.
Vitia animalibus attributa. 259
Vitia animalium in homine, faciunt hominem belluam. ibid.
Vitiorum pharmaca. 317
Vituperium cauendum. 36. & 38
Vmbræ, & rotæ natura. 179
Vmbra quomodo causatur, & quid sit. 331
Voluptas carnis sordidum facit hominem. 67
Voluptates animam coinquinant. fol. 68
Voluptates vt reparentur, remedium. 98

Digitized by Google

Voluptatum malignitas. fol. 254. & 335
Voluptas non est summum bonum. ibidem.
Voluptatum exitus tristes. 255
Voluptatum pœnæ maximæ. ibid.
Voluptates qui calcat. 364
Vulgus quid, et ipsius cõditiones. 25

V

ZElus verus quid sit. 149
Zelotipia quid sit. ibidem.

Finis Tabulæ.

Digitized by Google

R.A.P.F. PAVLO MINERVAE BARENSI

Sacræ Theologiæ Lectori Ord. Præd. & Regni Neapolitani Prouinciali optimè merito.

VAriam pelagi vastitatem deuagantes humanarum antiquiorum obuolutionum famosiores; mentium varijs irretiti captionibus, felicitatis humanæ summam conati amplitudinem, suis proprijs affectibus diuersis consona dictitarunt diuersa; bonam (nempe) alij fortunam extollentes, voluptatem alij honestam, scientifici contemplatus solo affectu saginati, alij (natura ipsa præministra) omnibus hominibus scientiæ desiderium insitum esse doctissime tradiderunt. Quibus si mortalis ob eorum laborem, & ingenij perspicaciam, statuarum, piramidumq; perpetuo testimonio, immortales tribuere laudes; Quænam tibi ò MINERVA, Minerua eruditus doctissima, cultura bonarum literarum micans, (cuius splendor in orbem vt tua illustris famæ celebritas non inter huius Hedis D. Dominici homines virtute præditos, sed & Neapoli tantummodo vniuersæ patet, quinimò apud exteras nationes laus erit cum hęc tuæ præceptiones & scholia (quasqueque de mandato Reuerendissimi P. Generalis perlegi) & quæ nedũ contra, sed in fidei robore sunt) viam arctam, ad æternum peruenienti beatitudinis finem planam faciat? Accipe pro affectu animum, & pro opere desiderium vbi nanq; ego deficio, tum legentis opus prudentia suppleat, & Præceptiones scholiaq; tua, laus tibi tua sit nunc, & semper, & per infinita sæculorum sæcula. Datum Neapoli in nostro Regio Conuentu Sancti Dominici die 30. Iunij 1603.

Fr. Thomas de Pontecuruo Magister, & Regens.

Digitized by Google

PRæclariſſimi, apud mortalium mentes, nominis famam, tribus præſertim, prærogatiuæ generibus; & operum copia, inuentioniſq; ſubtilitate, ſtiliq; ordine; homines ſibi comparaſſe exiſtimo. Aeterna proinde honoris gloria, præ cæteris principantur ſcriptoribus, Ariſtarchus Grammaticus, qui vltra millia commentariorum deſcripſit: Galenus centum triginta; Theophraſtus trecenta; Seruius Sulpitius centum octuaginta; Ateius Capitolius ſexaginta; Empedocles quadraginta tria, (præter Origenem, & Auguſtinum infinita penè ſcribentes) compoſuiſſe volumina, hominumque demandaſſe memoriæ celebrantur. Extolluntur equidem gloriæ, nunquam ſatis decantatæ encomijs, Anaximander Mileſius, ſpheræ, horologijq; inuentor; Palamedes Nauplius ſeriei literarum; Corax, & Creſias, Rethoricorum regularum; Simonides ceus, artis memorandi; cæteriq; aliarum nobiliſſimarum artium repertores. Denique Doctor Angelicus, Doctores, etſi omnes, doctrina præcellat, ordinis tamen in docendo, caſtigatione, non minus excedit. At ſi iſtis omnibus, vnà redimitus titulis agnoſceretur homo: vtiq; Anaſſarco de omnibus diſſerente, comparandus; eiſdem quippè extollendus eſſet honoribus, quibus ab Alexandro Ariſtoteles; à Dioniſio Plato; Menander Comediographus ab Aegypti Regibus, decorati fuere. Nec minoris gloriæ celebritate, qui aliorũ dicta, temporis penè iniuria, laniata; in obliuioniſque diù quæ latuere latebris, ſollicitè in lucem, concinneq; prodere curauere, digni habendi ſunt. ſanè crediderim, ideo Manilij Aſtronomica, Valgij, & Cornelij Galli elegiæ; Licinij Calui Quintilia; Varronis Leucadia; Ceſennia Gettulij, Annales Andronici; dictaq; Afranij, Anacreontis, Archilochi, Phyletę, Ariſtophaniſq; Poetarum: Quin & Laberrj, Ceſſi, Boſſi, Furij Bibaculi,

Digitized by Google

Bibaculi, Licini Valerij, æditui; Domitij Marſij epigrammata, orationeſq; in hominum non verſantur manibus; niſi quia tàm illuſtrium operum zelantibus caruere ſcriptoribus. Hinc cęteris, quot, Adm. R. P. F. Paulo Mineruæ Barenſi Ord. Prædicat. Sacræ Theologiæ Lectori, ac Prouincię Regni Prouinciali optimemerito, ſuper D. Nili Epiſcopi, Martyriſque, ſententijs, græcè latinèq; cõtextis, lucubrationum Authori; illas, nedum edenti, verum & opus idem tenebris obtectum, ſuique Authoris orbatum nomine; primęuo nitori, proprioque illud reſtituenti patrono; quiq; & Salomonis Neomenias, pleraque alia, ſubtiliſſima inuentione, reperit; admirabiliq; ordine euexit in lucem; qualeſq; agere gratias debeamus, diſſerendum relinquo. Ego autem, cum hæc mihi ex ſuperiorum commiſsione, oblata commentaria eſſent; tota qua potui perlegi diligentia, exactoq; perluſtraui examine; ac præterquam, nil me, contra Sacræ Romanæ Eccleſiæ ſancita, boniſque contradicens moribus, in eis reperiſſe fateor: verum & præfati Commentatoris, gratam, in aperiendis dictis facundiam, linguarum peritiam, ſacris in literis familiaritatem, authoritatum copiam, ſtili docilitatem, in dubijs ſubtilitatem, in reſponſis nitorem; cæteroſq; quæ ſapientiæ Heroes decent, prærogatiuas, haud ſatis admirari potui. Ideoq; ego Frater Seraphinus de Rinaldo Nucerinus eiuſdem præfati Ordinis, & Prouinciæ Sacræ Theologiæ Magiſter, illas prælo demandandas, omnibus (vt omnes, vel profectum, aut vitæ percipiant correctionem) legendas fore, meritò iudicaui. Datum Neap. die 19. Septembris 1603.

Fr. Seraphinus de Nuceria Magiſter manu propria.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google